





1
6
485








Vincentij De Melioratis

XV
BEN

1585





CONSVLTATIONVM
MEDICINALIVM
OPVS
Vtile, Iucundum Necessarium
Medicorum Principū tutela, dogmatū uari
etate, et ordinata morborū omniū curatione
Auctore
IVLIO CÆSARE BENEDICTO AGVELFA
LIONE CIVE AQVILANO ET IN ALMO AR
CHIGYMNASIO ROMANO THEORICÆ
ORDINARIÆ PROFESSORE
VENETIJS
APVD BERTANOS. 1650
P. Miotte sculp.



INNOCENTIO DECIMO P. O. M.

Iulius Cæsar Benedictus à Guelfalione S. P. D.



PVD Indorum plagam arborem quandam esse accipimus (Beatissime Pater) sub quam accurrentes columbæ à Draconum incursibus sese vndiq; vindicant; cum tamen in latio, in latinis collibus, & potissimum Vaticano columbam intuear non pauitantem Dracones, sed necantem; non fugientem, sed fugantem; non affectantem patrocinium, sed patrocinantem, non Aquilæ amplius hostem, sed eiusdem pariter hospitem: quam ob id oleam ore gestare censuerim, vt ea vel cum Aquilis initum fœdus ostendat, seq; Aquilis præstitam esse maiorem, vel vt suam sapientiam, immortalitatemq; etiam pandat; est vallata lilijs, vt vestræ vitæ vel præmonstret candorem, propalet innocentiam, & in tuendo

opem oſtendat intemeratam; lilijs Iunonis lacte dealbatis lac ſpondet vbertatis, lac monſtrat pietatis; Quicunq; ergo veſtram intuetur columbam & olea, & lilijs munitam, audet, tentat, anhelat columbam venerari, oleam admirari, lilia ſuſpicere, vt liliorum odore recreetur, oleæ vbertate dictetur, columbæ alis protegatur; ſic enim ſpondet columba, ſic promittit olea, ſic ominantur lilia; quare fieri haud potuit, quin maximo flagrarem incendio veſtros liliorum odores experiri, veſtram oleæ viriditatem admirari, veſtræ columbæ ſpiritum intueri, quæ vel cæleſtis ſpiritus afflatu inſpirata benignitatem inſpirat, quæ vel viridis oleæ ſodalitio ſpem mihi enutrit, quæ vel liliorum odore conſocialis veſtram mihi humanitatem elargitur Proindeq; ego (Beatiſsime Pater) veſtram hodie aueo columbam, veſtræ oleæ vndiq; inhio, veſtra pariter ſuſpicio lilia, vt liliornm candore, mearum fugetis lucubrationum obſcuritatem, columbis me à Sycophantarum numero tueamini, oleæ viriditate, mihi veſtræ tutelæ ſpem enutriatis. In veſtra ergo benignitate ſpero, ſub veſtram curro tutelam, ſub alas accurro protegentis columbæ, vt columbatim viſus, redditus oleaceus, liliatus apparens, totum me ſacrem lilijs, me tradam oleis, me obſignem columbis.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.



EDICAM facultatem duobus quasi cruribus incedere explanarunt tum *Gal.* tum Hesperiarum fulgor *Valles.* experientia nempè, & ratione; quæ cum altero crurum destituitur, vel clauda, vel orba apparet; qui enim in vniuersalibus insistit, promulgauit *Archita Pytagoreus* cæcum habet animum in singularibus: sicut, & qui in singularibus inhæret haud vniuersalia pensat; impossibile namque *Gal.* est ratus *lib. de sect.* experientiam sine duce ratione procedere; hæc enim est vniuersalium vt aiebat *Arist.* illa verò singularium; Ratio ex vniuersalium cognitione aiebat *Gal. in meth.* pendet, experientia multiplici in ægris indiget exercitatione, Ratio ex *Arist.* 10. *Æthic.* est artis virtus, experientia est eiusdem condimentum. Ratio nunquam decipitur ex *Man.* 2. *Astro.*

Nam neq; decipitur ratio, nec decipit vnquam.

Experimentum fallax vt dixit *Hip. sine ratione* aiebat *Arist.* 1. *Rethor. causa, & principio impossibile est aliquid esse, vel fieri.* Non est deserendus sensus propter apparentem aliquam rationem dixit idem *Arist.* *Ama rationem* dicebat *Seneca epist.* 67. & *Demea* apud *Terentium in Adelphis* aiebat:

Nunquam ita quisquam benè subducta ratione ad vitam fuit.
Quin res, ætas vsus semper aliquid apportet noui.

Atq; propterea Damascenus in aphorismis notat, & ait: operari secundum libros, absq; perfecta ratione, & solerti ingenio molestum

ſtum eſt. Ratiocinandum ergo Theoria, experiendum Praxi, vnde à quocunq; Medicinam factitante eſt præ reliquis amplexanda Theoria, non eſt contemnenda Praxis, illa diſterminat, eliminatq; vera à falſis, hæc facit quæ ratio dictat, illa eſt vox imperans, hæc echo repercutiens vocem, Illa Medicinam gignit, hæc genitam fatetur, Illa eſt fallaciarum perduellis; hęc non rarò fallacijs enutritur; Theoria eſt apta ad iubendum, vnaque vetandum; Praxis rationi obtemperat, ac ancillatur: Illa tandem optimos conſtruit Medicos: Hæc empiricos celebrat; quos adeò renuit *Gal.* vt dixerit in *Meth. Medicos qui ſolam experientiam ſequuntur, non admittimus, quoniam ipſi ſicut idiotæ faciunt, quæ vident inſpicientes, rerum quidem euentum mirantur, euentus cauſam ignorant:* merito ergo *Roder. Caſtrenſis in ſuo Medico Polit.* Theoriam antecellere Praxi demonſtrauit per hæc verba. *Fieri enim poteſt vt Medicus iuuenis in Medicis præceptis ſcientiſſimus, & in operibus mediocriter exercitatus non tam in docendo, quam in Medendo Reipublicæ ſit vtiliſſimus modo mente caneſcat, non mento, nam cani hominis ſapientia eius qui in breui ætate multa tempora compleuit.* Illud ergo ab omnibus reputetur vt verum, Theoriam ſine Praxi mutilem eſſe, Praxim ſine Theoria nihil prorſus exiſtere. eſt enim velut cæcus qui non videt, & ambulat, ac non cernendo ſępius in offenſacula vel leuia impingit, vnde millies decidit, labitur in humum, ac ſi quem videntem non habeat erigentem eundem, vel in luto infixum permanere ſit neceſſum; Ceſſent, amabo, neceſſitare fatui quidam Momi, inſipientes Zoili, qui dum ſe ipſos ſolo Medici nomine decoratos intuentur, Medicinam cloacant infando quaſi flagitio, eandem Praxi tantummodo inhærere prædicantes, indeque indoctam Medicorum plebeculam tollunt, quæ vt aiebat *Valleſ.* plus calceos terendo, quam mentem exercendo comparauit; atque ob id Medicorum rationem increpant, ſed falſo ſuam vel irrationabilem experientiam comprobantes; quos tamen Medicos *Hip.* ijs qui in tragædijs recitant, comparat *quemadmodum enim illi figuram, & habitum eorum, quos referunt, habent, illi autem ipſi verè non ſunt, ſic Medici nomine quidem multi, re autem, & opere valdè pauci,* vſum enim extollunt huiuſmodi Medici, quia vel ipſo abutuntur vſu, ac ſemper in omnibus inuiſendis ægris eundem adhibent vſum; quem ſi ab uſum nuncupes, non errabis; non enim vulgaris vſus apud do-

ctos

ctos est vsus, sed apud vulgum, qui nescit vsum ab abusu distinguere; vndè sæpè contingit, vt cum vsu errantes non pateat error, quia sic Practicātium caterua errando addiscit, qui sane si optimos adirent Theoricos ab erroribus essent sanè satis seiuncti; non enim vel perfectissimus vsus sine erroribus comparatur, vt aiebat *Columella*, vnde vsus cum perfecta Theorica laudandus, ob idque aiebat *Manil. Post varios vsus Artem experientia fecit*. Non enim denego vsum esse omnium Artium dominatorem, cæterum dominari desinere, vbi ducem non habuerit Theoriam; neque enim vel ipsi eandem inter se denegant, sed ideo explodunt, quia in se non habent, atque proinde vt aiebat. *Hip.* in *epist. ad Crateuam*, superfluum reputant in alijs, quod in se non habent: vnde *Virgil. Maluetius in suo Dauide* dixerat; ideò nonnullos paupertatem commendare, quia non sunt diuites; neq; enim esse videntur Oriones qui possunt quodcunq; mare tranare humeris vel illud exsuperantes, neq; enim possunt Atlantes existere, dum non sub duplici, sed vno pōdere gemunt, ac quod portare arbitrantur, vel sub illo quoq; vaccillant; atq; hi subinde sunt garruli, ac Momi libenter maledictis lacessentes eos qui continuò studijs se se consumunt; non enim ipsi possunt ire Corinthum, & proinde omnes ab hoc itinere explodunt; quamobrem ille vocandus est Medicus aliqua perfectione donatus, qui tam Theoriam, quam Praxim habuerit combinatam: non enim est possibile Medicinam exercere sine præceptis, quæ sola exhibet Theoria; atq; ideò aiebat. *Gal. in meth. cum autem in vniuersalibus methodus, in particularibus exercitatio consistat, fieri non potest, vt sine multiplici in ægris exercitatione, quod ex vsu sit, acias, aut sine vniuersalium cognitione probè exercitatio procedat:* Sic *Arist. lib. metaphys.* decantauit. *Ad Sapientem pertinet scire omnia in vniuersali, & scire difficilia, & habere scientiam certiorem de his & scire reddere causas eorum quæ sunt*; atq; ob id quidam olim æger, vt est apud *Ælianum 9. de var. hist.* dixerat dum conuocarat Medicum protinus calamum ad præscribendum sumentem: *Ne cures me ceù bubulcum, aut fossorem, sed prius causam morbi explora, vt me vtaris ad obsequendum paratissimo*; atque proinde dicebat *Arabum Princeps, quomodo febrem curare vis, nisi eam cognoueris?* deliberare est proprium Theoriæ, vt aiebat *Epicarmus Siculus*; atque ob id non rarò Iuuenes Medici

sunt

ſunt ſenibus meliores, vt probaui in meis Epiſtolis, quoniam ingenio, & memoria pariter valent; quæ duo ſunt neceſſaria ad adipiſcendas ſcientias, ad comparandam Theoriam, & praxim: quis enim cum *Quintiliano* non dicet omnem diſciplinam memoria conſtare, fruſtraq; homines doceri, ſi quicquid audimus proterfluat quis cũ *Platone* nõ aſſeuerabit memoriam eſſe omnium muſarum matrem, *cum licet*, eſſe ſcribam intus manentem, ſeu rerum, & verborum cuſtodem, & tandem cum alijs quis non dicet, tantum ſcimus, quantum memoriæ mandamus. ſic *Plato in Cratylo* dixit memoriam eſſe manſionem, non autem motionem in animo; ſic *Ludouicus Viues 2. de anima* protulit memoriam eſſe facultatem animi, qua retinentur omnia tum à ſenſu interno, tum à ſenſu externo percepta; Præterea quicunque adeò Praxi eſt addictus neceſſe habet fateri, vel ipſam praxim, vel ipſam experientiam ſine memoria non poſſe addiſci, atque ideò velint, nolint, coguntur, vel memores homines atteſtari habere præ reliquis praxim, & experientiam, quam *Gal. lib. de ſubfig. empir.* non aliam matrem habere prædicauit, quam memoriam, ſic *Ariſt. 1. metaphyſ.* experientiam dixit eſſe plures memorias; vnde *Diuus Thomas* volens deſcribere vel ipſam experientiam, dixit iſtam nil aliud eſſe, quam aliquid accipere ex pluribus memorijs cum ratiocinatione ad ſingularia; en ergò quam ſibi vtique detrahant ij, qui vel in hominibus memoriam ponunt, nec tamen ponunt Theoriam, vel praxim, nec tamen ponunt ingenium, ſunt homines qui cum hæc dicunt, non ſenſate id dicunt, ſed quia ab alijs ſenſerunt; cortices enim rerum dumtaxat deguſtãt, non meditullium; viderunt, vel potius dixerim audierunt *Ariſtotelem in problem.* dicentem: *qui plurimum habent memoriæ, habent minimum ingenij*, & tamen ipſi qui ingenio, & memoria pariter vacant, neſciunt quid ſibi velit, *Ariſt.* iſte enim in *problem.* loquutus eſt de apprehenſione, non autem reminiſcentia, quæ ſanè cum ingenio optimè conſtare poteſt, vt idem probat *Ariſt. lib. de mem. & reminiſc.* per hæc verba: *Memoria magis valent, qui hebeti, obtuſoque ſunt ingenio, reminiſcentia verò magis vigent, qui acuto docilique ingenio excellunt*; proindeque deberent cum *Val. Max. lib.* 4. exultare animo virorum memoriam perluſtrantes, non autem eandem liuore quodam laceſſiti improbare; *Mos enim eſt hominum aiebat Cic. declar. orat. vt nolint*

aliquem

aliquem pluribus rebus excellere, & vt breuiter cum *Curtio lib*, 8. dicam: *Inuidi homines*, *nihil aliud quam virtutis sunt tormenta*; verum dicat mihi Momus, dum memoriam sic paruipendit; non ne Seneca, Themistocles, Theodectes Aristotelis discipulus, & tandem Picus Mirandulanus, & alij, non ne inquam hi fuerunt ob litteras mundi miracula, ob sapientiam prodigia, & tamen scimus vel optima memoria fuisse donatos, sic *Seneca* scribit, memoriam in se ipso adeò excelluisse, vt non ad vsum modo sufficeret, sed in miraculum vsque procederet; quamobrem memoria est tanti vsus, vt omne Naturæ donum euincat; quæ cum optimo ingenio stare vtique potest, modo de reminiscentia loquamur, siquidem tam memoria, quam ingenium siccam cerebri crasim requirunt, quemadmodum humidam apprehensio, quæ facillimè velut mollis cera, & accipit, & deserit imagines; Taceant, sileant Zoili qui Vesparum, & Psyllorum more è floribus venena sugunt, nam dum memores condemnant, se ipsos omnino tum Theoriæ, tum Praxeos ignaros declarant, cum ambobus memoria requiratur, ideoque semper sunt tanquam tabula rasa: breui enim obliuione mandatur, quod inscribitur; atque ideò cum dogmatum sint innocentes ipsorum innocentiam ægrotantium cladibus demonstrant; vnde merito *Plinius* asseuerauerat experimenta per mortes agunt; proindeque haud miror huiusmodi sortis Medicos finem medicinæ haud videre, siquidem semper à scopo aberrant, sicque ipsi sunt sanè infortunati, dum se ipsos non fortunant, atque fortunæ fortunam subripiunt, quæ nescia est (vt assolet) vel immeritos fortunare; quomodo enim fortunam ignorantia assequetur, si citrà normàm medetur, si citra præcepta sanè contulit ægris? *Imperiti enim* aiebat *Arist.elenc.p. velut distantes à longè speculantur*) meritò ergo dicebat *Hippoc. Ego verò non priuabo ipsam fortunam*, *tanquam nihil operepretij faciat*, *puto enim morbos*, *qui benè curantur*, *vt plurimum fortunam nancisci*, *qui vero malè*, *malam*; & alias asserebat non posse fortunatè assequi, qui rectè non agat; quod tamen haud contingit sapientibus, qui vt propalauit *Seneca Epist*.72. vincunt virtute fortnnam, atq; propter idem inquiebat: *Sapienti non interuenire fortunam*; quam dupiicem in empiricis admitterem, quia & malè agendo fortunantem habent naturam; quæ sit conscia vel eorum maxima errata curare. Pro-

b pterea-

ptereaque ne amplius abimmundo eorum ore desinant emergere sterquilinium, dum sapientem condemnant, atque infortunatum exprimunt, nam sapientia, quod rectum est docet, & quia via non est deuius, peruius ad metam redit, proprium enim est sapientis recta operatio, quinimò nedum operari decet Medicum, sed pariter edocere quid sit agendum, nam ille verè sciens, qui pariter docet, *signum autem scientis est posse docere*, non enim benè operatur ille, qui nedum edocet alios, sed & se ipsum docere nescit, quia dogmata non habet, non habet, quia non quærit, non quærit, quia putat se scire, & hoc aiebat *Hip.* eorum pandit errata; at non est condemnatus ille qui ideò docet, quia non ignorat, ideò se non errare decernit, quia vel sua dogmata ab alijs contrarianda proponit, ideò non habet hostes, quia vera promulgat, quorum fides experientia probat, atque inde aiebat *Galen. Facillimè quicquid quæritur ratiocinatio inuenit, eius verò fidem experientia comprobat*; quamuis non raro vt aiebat *Eurip. in Bacch. Insipienti sapientia loquens decipere videtur*, verum nesciunt miserrimi quod dixerat *Plato de mendac. argumentum inscitiæ est à sapientibus dissentire*; alios enim arguunt, quia sua peccata non vident; atque ideò meritò dixerat *Galen. Duplicem vt Æsopus aiebat manticam è collo suspensam gerimus, vnam quidem ante pectus alienorum, alteram verò à tergo nostrorum, quo fit, vt aliena spectemus semper, propria autem nunquam intueri possimus*; quicquid tamen sit non ego tantus sum, vt errare non potuerim, quinimò & me parum errasse gloriarer, cum dicente *Hip. maximè laudarim eum Medicum, qui parum erret*, atque proinde ne adeò, vt quidam claudicantes incederem, volui saltem tum Theoriæ, tum Praxi æqua lance incumbere, ac proinde edit, iam & *lib. de Pepasmo, & de Sede pleuritidis affecta, & de Epistolis*, nunc requirebat necessitas vt nonnulla de Praxi inscriberem, *consultationes scilicet Medicinales*, tanquam Praxeos effectus, cui vel quintum percurro lucrum enixè operam nauaui, vestræ sunt partes benignissimi Lectores, vt si quid boni in illis extiterit, perenni meo studio donetis, quod scit memoriam enutrire, cum dicente *Platone* memoria fiat ex meditatione crebra; si aliquid mali inueniatis, vestra benignitate haud culpetis, sed potius corrigatis; fragilis est enim hominis sæpius peccare.

Perill.

Perill. Dom.

IACOBI PHILIPPI
C A M V L Æ
IN ROM. ACAD. PROFESSORIS,
Epigramma ad Auctorem.


ONSILIIS, Vir magne, tuis instructus, & arte,
Ferrea Parcarum frangere iura queam
Lethiferi posuit per te vis irrita morbi
Irrita quin etiam fulmina mortis erunt.
Nomen inane diu fuerit sine Numine Phœbus
Numine quippe tuo tu modo Phœbus eris.

AD AVCTOREM CARMINA

Perill. Dom.

IOANNIS BAPTISTÆ
De Nigronibus Acadam. Humor.


VC vos quos morbi lacerant properate; salutem
Quæsitam hæc vobis pagina docta dabit.
Spernite quæ Medicus dederit medicamina Cous
Quæ soboles Phœbi, Phœbe vel ipse dabas
Aut quæ Pelides didicit Chirone magistro
Certior ex ista nascitur arte salus. (dendi
Confuge ad hunc librũ; præcepta hinc sume me-
Annos hinc dabitur viuere Nestoreos.

Perill. Dom.

DOMINICI PANAROLÆ

IN ROMANA ACADEM. SIMPLIC.

Professoris Ad Auctorem Carmina.



EFVNCTIS vitam dedit olim Asclepius ille
Armis victa ferox Herculis Hydra fuit.
Tartara cum furijs flectebat Thracius orpheus
Orbes Maurus Atlas sustinuit Superum
Hęc sunt in laudes veterum, figmenta Deorum.
Græcia mendaci carmine falsa canat.
Dum Phœbi hęc soboles excellens arte medendi.
Clarus Apollineo lumine præstat opem
Dat vitam extinctis, superat mirabile monstrum,
Infernum mulcet; sydera fert humeris.

Perill. Dom.

IOANNIS BERNARDINI

DVRANTIS

Acad. Humor: Carmina ad Auctorem.



RÆCIPIS an reficis, dum prębes apta saluti
Concilia? euentu nectis vtrumque pari.
Dum nos ergo doces, & fert doctrina salutem
Vnus ades factis magnus, & eloquio:

INDEX



INDEX CONSVLTATIONVM Medicinalium.

ſiano

Pro

IVLII



IVLII CÆSARIS BENEDICTI A GVELFALIONE,

Phylosophi, Medici, Ciuisque Aquilani, & in Romana Cathedra Theoricæ Medicinæ ordinariæ Professoris,

CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM.

Liber Primus.

De Capitis dolore diuturno pro Nobili viro Romano, ad Excellentissimum D. Hiacinthium ab Altomari.

CONSVLTATIO I.



TANTÆ est energię Iecur, vt vniuersam membrorum Rempublicam alat, indeque eius ευπραγία fundamentum principatum, ac facultatum vitalium, & animalium habet, sicut eiusdem κακοπραγία earundem facultatum est destructrix; proinde nil deinde nil miror, nobilem de quo agimus languentẽ; hepatis feruida dyscrasia confertum ob viuendi errorẽ varia symptomata subire vt puta serpiginem quandam, varias corporis pustulas, & tandem nunc dirum, diuturnumque capitis dolorem; non miror inquam, hepar enim dum ἐμάθωσιν deprauat dum humores suo feruore concremat, dum illos pituiteis humiditatibus commiscet, incerebrum effert, vnaque tollit, sicque, & illius meninges lacessit, pungit, vlcerat, soluit, & tandem dolorem accersit, vel sui præsentia, vel intemperiem seu discrasiam adigendo, cum iam apud omnes sat constet, dolorem esse subitam temperamenti mutationem vt Ætius insinuauit, quod mutuatus est à *Gal. 2. de rat.*

vict. in acut. vbi dixerat dolorem eſſe mutationem ſubitò factam ad id quod præternaturam eſt in corporibus ſenſibilibus, & diuinus *Plato in Thymæo* ob id dolorem ſtatuit eſſe ſubitum quendam reciſſum a ſtatu naturali ad præternaturalem, & *in Phylabo* dixerat dolorem eſſe quandam harmoniæ corporis corruptionem; *Auic.* duas proponebat cauſſas *2. p. doctr. 2. cap. 19.* & alibi, ntemperiem ſcil. & vnitatis ſolutionem; vbi imitari videtur *Gal.* illudinet dicentem in *art. medic. 8. 2. acut. pr. libr. de inæqualis intemp. cap. 3. 12. meth. cap. 7. 3. de loc. aff. pr.* hancque opinionem ſatis comprobat meus *Valleſ. lib. 5. controuerſ. cap. 5.* nam vt aiebat Hip. dum alteratur, atque corrumpitur natura dolores fiunt, ſed non minus corrumpitur natura vehementi alteratione, quam ſolutione; conſtat enim natura non minus temperamento, quàm vnione, ergo ſi alteratio vehemens ſubito incidat excitabit dolorem, & ſi non ſoluat. quamuis doctis aliqui *Auenr. lib. 3. cap. pr.* cenſet dolorem in tactu ex intemperie fieri perpetuo, neque enim ſolutionem continui, cum non ſit tactus proprium ſenſibile (ità loquuntur) quodque per ſe ſentiri poſſit poſſe tactum contriſtare, ſed accedere ſenſui cuique dolorem ex proprij ſenſibilis immoderatione, vt dolent oculi aſpectu magni ſplendoris, & aures acuto ſonitu; *Valleſius* dolorem ait vt ab efficienti cauſſa aliquando fieri à ſolutione, aliquando ab intemperie; cæterum ſolutionem ſemper eſſe cum dolore, quoniam intemperies omnis quæ dolorem facit, continuum ſoluit neceſſariò ſed non proinde ſolutio per ſe eſt doloris cauſſa efficiens, doctiſs. tamen *Saxonia* miratur cur vir iſte eximius cauſam primo, & rectè poſuerit immediatam continui ſolutionem, & poſteà addiderit quandoque intemperiem cum ipſa vnitatis ſolutione cauſſam habere. *Profeſſor Patauinus* violentiã tangibilis obiecti, ſequutus ſcil. *Platonem in Timæo & Gal. de diffrijs ſympt.* tanquam propriam, proximamque doloris cauſam aſtruere eſt auſus; ſed quæritur ab eodem *Saxonia* violentiam ne illam abſolute, & in abſtracto velit an vero in concreto, ideſt quæ in actu poſita alterationem in tactus organo producit; Priori modo acceptam non eſſe cauſſam doloris nemo negabit poſteriori modo intellectam, & ſi ſit cauſſa doloris eſſe ſaltem remotam ſoluendo enim vnitatem ipſius partis dolentis dolorem ingenerat, vt ità dolor proximè ſolutionem ſequatur, non violentiam, & quamuis *Arabum Princepos* membrum dolens non diuiſum aſſeueret, duplicem tamen diuiſionem annumerat præfatus *Saxonia* à cauſſis manifeſte, incidentibus vt ferro, gladio vnam, alteram verò à cauſſis internis, quæ, & ſi ſoluant quod continuum erat, illa tamen ſolutio ſenſibus haud quaquam obuia: cæterum vt ingenue fatear crederem aliquem dolorem non è continui ſolutione pendere, ſed ab intemperamento, illum ſcilicet qui nec diuturnus nec magnus, contra autem, perſeuerantem ac magnum ab vnitatis diſſolutione vna cum intemperie proficiſci poſſe contenderẽ, *omnes* enim *morbus* aiebat *Senex vlcus eſt* quã ſane intemperiẽ qualitatũ elementariũ putãdã eſſe crediderim, ob idq; *Hip. li. de nat. hominis & de loc. in hom.* decãtauit, ijs quibus alteratur, aut corrumpitur Natura dolores fieri, cum vel calefit, vel frigeſit, vel ſicceſcit, vel humeſcit, vel eius vnitas diſſoluitur; quod tamen in noſtro caſu differendum haud eſt, cum non ex ſimplici intemperie morbus trahat initia, ſed ex eadem intemperie materiæ conſociali, eaq; acerrina, & mordaciſſima, vt videre eſt exulceribus in capite pronatis, quæ talem atteſtantur materiam non aliter ſane progenitam quam hepate feruidiori vnaque capite frigidiori humidioriq; illo vitas,

seu;

seu ychorosas humiditates progignente, hoc verò humida excrementa producente; ex quorum miscela humor quidam redundat acer, salsus, ac mordax, salsus quidem ob salsæ serosæ humiditatis admixtionem vt *Gal.* autumauit, velut *Auic.* concredit ex humorum adustorum miscela, cum pituita, ità enim scribit *p. p. doct.* 4. *cap. p.* omnis verò salsuginis caussa est, vt aquosæ humiditati pauci saporis, aut saporis experti terreæ partes adustæ, suæ, saporisque amari æquali temperamento misceantur, si enim multæ fuerint amarus sapor prouenit: verum (vt benè *Senner.* asseuerat) *Auic.* non quodlibet amarum potest intelligere, non enim ex amaro proprie dicto qualis aloe, & similia nuquam quocunque etiam modo aqueæ humiditati permisceatur salsus sapor generabitur, sed amarum salsum intelligendum est, quale in lixiuijs ex cineribus factis apparet, ex quibus sales conficiuntur, non quod licet ergò amarum salsedinem inuehere posse credendum, sed illud quod sale participat, vel quod simul etiam partes terreas, adustas, & complexionis siccæ in se contineat; cæterum si salis naturam expiscabimur, consequemur de salso humore intentum. *Plato* enim in eo *lib. qui de natura* inscribitur, sal ait corpus terreum esse, à quo multus sit vi Ignis exhaustus humor, verum non in totum sublatus, cum enim ignis terram vi sua calefactam baud parum attenuarit, ab eaque plurimum humoris exhauserit, quod reliquum est veluti semiglaciatum concrescit, relicto in tenuibus terræ partibus aliquanto humore, cuius commixtione liquabile ipsum efficitur; Ab hoc igitur sale salsa omnia vires, nomenque accipiunt, vt salsum id propriè dicatur, quod salis naturam referat, quod eius misturæ quæ sal efficit participatu constet. *Arist. lib. de sensu & sensili* ait salsum humorem esse veluti excrementum quoddam minimè concoctum, nec à natura euictum, natiuus enim calor vt auget corpus, sic etiam alimentum præparat, atque quod leue est attrahit, quod verò salsum amarumue fuerit ob grauitatem, seu alimoniæ ineptum relinquit, ob id ergò vrina, sudorque sunt salsa quia à calore natiuo, elaborata non sint probe; quibus constat *Aristotelem* salsedinis caussam posuisse in mixtione quadam humidorum hali tuum cum siccis certa quadam proportione mistorum, ob id enim ipsum mare salsum esse existimat Phylosophus, quod cum terra ingentem hali tuum siccorum ac veluti vstorum copiam suppeditet, ij autem, vaporosis, & humidis item halitibus misceantur, qui sæpe in nubes, & áquam coguntur, necessario accidit vt semper huius facultatis non parua quædam portio intercipiatur, à qua salsuginosum mare reddatur: *Auic. p. p. doctr.* 4. *cap. p & p.* 4. *doctor.* 2. *cap.* 4. Salsedinis caufam bilis cum pituita mixtionem esse asseuerauit. Quæ tamen opinio *Francis. Vallesio controuers.* 7. non arridet: *Saxonia* eandem caussam retulit in permixtionem terreæ sed calidioris substantiæ in humido aqueo, hocque docere. *Galenum* asseuerat 5. *simplici cap.* 26. *quod videmus* (ait) *in putredine in qua pituitæ pars valdè putrida, & exusta conuertitur in cinerē, hic cinis est pars terrea, & adhuc calorem retinet, itaq; dum permiscetur hic cinis substantiæ humidiori pituitæ fit salsedo*; vide, & reliqua quæ apud eundem adducuntur, nam erunt pro hac doctrina satis proficua, ex dictis patet salsæ pituitę temperiem calidam esse vt 3. *aphoris.* 12. quæ cum ab hepate progenita fuerit feruidiori, nil mirum si, & dolores progignat validissimos, & potissimum cæphaleum vnaq; circa syncipu vlcuscula producat, materia enim præterquamquod salsa ychorosa maxime existit, quæ vt aiebat *Duretus* tenuis feritate acrior crassiore cutim exulcerat, &

à visceribus malè moratis pronascitur, & potissimum ab hepate vndè meritò Chymici voluere facultatem naturalem à sale radicali gubernari, quibus adiuncta illucens qualitas quædam à venerea lue communicata vt ex gummatis, & alijs intueri licuit, longè maior redditur affectio, non enim nunc animus mihi insurgit enucleandi malam illam qualitatem in quo consistat, cum nimis longus existerem, scio enim nonnullos illam in occultam qualitatem, & nobis incognitam redegisse; *Capiuacc.* verò *de morbo gall. cap. p.* dixit luem esse excrementum præter naturam toto genere, potens multifariam lædere hominem genitum ex humana substantia à simili: sic. *Herc. Saxonia lib. de lue Vener. cap. p.* intuens huiusmodi morbum communicari per linteos, & sudores existimauit esse caussam eamq; occultã, *Aurelius Minadous* ait luem veneream esse quid corporeum internum, illudq; spiritum seu vaporem esse statuit, idque ideò quia breuissimo temporis spatio defertur, communicatur, & participatur, doctissimus tandem *Senner.* ad qualitatem occultam, & à tota substantia luem redigit; quicquid tamen sit, cum alias de hoc à me fusius sit disserendum omnia nunc temporis missa faciam, hæc volui tantum obiter pertractare, autumans cũ *Sennerto* huiusmodi morbum non posse habere manifestam qualitatem, sed occultam, quæ sanè vbi fuerit corpori contagio communicata primò pars quæ contagionem accepit inficitur, & læditur, hinc per eam malum in venas serpit, & per eas ad hepar penetrat, (quamuis de hoc maximè ambigat *Alex. Petron. lib. de morb. gall*) quod vbi prauam dispositionem induit, & morbum malignum contraxit, sanguinem vitiosum luis venereæ semina in se continentem generat, quæ cum corpori sit inimica à facultate expultrice à partibus nobilioribus ad ambitum corporis pellitur, atque inde nutritio in toto corpore læditur, vndè maculæ, tumores, & tubercula, & vlcera ex quibus benè concludit Senner. luem veneream esse morbum occultum, & peculiariter malignum, contagione inductum, & contagium hepati, & facultati nutrienti in primis aduersum; & propterea nutritione in toto corpore læsa varios morbos, ac symptomata excitans: vnde nil miror hepar adeò laborare, ac malè moratum esse; additus præt. in viuendo erratis, cum continuò salita ingerere non fuerit veritus; quæ quidem hæpar ipsum accendere valuere, atque inde, & ventriculum debilitare, hepar namque nimio feruore concrematum ventriculi primigenium depredatur, indeque, & eructationes insurgunt, & ventriculi imbecillitates, & incoctiones, quæ omnium morborũ caussæ existunt, vt volebat *Gal.* ex inæquali enim intemperie morbos fieri propalauit *lib. 3. de inæq. intemp. cap.* 44. quamobrem venter omnibus hisce humiditatibus exundans, ad caput eas amandans, ibidem dolorem accersit, cum idem ex *Hip.* aut propter valde exuperans, aut imminutum fiat, quod sanè exsuperans diutius in parte permanens ex *Gal.* eandem in symbolam intemperiem adigit, indeque caput essentialiter oblæsũ prædicarem, quod continuò congerens, vnaque materias receptans, & copia, & acredine, seù mordacissima qualitate expultricem suppungit, immò non raro debiliori eadem existente materias retinet, & ad oculorum radices dolorem geminat, eademque validiori ad cutem seu superficiem materias transmittit, quæ, & multæ dolorem progignunt, & acres exulcerant, non raro eadem materia flatibus consocialis in ventriculum irrepit, & languores geminat, sicut in bracchia proreptans vel aliam partem eandem dolorificam reddit; Itaq; nil mirum si tot partibus intemperatis tot symptomata prosiliant;

varia

variæ namque partium intemperies varios humores progignunt; hepar namque vstos vt dixi, & ichorosos, caput, & ventriculus pituiteos producunt, ex quibus flatus emergunt, tum ratione caloris primigenij depauperati, tum ratione materiarum frigidarum à ventriculi imbecillitate progenitarum, quamobrem haud stupori hærendum nobis est, dum tam varia prosiliunt symptomata; quæ antequam aliquid deterioris accersant, ijs quam primum subueniendum est, quod an fieri queat prius est explorandum; morbi siquidem quià fortissima corporis parte fiunt maximi, & diuturni esse solent, propterea morbus quo de agimus contumax vnaque rebellis non sine maximo conatu debellabitur, eoque potissimum quò lues est adiuncta, quæ morbũ reddit contumaciorem, ac magis rebellem, intemperies sunt antiquæ, & æger delicatulus, quicquid tamen sit à curatione haud desperandum si tamen æger Medico obsequens illuceat, ac vna cum medicaminibus compar victus ratio adiungatur; quam quoniam scio à doctissimo curante viro ad miraculũ celebrari, eandem missam faciam; solummodo medicamentis incumbendo, quæ à multiplici fonte desumi possunt, nimirum à cacochymia, eaque deplenda; ab intemperiebus, eæq; corrigendæ, à lue eaq; prosternenda alexipharmacis est, & tandem à materiæ ad caput appulsu, eaq; reuellenda ad partes ignobiliores; Pro primo ergo explendo scopo, qui nobis materiam euacuandam esse proponebat, non alienum putarim, antequàm eandem soluente pharmaco rescinderemus, vt minorante aliquo vteremur, proindeque primò præscriberem syr. ros sol. & D. Aug. vnc. 5. sumendas de mane cum portione iuris, vt subinde possit dari a pozematibus campus, pro humoribus præparandis, vnaq; alterandis, qualia esse possent syr. de s. borrag. lupulorum, & de s. betton. cum dec. communi, quorum 1. 5. assumi poterunt, vt subinde denuò ad catharticum aliquod sed leue possemus aduentare, vt v. g. ℞. syr. ros. sol. D. Aug. an. vnc. 5. diacatthol. dr. 6. conf. hamech drach. 11. agar. trochis. dr. 1. 5. dec. cord. q. 5. mis. f. por. cap. interim dum à pozemata assumuntur. non alienum autumarim duas hirudines venis sedis affigere vt scil. Iecur refrigeretur; à sanguinis missione abstinerem cum apud *Galenum* aliosque cordatos autores vbi sanguis venenosam corruptelam susceperit à sanguinis missione abstinendum; ne sordidior reddatur omnium putredo; sat erunt ergo hyrundines pro visceribus impensè feruidis refrigerandis quemadmodum, & conseruam florum borrag. de mane assumptam non absonam crederem: nec ob id à iuribus alteratis abstinerem, quæ ceu, & Iecur refrigerent, & caput, ac ventriculum respiciant, & flatus dissipent, & tandem luem debellent, proptereaque illa cum betton. pararem, borrag. endiu. cicho. lupulis, fumaria, corticibus citri, fænic; melissa, addendo salsæ pariliæ quantitatem vna cum sandalis citrinis, sic enim, & refrigeraretur hepar, & roboraretur ventriculus, & dissiparentur flatus, & tandem eneruaretur lues, nec pro roborando pariter ventric. ceratum ex tachaamacha inutile fore sperarim quemadmodum ad aliud decoctum salsę non trascenderem tum ne ventriculus à salsa labem sentiret, quæ eidem est infensa, tum etiam ne idemmet satis debilis relaxaretur pro auertenda tandem materia ad caput appellente cauterium in crure adhiberem, & si alterum in bracchio præstaret nec esset inutile, si tamen illud infernum proficuum haud existeret: cucurbitulas, frictiones, & alia vt puta satis nota obliuioni nunc mando, vlceribus, seu pustulis illis nihil adhiberem, cum sit summe proficuum luem ad extimas

partes

partes propelli. Hæc ergo habui quæ possem currenti calamo scribere fax... autem Deus vt omnia secunda contingant.

CONSVLTATIO DE PHRENITIDE
Pro Dom. Alexandro de Rubeis à Paganica.

CONSVLTATIO II.

QVæcunq; *sine signo aliquo iudicationis disparent, difficilis iudicij* explanauit *Hip. vt puellæ Polemarci erysipelas 2. epist. sect.* 3. vnde *Vallesius in comm.* id explanans dixit *erisipelas non potest bene solui nisi paulatim, & exusta in parte male affectà cute relictoque vestigio; si nullo relicto euanescat repente, nō debet probari ea solutio, significat enim intro verti, quod tantopere in prognostico vituperatur* quod sanè bene probauit *Nicolai concubina apud Hip.* cui ob parotidas absque signo euanescentes mors presto fuit, sicque *Anaxenor 7. epid.* ob ortum tumorem circa sinistrum fæmur, illumq; repente euanescentem vltimum vidit diem intro scil. recurrente tumore, quo nihil in abscessibus potest esse periculosus; proptereaque nil miror nostrum languentem pedis tumore protinus euanescente, & ad caput palyndromem habito, incontinuum, perenneque delitium incidisse febrili caumati consociale, materia namq; transmissa à natura ad pedem, ad cerebrum remeans eiusdem inflammationem celebrauit, indeque subsequutum est delirium phrenesim æmulans; cum eadem nil aliud sit, quam perpetuum delirium, cerebri inflammationi, vnaque febri consectarium; quamuis *Valles. 3. epid. p. 1. comm. vlt.* Existimet de essentia Phrænitidis non esse delirium continuum, quoniā hoc interrumpitur aliquando, neq; semper æque fit, quoniam ægrotus ad mentem redit hoc colligit ex *Hip.* qui agens de *ægroto in Dealcis horto habitanti quarta* inquit *die vigilauit, delirauit aliquantulum quinta non dormiuit, delirauit septima similiter, octaua dormiuit, intelligebat*; Hic homo phræniticus erat, & ante solutionem morbi intelligebat, ergo non est necesse vt phræniticus semper deliret ad *Galenum* autem (qui Phrænitim delirium continuuò habere scribit) respondet dici continuum, quia reditus ad mentem non habet certas intermissiones, & statos periodos verum reprehenditur *à Pereda in adnotat. Ioannis Micch. Paschalij* dicente: *certè Vir alio qui doctus non rectè considerauit Phrænitidis essentiam, si enim delirium ex inflammatione sequitur, perseuerante inflammatione quomodo integritaret, non erit continuum. Tum si phrænitis non est deliriū continuum, quomodo distinguetur a paraphrænitide.* Quicquid tamen sit, sat est dicere Phrenitidē hunc morbum esse natum ex cerebri inflammatione, quamuis non ignorem iuxta *Hip.* decreta eandem phrænitidem nō in cerebri arce fundari, sed sæptum transuersum tanquā suam propriam sortiri sedem: *Phrænitis porrò fit* (dixerat *Hip.*) *cum bilis commota visceribus septo transuerso insederit*: id tamen quoniam *in meis epistolis* satis demonstraui nunc missū facio; quare nunc cū vulgata Medicorū opinione quamuis aliter sentiam, dicā eandem phrænitidem fieri cerebro affecto inflammatoria affectione nedum secundū eius substantiam, sed pariter inuolucra, quippè phrænitis aiebat *Gal. 2. de sympt. causs. cap. 7.* non tantum ex calidis ortum habet succis, sed suprà id etiam phlegmonem in cerebro, &

eius

eius inuolucris excitat, huiusmodi autem phlegmonosum affectum in substantia membrorum ideo requiri, aiebat, *Martianus* ad hoc vt delirium esset continuum, quia substantiæ vitium ex feruoris remissione, aut aliqua re superaccedente emendari haud potest; quod quidem perpendens Gal. phrenesis causam in sanguinem vitiosum redegit, eo enim impuro existente perfectam spirituum animalium generationẽ fieri est impossibile vnde ob id *p. de morb. sect.* 2. dixerat *Prænitis fit cum bilis commota ad venas, & sanguinem ingressa fuerit, quem commouet serosum facit, & calefacit, & inde reliquum corpus, & desipit homo, & non sibi constat præ febris copia, & sanguinis dicta transmutatione,* (Aduertendum autem per transmutationem non intelligi sanguinis corruptionem, sed eiusdem à propria natura transmutationem, transmutatur autem in his cum ex sanguine temperato melancholicus ob mixtionem atrabilatis succi fit) quandoquidem sanguis maximampartem confert ad prudentiã, quidam dicunt totum, vnde *tex.* 18. subdit: *Disipiunt semper in hoc morbo nimirum sanguine corrupto, & ex consueta motione sublato*: ex quibus constat (ait *Mart. in comm.*) caussam continuitatis delirij in qua phrenitidis essentia consistit in *Hip.* doctrina esse vitium in sanguinis substantia, quatenus ex vitioso sanguine spiritus putos generari est impossibile, quorum impuritati si calida intemperies associetur delirium oritur intermissione carens, & ex consequenti phrænitícum: quamobrem recte a *Salio p. comm. de morb.* dicitur inter omnia quæ in corpore sunt nihil magis ad prudentiam conferre ipso sanguine, hic enim cum in constanti habitu persistit, consistit, & prudentia, sanguine verò permutato concidit & prudentia, constat siquidem (vt *ex lib. quod animi mores temperaturam sequuntur*) animæ facultates rectè sua munia obire, dum corpus multa temperie donatum illucet, illudque si intemperatum fuerit, pro dyscrasiæ ratione morbos facere; quod sanè verificari magis credit *Petrus Salius* in actionibus rationalibus, hæ namq; cum nobiliores sint, temperamento admodum indigent temperato, ad quod celebrandum debet nutrimentum concurrere ex quo nutritur; & conseruatur, sanguinem ob id commoderatam debere temperiem vendicare sanciuit *Hip.* cum ab eo solo corpus nutriatur, & conseruetur; vndè ad prudentiam conferre pariter autumauit: (sciendum tamen nomine prudentiæ hic non intelligi virtutem illam moralem per quam ex præteritis futura conijcientes, & rectè operantes dicimur prudentes, vel vt ait *Bernardus super cantic.* non intelligi moderatricem illam virtutum, ordinatricem affectuum, & morum recticem, sed mentis constantiam, per quam homines rectè intelligentes mente constare, & intellectus compotes esse dicuntur) nil mirum ergo si vel corrupto sanguine, vel ad intemperiem translato homines desipiant, non inquam, ex impropria enim eius commoderatione hoc perpetrabitur; vel dum in cerebro talis consistit vel ad ipsum talis confluit, vel ad cerebrum similes euaporationes transmittit, quod à multis partibus fieri posse credendum, Iecore nempè, septo transuerso, cerebro, & corde: omnes enim has partes menti inseruire concredidit *Martianus*; Iecur quidẽ quatenus materiam pro generatione spiritus vitalis subministrat, ex quo animales spiritus animę instrumenta generantur, septum transuersum quod flabelli instar cordis, & spiritus vitalis feruorem temperat, cor in quo spiritus vitalis fabricatur, & cerebrum denique ipsum quod est animalis facultatis sedes, vnde ex inflammatione omnium istorum viscerum phrænitides innasci posse credendum, ob idq; crediderim *Hip.* ex septo transuerso inflammato deliriũ

efficere.

efficere conclamasse, quia eius consensus delirium concelebrat cerebrum, & sanguinem turbulentando à sua crasi, ob id *Hip. lib. de morb. sacro tex. 16.* sic ait: *Si verò timores, ac terrores accedant à cerebri transmutatione id contingit, transmutatur autem dum calescit, calescit autem præ bile vbi ad cerebrum impetum fecerit ex corpore per venas hæmatitidas hoc est sanguinarias appellatas, & timor adest donec rursus redierit in venas, ac corpus, deinde quiescit*: quibus verbis constat, quam sit necessarium in *Hip.* doctrina humorum separationē confiteri, siquidem à venis supponitur separata bilis, & ad venas redere: quod doctiss. *Martianus* in suo antiparalogis. tripliciter euenire concredidit vt nos quoq; probauimus *lib. de pepasmo*, motu scil. alteratione, & copia: indeq; *Petrus Salius* sanguinem ex debita crasi dimotum tria pati insinuauit, quod nempè in motu constituatur, tenuior fit, & calidior redditur; quorum trium ratione deficit homo, nam calidior factus caliditate febrili totum corpus, & inde cerebrum valde calescit, ex motu autem concepto facilè dimouetur, & quoniam tenuia, & leuia facile sursum ex propria natura ascendunt, ideò ex motu, leuitate, & tenuitate concepta ad cerebrum eleuatur, quod iam ex febre super calfactum vel in propria substantia, vel cum proprijs, & calidioribus euaporationibus petens, facit hominem necessario delirare: hunc tamen humorem qui ad cerebrum eleuatur bilem sanciuit Hip. dum dixerat phrænitidem fieri, cum bilis commota ad venas, & sanguinem ingressa fuerit: neq; ob id vsti humoris sodalitium à Iecore feruidiori progeniti denegandum, cum idem non cum risu tantùm deliret, sed pariter cum studio; ideoque innuebat *Senex lib. de mor. sacr. tex. 16. qui enim à bile insaniunt vociferatores sunt & malefici & nō quieti, semper aliquid intempestiuum facientes, tanto enim minor insania, ipsumq; delirium est, quantò paucior, & debilior est bilis, quam pituita dicebat idem Hip.* si namq; vt docet *Salius* solæ sanguinis euaporationes ad cerebrum attollerentur, in eoque reciperentur, noxa pro ratione humoris qui eleuatur, subsequeretur: vnde cum in nostro languente heterogeneus sit humor morbum faciens, sanguineus nempè, melancholicus, & biliosus, nil mirum si delirium nunc cū risu, nunc cum studio fiat, illudq; continuum, quoniam etsi deuterophaticum existat, ydiopathicum tamen factum est in capite pathema, quamuis protopaticum venarum fuerit; cum febrili prius caumate pressus tandem in phrænitidem commearit; quæ sanè cum morbus sit acutissimus, vt vigere est ex historia phrænitici ab *Hip. 3. epid. relati*, vnaque tertio die vltimum videntis diem, quamuis non ignorem *Galenum* existimasse huiusmodi languentem non ex phrænitide mortuum, sed ob succum prauum, & venenatum, quem homo ob prauam viuendi rationem collegit, subditq; huiusmodi phrænitidem fuisse quoddam veneni symptoma. Vnde Vallesius in comm. ait non esse impossibile phrenitidem finiri antè quartum, & produci vltra vigesimum, siquidem si aliqua maligna inflammatio partis cuiusdam externæ intrà septimum diem perimere potest, cur nequibit cerebri inflammatio, si eandem malignā esse contingat perimere tertio die, aut adhuc citius? quicquid tamen sit sciendum phręnitidem inter acutos morbos 2. acut. fuisse connumeratam, hancque qua premitur noster languens acutissimam esse ex tremoribus cum eadem combinatis satis vtiq; patet; quos *Hip. in coacis* vehementer damnauit aiens: *In vehemēter phraniticis tremores lethales sunt:* nec illa, quę dicit insomnia me in salutis spem adigunt, non inquam, cum insomnia euidentia non extent, sed turbulenta, vnaque tumultuosa, quod in prognostico vituperatur; *in phraniti-*

de

de enim insomnia euidētia bona dicebat *Hip. sunt autem insomnia* ait *Duretus verū quæ intelligūtur, & sensu percipiūtur in somnis quasi visa quadā & spectra. In effingendi virtutem à sensu communi rerum sensibus extimis perceptarum repræsentatio incidit*, qui sensus communis nunquam vt extimi quiescit, & feriatur, sicut nec animus bonarum cogitationum epulis saturatus; hæc tamen insomnia non turbulenta esse debent, sed placida, atq; tranquilla, quinimo euidentia, quæ referantur ad eum qui somniat, quique insomnia mente percepta commemoret, non autem ad nos qui somniantem; loquentem audierimus, vnde potius hæc vituperanda insomnia, quam aliter, proptereaq; quod rerum immagines vt refert *idem auctor* perplexæ, inter se non aliter corrūpuntur quā radij totæ citissimis versationibus circumactæ quamobrē cum simus in morbosatis dubio, quinimo, & præcipiti, vnaq; lethali ad medicam opemvel protinùs progrediendum est, vnde hypocondriorum refrigerationi, humorum alterationi, & materierum reuulsioni danda vtique est opera, proindeq; pro hoc vltimo explendo scopo non inutile fuerit sanguinem mittere, quamuis sciam ab *Asclepiade* id reijci, & primò quidem ob dolorem carentiam facile in syncopem labuntur, facile eorum habitus refrigeratur sanguine misso, & quia nullam habent remissionem; quinimò *Arculanus* pariter notat in phrænitide sanguinem, non esse mittendum, dum pendet à sola bile: vnde *Cœlius Aurelianus lib.p.acut.morb.cap.*12. Dioclem reprehendit, dicentem esse in phrænitide phlebotomandos iuuenes fortes, atque plurimum sanguine abundantes, vel consuetudine vinolentos, quosdam intra sextum diem aliquos verò etiam post septimum, & octauum: verum subdit *Cœlius Aurel. quantum ad hæc miseris erat melius debilitare potius, quam vana corporis fortitudine laborare, ne tantis cladibus errantis Medici vexarentur, etenim audacia, & irrationabilis fortitudo peiorantis est passionis, & magis in augmento fit, perniciesius autem cū passio vehementescit, vexato tantis turbationibus ægro lauacrum adhibere*, quinimò inferius subdit. *Phlebotomia quoq; à iugulatione non differet, cum vexatis viribus adhibentur vt aiunt, post septimum vel octauum diem.* Sed explosis his rationibus, tanquam inanibus ad phlebotomiam aduentarem, cum *Auenztar* statuerit eandem solam posse phræniticos persanare; e qua tamen vena mittendus dubitatur; siquidem ex Hip. habemus in epid. In doloribus proximum esse ventrem secandum sic veruntamen quoniam deueniendum est ad causā causęq; principium vt dixerat *Hip. in historia Itimargai ancillæ*, proptereà potius è talo sanguinem haurirem non vt *Actuarij* Græci auctoris opinatumsequar, sed vt materia quę in pedes irrepserat, inibiq; tumorem effecerat in eosdē reuocetur, nec inutile subinde erit bracchii venam cęphalicam tundere, vt scil. prout aiebat *Saxonia*, & arteriæ maiores, & venæ sanguine bilioso imbibitæ depleantur. Aduertendum tamen ne in his nimium sanguinem hauriamus, & vsq; ad animi deliquium, quinimò addebat *Cælius Aurel. loco cit. cap.*10. ne vltra diatriton, quod tamen est falsum, nam quandocunq; vires adfuerint, semper potest mitti sanguis, ea tamen præstita cautione vt vires non debilitemus: proindeq; in hoc casu loquens *Cælius Aurelianus* de phlebotomia vsq; ad animi deliquium dixit. *Quamuis enim in omnibus passionibus sit mortiferum, plus tamen in phræniticis afficitur male prætacta neruositas*, vnde *Aretæus lib. p. acut. morb. cap. p.* dixit. *Venæ quoq; incisor ne multum sanguinis detrahat, licet à principio sit, phrænitis namq; malum est in syncopam facile mutabile*. Quinimo *Mesueus* nedum hisce euacuationibus contentus esse videtur, sed sedis venas

B aperit:

aperit: quemadmodum alij, & potissimum *Alex.* frontis venas pertundit; quas tamen præmissis debitis reuulsionibus secarem, vel si id præstare nollemus, è venis retrò aures mitti posset; vel è venis narium ibidem hyrudinibus applicitis: sicq; refert *Zacutus lib.p. de praxi Medico, admir. obser.* 11. Historiam cuiusdam Ducis, cui cum sectæ essent venænarium, emergente profusa hæmorragia, indeque Diarrhæa subsequuta, vnaq; sudore, conualuit, interim cucurbitularum vsus non est deserendus vniuersim adhibitus cum scarificatione surarum & dorsi, quo materia ad caput irruens reuellatur; quinimò *Gal.* nedum dorso adhibet, sed etiam coronali Suturæ, quod doctiss. Capiuacceus pariter comprobat; quinimò *Cælius Aurel. lib.p. acut. cap.* 11. in hæc verba prorumpit: *At si plurimum laxamentum facere voluerimus, totũ caput rademus, & per circulum plurimas cucurbitas affigimus, alteram occipitio, alteram medio capitis, quod Græci bregma vocant, alias duas superius à temporibus, sed neq; cum multa flamma, neq; multò sinimus tempore immorari*; quinimò idem auctor nõnunquam easdem scarificat: vnde doctiss. *Septallius lib.6. animad.* 23. sic asseruit: *Cucurbitulæ quæ bregmati, fronti, & reliquis capitis partibus post euacuatũ corpus affiguntur, ad extrà trahendam materiam arentes nõ sint, & cum flamma, sed ex qua calida, nec longiori tempore hæreant, & si subiacens pars in tumorem abierit, leuiter eam sacrificabimus, sin minus spongijs ex aqua tepente substratum, & eleuatum locum fouebimus:* sic idem *Zacutus loc. sup. cit.* deploratam phræniticam enarrans, ait eandem euasisse cucurbitula cum scarificatione syncipiti admota, verùm hanc cucurbitulam adhiberem post alias præbitas reuulsiones, vt sanguinis missionem, cucurbitulas dorso, natibus, & surris cum scarificatione admotis, frictionibus præstitis, adhibitis vessicantibus, aliter enim maiorem cucurbitula trahet in partem effectam materiam, ideoq; cum dicente Gal. *quisquis humor petat caput, is repellendus sit à capite*, quam primum vessicantia adiberem, atq; cucurbitulas affigerem; sicq; cernimus *Celsum* dicentem non alienum esse occipitio cucurbitulam admouere, quæ quia leuat morbum potest etiam somnium facere. Neq; interim dum hæc præstantur, leniens aliquod medicamentum deserendum, quod possit prima excrementa purgare, & bilis feruorem compescere, inter quæ cassia cum thamarindis esset præstantissima; neque enim hoc medicamentum syruppis seu præparantibus egere videtur, tũ quia bilis quæ peccat præparatione non eget, cum tenuissima existat, vt volebat doctissimus *Manardus*, tùm quia materia ad caput appellans turgentis induit naturam, propterea q; aiebat præfatus *Saxonia* materiam turgentẽ non esse illam tantum, quæ huc atq; illuc indifferentur mouetur, sed eam quæ pugnat insigni copia, nimia tenuitate, nimia caliditate, aut motu ad partes præcipuas; propterea q; *Septall. loc. cit.* illos arguit qui ab initio non esse purgandum censent, sed expectandam esse coctionem, imminet enim periculum ne tota illa effrænis materia se in partem laborantem effundat, apostema perficiat, & vires prosternat; ideoq; *Gentilis*, vnaque *Matthæus* à fortiter purgantibus cauisse vsi sunt, vnde *Gal.* 13. *Meth.* 21. purgationem in phrænitidis curatione reliquit, putans forte ex his medicamentis febrem intendi, vires resolui, & morbum superiorem fieri; vnde *Arabes* toto principij tempore in phrænitide purgationem imperant medicamentis benignis, in fine autẽ fortioribus vtuntur, nam vt dixerat *Gal.* 4. *acut.* 76. vel statim ab initio priusquã in partẽ aliquã firmentur humores medicandum, vel postea cum ad maturitatem fuerint perducti; perinde ac si annueret (subdit *Zaccus lib.p.*) in principio phræni-

nidis, & cuiusuis inflammationis internæ indicatione sympta ab abundantia affluentium humorum purgatione reuellendum esse, quam verò humores firmati, & impacti sunt tunc purgationem eradicatiuá purgatione esse administrandum: ***Antequam enim*** dixit *Vallesius in hist. Scomphi in œniadis fluxio in parte firmata sit, aliquando, & si rarius ob dictas inflammationes vtile est reuulsoria vti expurgatione*: qua ratione crediderim *Hip. in Fullone in Lyro Phrenitico* pharmacũ, thapsiam nempè dediste, sic *in Helide* habemus *Timocratem quinto epid.* qui insaniens ab atra bile pharmacum bibit; non erit ergò inutile iniungere cassiã cum thamarindis, vt dixi cum simus in morbi principio, aliter enim potius cysteribus rem agerem, cum illi non nimiam faciant agitationem, ideoque *Vallesius in comm. acut. p.* 173. notat vt in lethargo, vel phrænitide expurgandi necessitas si quæ appareat, clysteribus suppleatur, calor enim pharmaci superueniens calori febris facit maniam, quod desumpsit ab *Hip.* aiente: *Febricitanti caput ne purgato, ne furiosus fiat, calefaciunt enim pharmaca purgatiua, & sanè ad caliditatem febrilem accedens ea quę in medicamento est, insaniam facit*; pro qua tollenda, & pro humorum euaporatione prohibenda oxyrhodina satis vtiq; probanda quæ quamuis exol. ros. aceto ros. & aq. ros. cõflentur, nihilominus oleum rosaceum omitterem, siquidem vbi nimius est capitis ardor, ex olei vsu intenditur, ideoque aiebat Hip. pinguia ad inflãmata nõ conducere, loco autem illius poterunt reliqua refrigerantia adhiberi, scimus enim & lotiones parati, nedum capiti sed pedibus; eaq; frigida adhibenda, cũ Galenus ipse niue refrigeranda esse iniunxerit; Aliud quoq; quod ab aliquibus commendatur explorandum, nimirum vsus succillimonũ in oxyrhodinis, nimium enim eadem adstringere autumauit *Septall.* & ob acerbas terrestresque partes neque peruadere, neq; admixtorum penetrationem adiuuare, quinimò externos meatus constringendo, resolutionem humoris in alijs temporibus impedire, nèque intereà alterantia intus assumpta sunt relinquenda, cum eadẽ maximi vsus existant, ideoque syruppos præscriberem de nymphæa, de violis, ac de papauere cum aquis violarum, nymph. plantadinis; hic enim syruppus præterquam quod sitim lenit, humoresq; temperat, somnum pariter conciliat, sicque humores furentes prosternit; hæc namque remedia quæ somnum conciliant preterquam quietem sanguini, & humoribus exhibent, vt docebat *Hip.* habent etiam vim concoquendi, incrassando vt reor, vnde bene *Dioscor.* opiũ dixit humores concoquere, idque sibi voluit *Senex cum lib. de vet. Medic.* dixit humoris eruginosi potestatem haud tolli, nisi idem vel euacuetur, vel prosternatur, vel permisceatur, quæ tria videntur nostro languenti esse ex vsu, euacuatio quidem humori turgenti, & ad caput perceptanti, permixtio vel concoctio humori qui separatur, & tandem prostratio eidem nimis tenui, & furrenti; pro qua præstanda, nedum intus somnifera prodesse dicuntur, sed extrinsecus adhibita, sicq; aiebat *Celsus lib. 3. cap.* 18 *omnibus verò sic affectis somnus, & difficilis, & præcipue necessarius est, sub hoc enim pleriq; sanescunt*, verum illa habita cautione quam vult idem auctor, ibidem sed inferius dum ait: *Sed si sic somnus non accessit, tũ demũ illis medicamentis accersendus est habita, scil. eadem moderatione qua hic quoq; necessaria est, nequem obdormire volumus excitare postea non possimus*, indeque in nostro casu *Zecchij* iniunctionem maximopere celebrarem vt ℞. vng. popul. ol. viol. an dr. 11. sem. alterci albi, rad. mandrag. an dr. 5. croci, opii an. gr. 11. vngantur tempora, nares, pulsus, volæ manuum, & pedum, *Gentilis* inter cætera somnifera ranas temporibus apposi-

tas.

tas commendat, easque quandoque viuas, quandoque sectas, putans fortè vt ait *Sassonia* easdem habere torpedinis facultatem, ita vt sicut torpedo eademque viua somnium conciliat, sic, & rana; quod tamen idem *Saxonia* peragendum esse autumauit dum phrænitis ad resolutionem tendit, sic quoque *Gilbertus Anglicus, Nicolaus Florentinus, Matthæus de Grad. & Gentilis* in statu pro materia digerenda animalium pulmones adhibent, sicut eorundem omenta, quinimò eadem animalia exenterari iniungunt, vt canes, pullosque columbaceos, & addita vnc. 1. pulueris hyosciami capiti superimponenda imperant, per dorsum, seu spinam dissecta; sic *Q. Sorenus scribit.*

Conueniet calidis pecudum pulmonibus aptè
Tempora languentis medica redimere corona.

Quod sanè remedium doctissimus *Massaria* reijcit ab hominibus ingenuis vt puta turpe, & inquinatum; quicquid tamen sit, id præstari poterit in morbi statu, saltem vt videamur omnem lapidem mouisse pro recuperanda nostri languentis salute. Neque ob id victus ratio est omittenda, quæ maximi momenti ab *Hip. in epid.* declaratur, ideoqne victus tenuis iniungatur, vnde *Hip.* solo potu vsque ad septimam ex mulsa aquosa facta maceratione hordei. sin vires non feruant, prissana modica tenui, actu frigida, & aquæ potione vtitur: verum quoniam vt aiebat *Celsus* hanc viuendi normam europea nostra non patiuntur corpora, ideò non tam tenui victu vtendum, sed eo, quem vires ferant; Et insumma vt aiebat *Aretæus cap. de phrænit: Esca humida omnibus quidem febricitantibus idonea est, sed phræniticis maximè, aridiores enim sunt, quā si sola adesset febris* proindeque vnanimes sunt auctores in exhibendis sorbitionibus. De potu maior difficultas existit; illud enim ab omnibus fere improbatur, vt *Gal. Hip.* & alijs, *Hip. enim in lib. de morb.* asserebat. *Potu verò vtendum est quocunque alio volueris præter vinum, aut acetum, & mel ac aquam dato, vinum, autem non conuenit mente motis, neq; in hoc morbo, neque in quibusuis alijs Gal. præt. p ste causs. pul. cap. 7.* dicebat validam alterationem iram exercitationem, & vinum concitare, quinimò *p. de sanit. Tuen. cap.* 11. dixerat illud partem animi rationalem hebetem, turbidamq; reddere, sicq. *in meth.* in quattuor casibus prohibebat, nimirum inflammationibus, in capitis dolore, in vehementi febre humorum cruditati cōsociali, & tandem in delirio: *Alexander tamen Trallianus lib. p.* incurarione phrænitidis vinum maximoperè commendat, sicque ait: *Quin & vinum quod sitium restinguat dare phræniticis audendum est, in quibus multæ vrgent vigiliæ, & vires sunt imbecillæ febres autē nondum vehementiam neq. ardorem habent, sed quædam concoctio vrinarum quoque in eis apparet*: subdit: *Præt. his potius cum fiducia d andum est, qui per sanitatem quoque vinum amare consueuerunt, & os ventriculi imbecillum, & natura frigidius obtinent, in his enim tempestiua est vini potio, & omnibus mente alienatis, si modice assumatur, nam ferociam ipsorum mutat, & ferinos mores ad hilaritatem transfert, somnumque conciliat, eò quod cibum celeriter concoquat, & in totum corpus distribuendum adiuuet,* doctissimus *Capiuacc. cap. de phrænitide* ait vinum in hisce casibus indicari à virtute imbecilli, cuius imbecillitatis signum sunt multæ vigiliæ, cum pulsu debili, lypothimia, oris ventriculi imbecillitate, corporis frigiditate, & vini consuetudine, cæterum subdit, *Capiuacc. videndum numquid virtus postulet, res præternaturam permittant, id quod faciunt febris remissa. calor præcordiorum debilis, materia concocta*, ideoque *Auic.* post septimū non ante pauxillum vini admittit: Ego tamen asseuerarim

statim in phrænitide ferè nunquam esse dandum, cum maximoperè mentem turbet, inflammationem adaugeat, spiritus agitet, rationem turbulenter, & omnia confundat, ideoque *Theod. Prisc.* dixit: *dare vinum phraniticis est ac dare venenum*, & quam vis *Erasistratus* 3. *lib. de febr.* Concesserit vinum cum melle; Respondet *Cælius Aurel.* aiendo Erasistratum non ad examen dandi tempora sumpsit, subdit: *Dicit deniq; multis profuisse, & miratur quomodo, nescius temporũ conuenisse fortuna*, quinimò *Themisonem* quoq; arguere est visus, qui vinum præscripsit declinationis tempore, cum neque omnibus hoc sit adhibendũ, sed solis illis qui simplici ægritudine afficiuntur; subdit infer. *Cælius Aurel: In graui enim, ac periculosa ægritudine, nudis, & sitientibus visceribus ingrediens vinum facile concurrit ad neruos atque mentis iudicium tollit, cum non habueris præmissum cibum, in quem incurrens quadam tarditate moretur*: quicquid tamèn sit dum deliriũ est in robore, vires sunt validæ, & febris adest intensa nunquam vinum admitterem, tunc enim præterquam omnia hæc augentur symptomata, increscit quoque phlegmonosum pathema; in quo dum nimium est *Alex. Trall.* quamuis nimium audax vinum exhibere iam pauitat aiendo: *In quibus igitur nulla feruens inflamatio, aut magnus admodum calor præcordia infestet, & vires infirmentur, audacter vinum ipsis exhibeto, maius enim ex eo commodum erit, quam quæ noxa fore putetur, si enim vires recollectæ fuerint, & non collabi permissæ omnia tentare possumus, & multifariam ægro succurrere, collapsis autem ipsis vigilia omnis Medicorum curatio desperata erit*; ita vt præfatus auctor quamuis audax timeat vinum exhibere vbi feruor inflammationis existit, nam vbi inflammatio est exigua, febris non magna, & morbus in declinatione vinum aliquod leue, & olygophoron exhibere non horrerem; hoc enim vinum aquosum caput non lædit, dixit Arabum Princeps, neque dolorẽ efficit; sic videmus doctissimos viros in pleuritidis declinatione vinum commendasse tum ad vires augendas, tum ad iuuandam anacatharsim, sic videmus. *Aretæum* dicentem *lib. 2. acut. morb. cap. 7. Si vini potandi necessitas homini incidit, diligenti consideratione opus est, neque enim vsque adeò tuta est in inflammationibus vini portio siquidèm vini potio inflammatione laborantibus dolores auget, inflammatione vacantibus natura incrementum affert*; ob hancq; rationem crediderim in pleuritide *Hipp. p. acut.* vinum dedisse ad vires refocillandas, quamuis *Gal.* dixerit ad humectandum; de vino tamen oligophoro putarim *Hip.* intellexisse, ea enim quę immodica sunt in qualitate, & immodicè sumuntur dixit *Gal.* mentem ferire, nequaquã autem aquosa, hæc namque putat mitigare ac frangere acrimoniam bilis amaræ; sicque non immeritò *Hipp.* ipse *lib. acut.* vinum hoc oligophoron dedit in capitis dolore, quamuis vetuisset, vbi suspicatus fuerat capitis dolorem vehementem, *si suspicatus*, inquit, *fuerit capitis dolorem vehementem vel mentis lesionem penitus à vino abstinendum, & aqua in tali casu vtendum, aut vinum aquosum, & album penitùs dandum, & penitus inodorum, & aqua modica insuper bibenda, ità enim robur vini caput, & mentem minus percellet.* ideoque *Gal. in comm.* asserebat: *Aquosum quidem, & inodorum benè dicitur, sed flauum non admodum recipio, nam ad ea aquosum album melius existit*: hoc enim tempestiuè adhibitum vires instaurat, concoquit, extenuat, incidit, vt in *meis epistolis* dixeram, *habet itaque* vt volebat *Vallesius in in comm. præfatæ sententiæ vinum commoda maxima, & maxima pericula, vt qui hæc respiciat nunquam eo vti audeat, qui illa vtatur semper: solam arbitror* (inquit infert:) *illam virium celerem reparationem, quam præstat vinum, nulla alia potione æquè suppleri posse, Atque ità cum pericula vini multum vrgent, nihil est aliud quod nos vino vti cogat, quàm debilitas, ob hanc verò quibusuis alijs repugnantibus omni in morbo*

vinum concedimus: hæc *Vallesius:* quinimò ob hanc caussam, idem ait, vacuato iã corpore, & capite firmo, & sputo coctu difficili, & contumaci dare licebit vinum, quod concoctionis, & excreationis necessitas vrgeat, & pericula fluxionis non admodum immineant. Quod si vtraque indicatio videatur vigere, & alia ex parte necessarium, alia ex parte non sine periculo vinum esse videatur, deligendum aliquod tunc temporis est vinum debilissimum, vt quod aquosum, & album, & odore vacans, illud enim commoditates vini mediocriter præstabit, & pericula non valde inferet. Indeque *Aretæus lib. p. acut. cap. p.* dixit: *sed cum metus sit, ne in vaporem humiditatemque homo dissoluatur, vnicum subsidium vinum est, caleriter enim substantiam alendo instaurat, & quoquo versus ad extremitates vsque permeat, tenori tenorem apponit, & spiritum torpentem ex pergefacit, frigiditatem calore temperat: laxantem madorẽ adstringit, extrorsum erumpentia, atque diffluentia coercet: olfactui suaue delectat; vires demum fulcire ad vitam prorogandam potest, atq. in insania ad animum demulcendum optimum est.* Concludendum ergò vinum in phrænitici concedi debere, cum in declinatione fuerint, febris remissa, vires debiles extiterint, & materierum reliquiæ in capite remanserint, quæ extenuatione indigeant, hæcq; sint satis.

DE VERTIGINIS AFFECTV

Pro perillustri ac nobilissimo Domino Ascanio Paschali Aquilano Patritio, & Militiæ Duce.

CONSVLTATIO III.

DVm ventriculi potestatem secum ipse pensauit *Diogenes ille Cynicus*, eundem vitæ Charybdim vocitare non est veritus, proindeque *Aretæus* eundem principantem, Ducem, omnisue hilaritatis, & ęrumnæ elargitorem nuncupauit; vt non inmeritò in nobilissimo nostro languente intemperantiæ olim propenso vertiginosum idem ventriculus, vt reor, procurauit pathema; voluptas enim concinente *Platone* esca malorum cernitur, eaue homines haud secus, quàm hamo pisces in rerum quasi carceres impingunt; iurè ergò elegantissimus *Fernell.* intemperantiam omnium morborum originem statuit; sciens eãdem cruditates progignere, vndè ventris torpor accedit, qui omniũ extat confusio vt dixerat *Senex in epid:* quas quidem cruditates ciborum copiã efficere explanauit *Gal. in Isag*; indeque idem *Gal. lib. de bonit: & vitio succorum* dixerat, si cruditates cauerent homines, nunquam morbo corriperentur, propterea que cauendum ab vberrima cibariorum ingluuie dixerat doctiss. *Andr. Laur. lib. de senect. cap. 5* quicunque enim salutem attingere concupiscit cum aliqua adhuc orexi è mensæ ambitu decedere debet, eæ namque dum à ventriculo aggerantur, earundem aliis partibus fons est, vt dixit *Hip.*; sicque in varias partes transfundit, & potissimum in caput, maxima namque inter has partes adest synthimoria, idue non aliter præstat, quàm vaporum præsentia, qui vt cecinit *Gal.* tenues facti vi hepatis caloris, in capitis velut arcem debacchantur, vndè & capitis dolorificæ illæ consurgunt sensationes, grauedines, catharri, & alii pænè innumeri morbi, in nostro autem languente vertigines, cum omnia ab eodem circumrotàri sic videantur, vt non rarò tenebricosis vertiginibus pressus ferè humum salutare coactus fuerit, idue vt di-

xi oo

xi ob vaporum copiam à ventriculi cruditatibus ingenitorum; quæ quidem cruditates quamuis ventriculum vt indigenam caussam sibi vendicent, caput tamen vt aduenam non explodunt, vt putà fontem è quo frigidum ac glutinosum subsilit excrementum, iuxtà diuini nostri Dictatoris sensa: quemadmodum & Iecur protopaticè affectum nequaquàm excludunt; illud enim ab incunabulis ferè feruidius existens destillationes parat, vndeque ventriculo ansam præbet cruditates congerendi; cum enim, vt aiebat *Gal.* ventriculi spaciositatem quasi ala contegat, dum nimio caumate torrescit, exiguum calorem primigenium inuentriculo stagnantem depauperat, illumque absorbet; haud secus quam dixerit *Aris. in problem.* dum lucernę ac maximæ flammæ analogismum adduxit, *multus enim ille* (dixit) *exiguum ad se rapit:* atque ità Iecur dupliciter uidetur oblęsum, primò uentriculum primigenio calore, uiuifico scil. quasi nectare uiduando, secundò materias in halitum commutando, dum extenuationi operam nauat, sicque nil mirum easdem in caput elatas uertiginoso pathemati ansam suppeditare, fluxionemque accersire, fluxionem quidem frigidioris nempè cerebri potestate densatis uaporibus, uertiginem uerò uaporibus turbulentam spirituum agitationem celebrantibus ut doctiss. insinuauit *Duretus*; quo quidem motu, seu agitatione interturbati spiritus ueluti flamine, flabro, uel turbine in capite circumacti omnia efficiunt circumrotari, ut *Hollerius* dixit *in Coac*: *omnis enim* (dixit *Iacotius*) *spiritus flatulenti in capitis sinuosis amphractibus generatio, siue ibi sit localis, siue ex imis infernis artubus eò feratur, flatus tamen, aut vapor, præterquam quod turbamentū ominantur, omnia turbulentare posse concreduntur; natura enim crassos humores aggressa soluit quidem inflatus, sed non dissoluit, eosque dum inordinatè mouet. natura vertiginem gignunt,* quinimò ijdem ut dixerat *Senner.* per uenarum canales, & arteriarū tubos diuagantes unàque circularem motum nacti animales spiritus turbant, & mouent, ità ut in illis angustiis occlusi inter se se orbiculari circumrotentur circino, & nedum sic phantasiæ, sed sensui quoque communi fictā hanc rerum externarum vel proprii etiam corporis speciem exhibeant: vndè non malè *Capiuaccius* insinuauit hanc vertiginem affectionem circularem existere à spiritu animali progenitam præternaturam circumductio, cuius prætærnaturalis circumductionis caussam pręfatus *Sener.* in vaporis, & spiritus omnis naturam fluxam, ac mobilem calidi potissimum; vnàq; tenuis redigere voluit, hincq; cōtingere arbitror ut qui in cerebri arteriis spiritus obtinēt feruidiores facillime uertiginoso pathemate ingemiscant; quod patet ex *Gal.* *3. de loc. aff. c.* 8. ubi hęc habetur: *etenim aliæ arteriæ ijs maiores ad cerebrū ex ipsius basi per retiformem plexum ascendunt per quas huiusmodi affectionem fieri rationi consentaneum est, elato per ipsas vaporoso, calidoq; spiritu atque implente cerebrum:* quos sane uaporosos calidosque spiritus eos retinere concrederem, quibus retorridum hepar illuxerit, è quo tanquam efficiente, & è sanguine præternaturali caumate conferto tanquam materiali caussa, & minera prosilientes fumi, ac per capitis spaciositatem diuagantes vertiginosum creant affectum, ideoque, *Hipp. lib. 2. de morb. tex.* 4. dixit: *Cum venæ supereuomunt, dolor, & vertigo, & grauitas caput occupant; dolor quidem præ nimia sanguinis caliditate, vertigo verò cum acervatim ad faciem processerit sanguis, grauitas autem quod copiosior sanguis sit in capite, & turbulentior, ac morbosior, quam intrinsecus supereuomere quidem videntur venæ, cum ad eas bilis, aut pituita superingressa fuerit, eleuantur enim venæ, & pulsant, & dolor per totum caput dispergitur*; quod quidem admittere in nostro languente non absonum crederem cum continuo rubore faciem suffusam habeat, ac

hepar nimio feruore donatum, non ob id tamen pituitę sodalitium explodẽdum, cum continuò materia è capite destillet, ac perennem expuitionem, seù ptyelismum velut pariat; E triplici ergò origine, tanquàm fonte vertiginem hanc sua vendicare primordia mihi suasum habeo, e continentium, seu viscerum *δυσκρασια*, vt putà capitis, ventriculi, & Iecoris, è contenti seù humorum vberate, sanguinei f. adusti, & pituitei, & tandem ex spirituum inordinato, confusoque transcursu à flatibus, vaporibusque præstito; cui sanè trimembri caussæ, triplici indicatione suppletur, flatibus nempè dissolutionem impartiendo, materiæ vbertati pharmaco succurrendo, & continentium dyscrasiæ alterantibus prouidendo: Cęterùm non ob id facilè huiusmodi indicationes explere posse concrederem, cum intemperies priscę videantur, humorum sit magnus prouentus, errata non exigua plasmentur, & flatuum seù vaporum perennis emergat origo: quoniam tamen, *Hip. Iuuentuti omnia gratiosa* esse propalauit, propt. eidem medica non est deneganda manuis, eò potissimum quò hic languor non raro inducias habens, apoplexiã, vel epilepsiam accersit: & quamuis ad illum profligandum plura fuerint adhibita, adhuc tamen in robore persistit non enim prodesse potuit iterata corporis inanitio, non sanguinis & è bracchio, & è venis sedis missio, non pillulę ad deonerandum caput idoneæ, non apophlegmatismata, non cucurbitulę, non inustiones, non iura, non alia ad id consona; ideoque meliori aduentante tempore verno nempè, denuò eundem repurgarem, sed lenioribus pharmacis, tum vniuersum corpus, tum caput respectantibus, idque per vices præstarem, non enim vni paret euacuationi is affectus, qui à perennibus viscerum dyscrasiis agnoscit initia, quod intuens *Gal* epycrasim adeò decãtauit, vt eam in omnibus chronicis affectibus commendarit, hoc vnum tamẽ animaduerterem, vt ante omnia eundem eccoprotico aliquo subducamus medicamine, vt ceu deonerata quo quo pacto natura fortior insurgat ad demolienda repagula, quę à morbo aggerata fuere, & si non ignorem id à doctissimis quibusdam viris reprobari, idque in ijs potissimùm, qui febrili caumate cremantur, eo potissimum dogmate suffulti, quo diuinus *Senex* promulgarat: *Concocta medicari* &c. quod tamen in nostro affectu voces non habet, cum coctio putredini debeatur, cum faciat ex Gal. cessare putredinem manente substantia, quicquid tamen sit, lenirem aluum vel syr. ros. sol. & D. Aug. adiecta mellis ros. sol. portione, vel electuario Alexandrino, & el. Diacatthol. vt subindè ad præparandas syruppis materias tenaciores possimus deuenire, quales esse possent syr. de f. beton; de f. bortag. & mel. ros. cum decocto cõmuni addita radice pęonię, & coriandris prępar. quibus assumptis denuò deuenire possemus ad purgationem pręstitam cum syr. ros. sol. D. August. el. Diacatthol. & agar. infuso in aq. beton. & endiuię Iecoris exæstuantis gratia, cuius quoque ratione infunderem modicum rhabarbari; quibus si non leuetur languens ad caput repurgandum deuenirem, ideoque pillulis plasmarem aggregatiuis, de hyepar cum agar. & de tribus cum rhab. non enim sine bile pergit affectus: scio ab *Hipp.* non pillulis siue alijs medicamentis caput fuisse repurgatum, quam apophylegmatis, errhinis, sternutatorijs, & similibus, per septem vias, aiebat *Senex* repurgatur caput, per aures, nares, oculos, & os, indeque *Cardanus* illos irridet Medicos, qui pillulis putant caput deonerari; hoc vnum tamen aduertendum esse opere pretium ducere, quod sc. animaduertit *Septallius in suis animaduers. lib. 6. num.* 47. sternutatoria videl. non esse in vsum ducenda, cum enim vertigines ex humoribus in cerebro

conten-

contentis eleuati vapores, & exhalationes inordinato motu, & in gyrum cieantur, è sternutatoriis malum imminet, sicut è validis errhinis; quamuis enim aliqua materię pars educatur, symptoma tamen sępe augetur, concitatur magis, & ex subito motu materiæ morbus in epilepsiam mutatur; *quæ enim debilia sunt errhina* dicebat *Hip ab oculis, & hinc vicinis naso partibus, quæ verò fortia, à toto capite ducunt*; apophlegmatismata tamen non desererem cõfecta lenibus medicamentis vt cera, vnàque masticher: quę vt proficua experiens, magis vtilia in posterum cernet; Quicquid tamèn sit, dum huiusmodi purgationes, vnàque præparationes præstantur; cum admodum plethoricum corpus existat, venam mediam secare non horrerem; quamuis sciam, *Gallenum lib. de cur. rat. per sang. miss. cap.* 19. in vertiginosis pedum venas pertudisse, quod sanè qua ratione iniunxerit multiplex fuit opinio; *Mercurialis*, namque tunc temporis id concelebrandum esse concredidit, cum nempè morbus per consensum fit, ego tamèn tunc *Geleni* consilium exsequendum esse probarem, cum morbus ex aliqua inferna suppressa euacuatione dimanat, vt putà suppressis mensibus, vel diminuta, abolitaq; venarum hęmorroidalium euacuatione, proindeque è bracchio potius sanguinem proiicerē, sic enim & fieret deriuatio materiæ appellentis ad caput, vnde *Aretæus* meritò *lib. p. de morbis chornicis cap.* 3. hoc dixit *Deinceps capitis remedia subiungenda, vena cubiti recta aut nasi arteria vtrinq. in angulis secanda*, quemadmodum nõ inutile fore sperarim affixionem hyrudinum venis sedis; sic enim fieret omnium reuulsio: pro qua pariter celebranda inustiones maximè ex vsu esse possent, quas tamen cum gestet, & ad rem missas nunc facio; quod si casu contingat morbum adhuc proteruire, ac perennis illa fluxio perseueret, ego tanquã ad sacram anchoram confugerem ad chinæ radicem cum; sandalis, & aliqua salsę paril. portiuncula eaque omnia in iure ebullienda iniungerem addendo inferuoris fine beton: pęoniam, cichor; borrag; endiuiam, coriandra, & similia: cæterum quoniam corporis moles in nobiliss. nostro languẽte, vnaq, eius obesitas chinam videtur renuere, cũ per substantificam quandam humiditatem, vt ait *Senner.* homines pinguiores efficiat, propt. videtur eadem à nostro languẽte esse seiungenda: verum vt liberè ac ingenuè fatear eam, quæ ad nos aduehit, chinam substantificam illam humiditatem deposuisse concrederem, cum annosa huc in nostras transuehatur regiones, præterquam quod in corpore tot humiditatibus exundante id admittendum haud quaquam censerem; quod si hęc explodenda, non renuerem lignum de visco quercino cum alijs additis, quod quamuis pro vino limphando vsurpasset, vlterius prosequi non erit inutile, cum pertinacia inuantis malum corporis vincat, interim possent multa adhiberi vel electuaria, vel alia medicamenta ad compescendos ascendentes vapores, vnàque dissoluendos, pręstita quidem ex conserua rof. seminibus coriandr. pręparat. rad. pęonię, spec. diamusci dulc. vel diambrę, & similibus: quibus quidèm compar victus ratio instituenda, quam desero vt benè ab alijs institutam. Deprecor tamen Deum, vt quæ omnia proposui remedia optatum finem salutis habeant.

DE VERTIGINOSO PATHEMATE
Pro adm. Reuerendo D. Archipresbytero Sancti Petri de Sassa.
CONSVLTATIO IIII.

DVbium haud est, morbum quo ad Reuer. afficitur languens, vertiginosum esse nuncupandum, is enim ex omnium Medicorum consensu in quodam rerum circumactu consistere videtur, indeq. *Aretæus lib. pr. cap.* 3. talia dicta dedit: *Si tenebræ oculis pretenduntur, & caput in turbinis modum circunduci videtur, & auribus murmur veluti delabentis cum strepitu fluminis insonat, aut tanquàm ventus flatu vela percutiens, aut tibiarum, fistularumq. cantus, aut veluti stridor plaustri currentis obstrepit vertigo huic vitio vocabulum est*. Quamobrem istemet affectus in imaginatione reponitur, quoniam si verum est, quod dicebat, *Aris. lib. de animal. incessu* ab imaginatione scil. animalium motum regulari, iurè asserere possumus motu ipso vitiato imaginationem paritèr vitiari. quod nec à *Gal.* doctrina videtur discrepare, & quia ipse asseueret *lib... de sympt. differ. cap.* 2. deprauatam imaginationem esse delirium, si quidem non quælibet deprauatio delirium existit, sed tunc tantummodò cum æger huic deprauatæ imaginationi assentitur, quod non contingit vertiginosis, quam quidem imaginationem deprauari, uel ab humoribus, uel à uaporibus spiritus ipsos animales circumuoluentibus, nec dubitandum est: *Gal. verò lib. 3. de loc. aff. cap* 8. duas assignat uertiginis caussas inæqualem scil. cerebri intemperiem, cuius caussa inordinatus hic fit, & turbulentus spirituum motus: & uentriculi consensum, ubi uidelicet à uentriculi ore inquietus ille calidus, & vaporosus spiritus ad cerebrum effertur, vtranque autem proprijs indicijs aptè distinguit, vt vult *Zacutus*, & contra Archiginem concludit etiã in ea, quę per consensũ fit affici cerebrũ quod ille inficiabatur: *Mercurialis* tamen in sua praxi asseuerat inæqualem cerebri intemperiem non esse vertiginis caussam immediatam, sed mediatã, nã ex inæquali intemperie fit obstructio, & situs mutatus spirituum, qui inæqualiter, & inordinate mouentur; sic *Auicennam* reijcit dicente *p. 3. cap.* 1. *tract.* 5. intemperiem solam calidam sine humore, & sine flatu interdum vertiginem celebrare, exemplum afferendo aquæ ebullientis, quæ mouetur tantum in gyrum à calore ipsius ignis, sic *Auenzoarem* refert *lib. p. tract 9. cap.* 18. scribentem timorem, & profundas cogitationes vertigines nonunquàm inducere, non alia ratione nisi quia spiritus accenduntur, accensi dilatantur, & in orbem mouentur, cui quidem auctorum sententiæ respondet pariter *Mercur.* doctiss. aiendo ab hisce intemperibus flatus excitari qui scil. aquam in girum cieant; quicquid tamen sit cum doctiss. *Io. Stephano* in sua Cænologia dicã caussam internã vertiginis esse inordinatum spiritum motum præsertim si hi flatuosi, & sint halituosi quos generari vult *Gal.* à debilitate caloris innati 4. *acut.* 42. & 3. *de causs sympt. cap.* 2. neq. ab hoc dicendo *Stephanũ* arcent quædam sed inania quorundam argumenta, quibus probare contendunt caussam vertiginis non esse spirituum agitationem, eo quia spiritus in visione nil aliud, sunt quàm medium quoddam specierum, seù imaginum suscepti uum, quod medium dum agitaturhet mouetur, non infert phantasiam obiecti immoti quasi moueatur, quia sic medius aer aliquandò agitatus efficeret quod res omninò quieta iudicaretur, cuius contrarium experimur quantumuis spiret, & impetuosè moueatur: non inquàm ab his rationibus horret,

ret, quinimò animosè satis respondens ait, non valere comparationem aeris cum spiritu, aer siquidem non se habet vt agens, vt spiritus, sed medium visionis, quamobrem cum spiritus visorius in vertigine, qui non medium in visione, sed agens est, & instrumentum circumuoluitur, nil mirum si visa itidem in orbem ferri existimentur: spiritus enim ex *Gal. 3. de loc. aff.* 7. sunt instrumenta deferentia in corpus sensum, & motum; cum ergò spiritus dimouentur vertiginem aduentare posse credendum inordinatè tamen moti, quamuis non ignorem ex *Auic. Theophrasto*, & *Gal.* humorum paritèr vnà cùm spiritibus motum eandem posse accersire; *Gal. siquidem* 3. *aphor.* 17. sic dixit: *fit vertigo, cum humor cum crasso spiritu in capite mouetur*, ideoq. vt apud *Mercurialem* legitur *Constantinus Aphricanus* vertiginis caussam in nimiam humorum abundantiam cum ventositate mixtam redegit, quod tamen non ità facile esse posse mihi suasum habeo, vt vapores, vel flatus ità possint humores agitare, vt in girum rotentur, nisi sint admodum tenues, & serosi, cum enim viscidi sunt, vndiq. crassi, & cerebri amphractibus inhærentes, nescio quo pacto possint circumrotari; nisi velimus cum *Sennerto* asseuerare *lib. p. par.* 2. *cap.* 4. id contingere ob angustiam, quam pariunt huiusmodi humores in cerebri meatibus, eos obstruendo, tunc enim temporis spiritus animalis per loca impedita mouetur, & retrocedit, angustiam tamen hanc non integram censet *Senner.* nam fieret Apoplexia, quinimò eandem nedum ab humore pituiteo, aqueò, & seroso fieri posse insinuat, sed & à vaporibus crassis, à cranij fractura, & deniq. à subsidentia; sed quicquid sit, nulli dubium est huiusmodi vertiginem immediatè à motis spiritibus animalibus, & circumactis fieri, siue id sit ab humore siue à vapore, siue à flatu, non est præsentis loci id disquirere, sat est si dicamus in nostro casu, à vaporoso, flatuosoq. spiritu animales spiritus circunduci, eosq. originem ducere potissimum à pituitosa minera, eaq. à ventriculo progenita, vtpute omnium cruditatum genitore, sumus enim in sene ad pituiteas materias congerendas idoneo, ideoq. dixit *Gal.* 3. *de sympt. causis* de senibus loquens: *quare nec probè cōcoquunt ob caloris penuriã, nec ritè nutriuntur partim ob siccitatẽ partim ob imbecillitatẽ alteratricis potentiæ, iam digestio per corpus ipsis, & tarda, & imbecilla est, nimirũ instrumentis veluti torpentibus obfrigiditatẽ*, præterquam quod prauorum esculentorum ingluuies id potest confirmare, vt & vita sedentaria; nam vt *Gal.* 4. *de sanit. tuen.* asseuerabat *qui in otio degunt, hi potuitosum succum solent accumulare*, ideòq. *Cælius Aurelianus lib. p. tardar. pass cap.* 2. dicebat vertiginem frequenter vacuos homines afficere, hoc est sine aliquo exercitio vitam ducentes, insuper anorexia, qua infestatur, ventriculum oblæsum indicat, sicuti oris amarities bilis præsentiam in ventriculo vt in aphoris *Gal.* explanauit; sicq. non arduum est ab heterogenea cacochymia posse subleuari vapores, qui ad cerebrum ascendentes vertiginem pariant, à bile enim, ac pituita eos posse progigni dixerat *Auic. par.* 3. *tract.* 5. *cap. pr.* ibi enim dicebat: *Vaporis autem materia quandoq. est cholera & quandoq. est phlegma*: quemadmodum à sanguine oriundos prædicauit *Hipp.* dum de venarum superuomitu contexebat verba: sic à minera pituitosa posse produci quis ambigit, dum cernimus in hypocondriacis millies vertigines prosilire: ex quibus patet vertiginem qua afficitur noster languens non idiopaticam esse in capte, sed à ventriculo sympathiam agnoscere; vndè meritò *Gal.* dixit 3. *de loc. aff cap.* 6. vertiginosum affectum ob uentriculi consensum solere produci, quod confirmauit *Auic. loco sup. cit.* dicendo *Illud enim plurimum fit ex stomacho*: *quod quandò contin-*

git

git, ibi etiam flatulentus spiritus producitur: unde dicendum uertiginis nostrę caussam esse anadromem fumidi vaporis, qui & ab impuro stomacho reliquisq; partibus ex halat, & spiritus animales circumrotat, vnàq; circũducit propteraq; ne vlteriùs serpat affectio, & in nostro sene vel apoplexiã cõuocet, vel epilepsiam accersat, medica manus porrigenda; non enim ignoro *Cælium Aurel. loco cit.* dixisse huius passionis affectionem saluti innoxiam esse, hoc est sine vllo periculo, nisi quis martenus, aut ex alto cadens, ratione casus potius, quam passionis violentia perire videatur: loquutus est enim *Cælius Aurel.* de simplici vertigine, & exigua, quæ alios non conuocet vehementiæ gratia morbos, nam vertigo vbi est vehemens non parum discriminis affert, quod intuens idem *Cælius* dixit eandem esse paruam epilepsiam: quinimò *Gal. 6. de sanit. tuen. cap. 12.* dixerat vertiginem velut epilepsiã esse magnum affectum, nostram tamen vertiginem, non ita grauem nuncuparim, cum non magna existat, sed non sit admodum antiquata; proindeq. ne inueterascat, ac in simul discrimen ascişcat, remouenda quoad fieri pot est: cumq. dixerim affectum huiusmodi à ventriculo initia duxisse, propt. ad ipsum reuoluendus est animus, vnàq. repurgandus materijs quibus exundat, indeq. meritò *Auic. par. 3. tract. 5. cap. 3.* hæc asserebat: *Et si fuerit caussa in hoc ex stomacho, & humoribus in ipso administra vomitum cum aqua, in qua sunt anethum, & raphanus, & ponantur in ipsa mel, & sal, & reliqua vomitiua temperata:* quod priùs dixerat *Hip.* dum vertiginem dixerat purgatione egere per superiora: quibus auctoritatibus *Rases* ductus in vertiginibus curandis vomitum anteposuit, & *Aretæus pri. chronic. cap. 3.* dixit *vomitibus a cœna, nec non vomitibus ab esu radicularum uti posteà decet, quin etiam ad veratri assumptionem hæc præparatio fuerit*; nec obstare videtur *Gal.* dum *13. meth. 11.* in affectibus ventriculi vomitum improbauit, sicut *Hip. lib. de loc. in hom.* in occulorum affectibus (qui in vertigine patiuntur) vomitum reiecit, siquidem tunc verum est id quod dicit *Gal.* cum eadem et ventriculi substantia phlegmone aliquo tentatur, secùs autem cum ventriculus multa materia scatet, *sola enim euomi natura apta sunt quæ in ventriculo continentur*, dicebat *Gal.* quinimò idem *Hip. lib. de aff. tex. 15.* in affecto ventriculo vomitum commendat; siq. idem *Hip.* in oculorum affectibus vomitum explodit, loquitur senex de affectione oculorum essentiali in capite, non autèm à ventriculo pendente per eius consensum, vomitu enim turbati spiritus vertiginem validiorem accersunt: quamobrem si spontaneus esset vomitus nulla ratione melius prouideri posse sperarem quam vomitorium adhibere, verùm cum vel maximo conamine nequeat eumdem conuocare satius erit per secessum materiam euacuare, quę cum multa sit priùs minoranda, deindè cathartico euacuanda; minorarẽ igitur illam exhibendo mellis ros. sol. ad vnc. iij. syr. ros. sol. ratione oris amaritiei ad vnc. 13. cum decocto cord. f. potio; quæ quoniàm est via ad alia medicamenta, post illam serapia poterunt assumi conflata ex syr. de beton. de .s. borrag. & eximel. addendo decocti communis cum rad. pęonię, beton; coriandr. vnc. iij. vt subindè quinq; ex his assumptis possimus deuenire ad purgans aliquod, sed lene medicamentum vt ℞. syr. ros. sol. mellis ros. sol. an. vnc. 15. diacatthol. dr. vij. agar. trochis. dr. 5. dec. cord. q. 5. mis. f. pot. cap. nec ignoro *Hip. 2. prædict.* dixisse perniciosum esse medicamentis purgare vertiginosos, eò quod vt asserit *Gal. in comm.* debiles existant, propterea vbi debilitas extiterit contraindicatur medicamentũ nedum in vertigine, sed quolibet alio pathemate, indeq; in hoc casu *Aetius* vbi sup. dicebat:

Si verò quid sanguinis detractionem impediat, velut gracilitas, aut aliud quid ex sæpè relatis, subducatur aluus primùm per Clysterem, & furfurum succo, spuma nitri, & melle, posteà verò picra ex aloe compositio assiduè detur nec *Hip.* ab hac re dissonus esse videtur, cum *lib. de aff. tex. 2. sic* dixerit: *Si verò alias, atq. aliàs doloret vertigo in caput inciderit, prodest captis calefactio, ac lotio multa calida, & purgatio à pituita*: Neq. sola purgatione solet huiusmodi affectus, sed non rarò phlebotomia egere videtur, ita vt dixerit idem *Aetius*: *si igitur vires robustæ fuerint, & nihil aliud aduersetur vena secanda est*, siue principium affectionis fuerit, siuè tempus iam progressum fecerit: & *Gal. lib. de venę sect.* dixerat se se in vertiginosis sanorum etiam actiones obeuntibus solitum fuisse sanguinem mittere; de loco tamen non vnanimis est Medicorum opinio, quippe *Hip. lib. de aff. tex 2.* de vertigine verba faciens dixit *Prodest autèm etiam si sanguis de naribus fuerit detractus, aut à vena in fronte* ob eam scil. rationem, quã *in epid.* dicebat: *In doloribus proximum venam secare Gal.* nedum ex naribus sanguinem non haurit, sed ex pede: sed quicquid sit quoniam sumus in sene, eoq. multis cruditatibus pleno, ideò à sanguinis missione abstinerem, cum enim humor longè distetà natura sanguinis ex *Gal. 4. de. sanit. tuenda*, nequaquàm est sanguis mittendus, sic quoq. in sene ob virum languorem, qua ratione *Gal. loco sup. cit* dixerat *Si vires imbecilliores dehortantur sanguis mittendus non est, sed deiectione mediocri vtendum: at costante robore virium, si lassitudo adhuc infestet, ac vitiosus quidem humor qui ipsam gignit cum sanguinis copia consistat, vena tudenda est, aut aliquid quod tantundem valeat agendum; sanè tantundem potest hæmorrhoidum, menstruorumq. prouocatio, quibus suppressa sunt*: quamobrem ob omnes causas supradictas à venę sectione abstinerem, & potissimùm cum nulla adsit plethoria, quod si fortè cogamur sanguinem mittere, seruandum est illud *Aetij* præceptum *loco sup. cit.* quo dicebat: *In venę autem sectione vitandum est, ne aceruatim euacuemus, eò quod ex qualibet occasione concidant, quare pluribus detractionibus ex quibusdam interuallis vtentes congruam mensuram explebimus*: cæterùm vt ingenuè fatear præstitis vniuersalibus euacuationibus si senectus non prohiberet aut frigidus habitus, id quod cum minori virium fieret dispendio esset arteriotomia à *Gal.* tantoperè *lib. de cur. rat. per sang. miss.* concelebrata ibi enim asserebat: *Consueuerunt etiam Medici interdum secare arterias quæ in temporibus, & quæ secùs aures consistunt, illas quidèm infestantibus oculos fluxionibus, tum calidis, tum spirituosis, has verò quæ secundum aures, in uertiginosis maximè, & ijs qui calidis, & diuturnis, spirituosisq. capitis doloribus infestantur*: quod crediderim *Gal.* commendasse eò quia vt idem asserit *6. de sanit. Tuen. sunt capita, quæ propter arteriarum temperamentum in uertigines, & capitis dolores incidunt*: verum subdit *Gal.* hoc genus propositæ artis limites excedit: His igitur ità stantibus, ac explosa omni sanguinis missione caput pillulis repurgare non erit inutile, quod poterit consequi errhinorum, & apophlegmatismatum vsus, nam sic *Aetius* idem asserebat ad pituitam e capite deturbandam esse vtendum per os detrahentibus, & gargarismis ex origano, pulegio, & aceto mulso: Interim ventriculus roborandus est vnà cum cerebro tum intrinsecis, cum extrinsecis remedijs, vt cerato ex tachamacha, ol. de absynth. de mentha, & similibus, sic quoq. tab. ex sp. arom. rof. diarhod. Abb. plyris Arcot. cum conf. rof. Sic pro auertenda materia quæ in dies congeritur non inutile erit inustionem dextro cruri affigere, quemadmodum ad exsiccandam pituitę colluuiem chynę radix maximè ex vsu esse posset, addita portione ligni saxafras cum sandalis citrinis in iure ebullita, cui si in fine

D ebul-

ebullitionis addatur cichor : beton ; mentha, coriandra, & radix pæoniæ non erit ab re ; quemadmodum aqua ex ligno de uisco qr ercino pro limphando vino : atq; hæc potui currenti calamo scribere pro recuperanda salute adm. Reueren. nostri languentis, faxit Deus vt fausta succedant.

DE VERTIGINE

Pro adm. Reuer. Patre Placido ordinis Prædicatorum.

CONSVLTATIO V.

VErtiginosum pathema adeò nostris oculis clarum illucet, vt prò eius comparanda idea non admodum nobis insudandum sit : tria namq: potissimum illucēt symptomata quæ tenebricosam vertiginem concomitantur, nimirum omnia circumagi videntur, oculi obtenebrantur, & tertio casum minantur : quod *Gal.* hisce verbis expressit 4. *aphor.* 17. *Tenebricosa vertigo est, quando simul res conspectæ videntur circumuolui, & sensus visus repentè destruitur, cum ægrotus sibi tenebras circumfundi opinetur.* quæ quidem tria symptomata apud auctores multiplicem caussam vendicāt; *Galenus* siquidem 3. *de loc.* videtur id in materiam calidam referre, *Paulus* in frigidam, *Hipp.* modo in frigidam, dum dixit 3. *aphoris.* hunc morbum hyemis esse proprium, & senilis ætatis: modò in calidam dum vertiginem à sanguine fieri autumauit : *Rhases* quoq. vtramq. caussam attingere videtur, ego autem explosis ambagibus cum in senili corpore simus, dicerem huius tenebricosæ vertiginis caussam esse duntaxat materiam frigidam, eamq. partim localem in capite, partim in ventriculo vtrisq frigida, humidaq. dyscrasia laborantibus, dum enim hæ partes nimijs scatent humiditatibus spiritum uertiginosum ut 3. *aph.* 23. *dixit Gal.* pariunt, quemadmodum inęquales cerebri intemperies, ut dixerat idem *Gal.* 3 *de loc aff. cap* 8. indeq. idem *Gal.* 3. *aph.* 31. uertiginis caussas indagare peroptans sic ait: *Vertigines autem sæpe quidem ipsis accidunt propter spiritum vaporosum, qui in regionibus cerebri inordinato cietur motu, sæpe etiam in ventriculo vitiosis humiditatibus aceruatis ad cerebrum fertur exhalatio vaporosa* : unde ut reor circularis motus peragitur, fit enim, dicebat doctiss. *Iacchinus*, circularis motus, seu ad latera, eò quod vapores sursum moti, vbi ad solidiores partes peruenerint, quibus motus sursum impeditur, necesse est in latera eos moueri. Quare aliquando ab ipsis vaporibus motionis caussa incipit; in hoc enim omnes conueniunt, vapores quidem ascendentes ad cerebrum spiritus animales turbare, qui in cerebri cauitatibus continentur, tùm præcipuè in magnis sinibus, tum in arterijs, quibus multis est refertum : hi enim spiritus cum sint animæ prima instrumenta, fit vt ex turbulento, & inordinato eorum motu externa, quæ videntur, aut motu quodam inordinato moueri, aut etiam rotari uideantur : perturbatus enim atq; conuolutus spiritus uelut turbo quidam in capite circumagitur, unde tenebricosæ uertigines : indèq. *Iacotius in Coacis* nedum existimauit requiri huiusmodi turbulentum motum uaporum, sed uult crassum quendam humorem spiritum in oculos quidèm inuadere, ac per purissimos oculorum humores suffundi ; quod pariter comprobauit *Pereda in adnot. Paschal.* vbi ait : *Neq; existimandum est vt fere omnes scribunt, vertiginem tunc fieri cum spiritus flatulentus in cerebri ventriculis*

inæquali-

inaqualiter mouetur, sed opus est vt ille spiritus descendat ad oculum, & ante hu norem christallinum motum illum exerceat: aliter enim non apparebunt res in gyrum moueri: indeq. inferius subdit morbum, quem sequitur vertigo, esse intemperiem frigidam in qua diminutus calor flatum excitat: ni uelimus cum *Hipp.* asseuerare uertiginem fieri ex uenarum intercepione, is enim *lib. de rat. vict. in acut.* hæc habet: *Cum dolores accesserint, bilis atra, fluxionumq; acrium destillationes fiunt: dolent morsa interna. morsaq; atq; admodum arefactæ venę intenduntur, trahuntq; inflammatę, quæ influunt: quapropter corrupto sanguine, nequeuntibus spiritibus naturales pertrãsire meatus, infrigidationes fiunt ob stationẽ, vertigines, aphonia, captis grauitas, & conuulsiones, si iam ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint:* quod mente rependens *Pereda loco cit.* dixit difficile quidem esse intelligere qua ratione plethora uertiginis causa fit, nisi dicamus id fieri, eò quod à plethora fiant interceptiones, verũ, hoc est repletiones, à quibus solet calor obrui, & spiritus nõ rectè difflari: Cæterũ quicquid sit ne lõgior à scopo uadã, dicã uertiginẽ hãc nostri adm: Reuer. Senis à spiritu flatulẽto manarè spiritus animales perturbante, vnàq; oculos inficiente, spiritus enim vt ait *Iacchinus* aliàs lucidus, qui ad oculos tendere rectà solet, per neruos visorios transuersim mouetur, vndè spiritu illo oculus destituitur, non aliter atq; in defectu animi, quoniam introrsum vniuersus retrahitur, & extimas sedes derelinquit, est enim substantia eius tenuis admodum, & mobilis. Casus verò fit, quoniam non habent vbi gressum figant, cum omnia moueri videantur sibi: nam vt spiritus visorius ab externo obiecto circumagitur, ità & ab interno mouente dimouetur: quare concludit Iacchinus & benè oculos necesse esse affectos existere, quamuis per consensum hoc fiat, contrà quam vt in imaginationibus vel suffusionibus, vbi in eo est proxima materialis caussa: Quem quidem cousensum vertiginem nostri Patris à ventriculo habere crediderem, cum & inappetentia vexetur, vomitibus ingemiscat, ructibus prematur, & tandem multa in viuendi genere errata commiserit, quæ omnia summam cruditatum proluuiem aggenerare potuere, è qua tanquàm Pandoræ vase & vapores, & spiritus flatulenti promanant; atq. obid ventriculi idoneitatem ad vertiginem configurandam intuens *Lupeius 4. acut. comm. 42.* ex sola vintriculi vellicatione vertiginem insinuauit. Subdit *Pereda* quamuis opinionem reijciens: *reuera enim illa vellicatio ex humore fit, ex quo excitati vapores vertiginis sunt caussa:* neque tamèn aliqualis materiæ portio capiti deneganda, cum in senibus caput sit maximè humidum, & præcipuè vbi ventriculus malè afficitur, caput enim ventri, & venter capiti sibi inuicem morbos faciunt: quicquid tamen sit antequàm morbus in alium commigeret, de curatione cogitandum; ideoq; dixerat *Senex Pro quibus qui morbi:* cumq; tria dixerimus in nostro casu concurrere, nimirum cruditates, flatus appellentes ad caput, & intemperiem viscerum ventriculi nempè, & capitis, idcircò triplex emergit indicatio euacuandi materiam, reuellendi ac dissoluendi spiritum flatulentum, & tandem intemperies corrigendi: Quoad euacuationem ego protinus deuenirem ad aliquod eccoproticum, & lene remedium, vt ceù exonerata natura facilius possit reliquam materiam concoquere, vnàque expulsioni destinare; quale esse posset mel. ros. sol. agar. troch. reliquum materiæ apozematibus ex beton. melle ros. sim. & oxymel. simpl. præpararem, ea sine decoctis exhibendo, ne nimia potulentæ materiæ vbertate, & copia venrriculus magis opprimeretur; interimq; de purgatione plasmanda cogitarem quàm cum Diacarthol. peragerem, aga-

rico, vnà q; speciebus hyeræ simpl. Gal. nec ignoro simplicem vnam euacuationem non sat esse, sed pro eadem materia eneruanda requiri iteratam, & per epycrasim, ideò aliquo adhibito interuallo ad pillulas deuenirem, & lucis, vt benè *Claudinus* easdem commendat, & de agarico, de mane per tres horas antè lucem assumptas ne de sero coctionem vt *Septallius*, *Cardanus*, & *Senner.* adnotauere impediāt, vomitus quoq; maximi vsus exhiberet, sed quia non est habilis, ideò omittendus, sic errhina, apophlegmatismata commendanda. Sicqueq; chynæradixcum ligno de visco quercino, & saxafras in iure ebullita maximi vsus esse poterit. De sanguinis missione hic non est prorsus loquendū, sumus enim in sene octuagenario, in viribus effætis & languidis, in maximis cruditatibus, & tandem in flatulento spiritu, quæ omnia phlebotomiam vt non innocuam explodunt: intereà non inutile erit pro reuellenda flatulenta materia cucurbitulas adhibere, frictiones, ligaturas, sicut & inustionem in crure non improbarē; quinimò & eadem in syncipite præstita maximi vsus esse posset ad resoluendos, & euacuandos vapores ad caput ascendentes, proindèque *Zacutus in sua praxi med. mirab. obser.* 38. *lib.* *p.* quendam refert vertigine tenebricosa laborantem, cumque is plurima expertus esset auxilia, & de futura apoplexia timor esset, nullo alio præsidio prætèr euacuationes vniuersales, quam cauterio bregmati imposito potuit persanari: sic pro iisdem discutiendis vaporibus vnaque resoluendis mitridathum, theriaca, conf. florum anthos, saluiæ, beton, & similia poterunt iniungi, quæ nedum habent vim flatus dissipandi, sed & ventriculum, & caput roborandi, indèque dyscrasias corrigendi: sic quoque pro nimia ventriculi imbecillitate compescenda ceratum ex tachmacha nō inutile fore sperarim: hæc habui quæ currenti calamo scriberem, tuæ sunt partes vir doctissime victus rationem instituendi, dum interim Deum obsecro vt omnia secunda succedant.

PRO PERILL. DOM. IOSEPHO DE PEREA NOBILI HISPANO Et Contrabandorum Commißario generali, vertigine, siti continua, oris amaritie, anorexia, atque podagris laborante.

CONSVLTATIO VI.

NOn absque maxima præmeditatione summus Medicinæ Archetypus, ac naturæ genius *Hip. 5. aphoris.* 22. primigenio calori morbos debellare dedit, & omnia ad salutem pertinentia, ac vitam affectæ partis subministrare, quemadmodum aduentitio calori morbos inferre dedit, vt 4. *aph.* 39. & 40. nam is cum ex diametro innato se se præbeat hostem, eò quià à putredine oriundus, deuastat, destruit, corrumpit omnia quæ à natiuo calore affabrè fiunt; indè mirandum haudest si nobiliss. noster languens multis ab hinc annis deperdita viscerum crasi, ac deturbata vniuersi corporis compage, nūc vertigine langueat, nunc aurium sibilo fatigetur, nunc articularibus doloribus infestetur, ac denique continua siti, orisque amaritie prematur: siquidē cum langueat innatus calor ac potissimum iecoris, inque preternaturam abire fuerit necessum, omnia hæc potuit sibi symptomata consectaria habere: à partium enim temperie omnes actiones emergunt ex 2. *de natural. facult.* euanescunt autèm ob earundem ametriam, & dyscrasiam vt ab Auenrhoe cō-

clama-

clamatum est:indeque Iecur. dum suo nimio calore vintriculi regionem sua præsentia contegit, exiguam ventriculi flammulam ad se se allicit, atque prolectat, vt Gal. asseruit lib. de respir. vndè mirandum haudquaquam est si inde depauperatus sit ventriculus suo calore, is enim iuxtà *Auenrhois* dogma à calore sibi non repugnante roboratur, ab extraneo verò diminuitur, atque bebescit, sicque eodem calore ventriculi diminuto coctio defraudatur, insurgunt cruditates, & apesiæ prosiliunt ab Arist. coinquinationes vocitatæ; coctio namque non à nimio calore pronascitur, & præter naturam, sed ab innato. vt dixerat *Arist.* 4. *metheor.* neque ob id calore præternaturali viduatus existit ventriculus, quinimo eodem satis exuberans, quem ab hepate feruidiori per venas sibi vendicauit, atque per continui pariter atterationem continuam sitim, oris amaritiem, atq; deprauatam coctionem pandit; hincque facile innotescit, cur etiam ad iram propensus cernatur, cur gracilis, cur carne frigidus, atque venenosus: cum dixerit *Senex in epid. Ventriculo calidi, frigidi carne, & gracilos, isti venosi, & iracundiores*, ideoque *Gal. in comm.* sic fatur. *Ventriculo calidos ipsum dicere putandum est non quemadmodum pueros, & athletas, insito abundare calido testatus est, neque vt hyeme ventres calore naturali maxime calere dixit, sed vt mordacem improbum. que calorem haud exiguum in immoderato ventriculo possidentes, quamuis ira ob bilis præsentiam fiat*, vt aiebat *Arist.* 4. *ethic. cap.* 12. atque hic ventriculi calor excedens non aliundè accessit, quam ab hepate; hepar enim cum nimio feruore exuberet, vt in nostro languente retorrida excrementa testantur ex *Gal.* ventriculo quoque eundem feruorem impartit, idoque eodem sic communicato, nil miror si coctio deprauetur, si sitis assurgat, si palati siccitas prodeat. dicebat namq; *Gal.* 2. *de loc. aff. Nam & linguæ, & vniuersi corporis color alterantur, vbi hepar vitiatum est*, sicque oris emergit amarities quippe vt asserebat *Gal.* 4. *de simplic. medic. cap.* 9. amarities à caloris excessu efficitur, quemadmodum, & ab humoris biliosi præsentia ex *Gal.* 4. *aph.* 17. quamobrem, & ratione humoris, & ratione caloris tum hepatis, tum ventriculi amaritiem illam adesse putandum, sicut, & sitis quoque accessus in eandem caussam referenda est, nam vt aiebat *Gal. p. de sympt. causs.* immoderata potio appetitur, quando contenti in ventriculi tunicis vitiosi humores, aut salsi sunt, aut biliosi, interdum etiam cum in eo veluti feruet natiua humiditas; vt in nostro accidit casu, à nimio enim calore omnis pæne humiditas aboletur, idcircoque *Gal. comm. de nat. hum.* sitim fieri dixit nobis siccescentibus. sic *p. simplic. cap.* 30. eandem dixit aut à calido superante fieri, aut ab humido deficiente: quamobrem cum ventriculus calore exestuet, nil mirandum si siti continua lancinetur, atque hoc sibi voluit *Gal.* cum dixit 6. *de loc. aff. cap.* 3. *Ingenitis sitis quæ citra Diabetem accidit causam esse ventriculum aut calida aut sicca, aut vtraque intemperie laboranti maximè verò os ipsius*: indeque *Aetius* dixit *lib.* 5. *cap.* 118. sitim ex totius corporis, & præsertim ventriculi, ac faucium immensa caliditate, atque humoris biliosi, & amari præsentia pronasci, quæ sanè sitis eatenus post ingesta cibaria intenditur, quatenus scil. ventriculus laborat in concoquendo, calor enim natiuus turbatur, & à sua decedit temperie, vnde augetur, & auctus in os ventriculi vapores mittit, qui humidum alimentale exsugendo in eius spaciositatem sitim inducunt; quinimò nedum propter vapores huiusmodi calor sitim inuehit, verum etiam, & ob feruorem, merito cuius caliditas ori ventriculi coniuncta sitim parit; è quapariter caussa illa faucium siccitas pariter potest prodire,

quod patet, quia *Gal.* narrans illos *lib. de sperm.* qui in horis, ac tempore bilis nascuntur hæc habet. *Guttur. & os, & sputum amare semper, & sicca, genua crura pedes, & ossa dolent, rheuma siccum per totum corpus currit*: quid clarius describi poterat nostri languentis casus? dum Gal. singula sic nostri ægrotantis symptomata recenset; vnde sic mirandum haud est, si nec abolitè, nec imminutè coctio fiat, sed potius deprauatè; non abolitè. cum aliqualis fiat alteratio, neque imminutè, sed deprauate, cum cibus corrumpatur, & in alienam qualitatem permutetur; indeque est *Auic.* dixisse corruptionis ciborum quattuor esse species, putrefactionem videl. ructum acidum, nidorosum, & vstionem. qua vltima corruptionis specie nostrum ægrum laborare haud dubitarem asserere, vt satis ex supradictis symptomatis innotuit, nam dum ventriculi temperamentum iusto calidius redditum est, nil mirum si coctionis loco vrat, vel putrefaciat, corrumpatque alimentum, quod siccitas dum supra modum augetur nata est efficere, licet dispari efficacia, sic enim in calidis, siccisque ventriculis alimenta æruginem, & vstionem redolent, vnde amarities emergit, atque salsedo, cum amarum, & salsum sint ex *Aris.* 4. *de sensu* sint vnum, & idem: indeq; idem *Aris.* dixit ea quæ sicciora sunt salsedinem quandam participare, vnde 8. *metaphis. cap.* 11. amarum dixit esse combustum terrestre, hanc tamen nostri languentis amaritiem ex vlteriori coctione præstari cum *Gal.* crediderim 3. *de alim. facul.* quinimo 4. *de sanit. tuen.* bilem dixit ex sanguine supra modum concocto fieri; ideoq; ego bilem vt omnium horum symptomatum matrem prædicarem, potissimum in ventriculo stagnantem, quæ, & ibidem congeritur vt placuit *Gal. p. de alim. facul. & 5. de vsu part.* 4. & à Iecore ob peculiarem constructionem in ventriculum regurgitat, vt ibidem *Gal.* asseuerabat, quamuis vera metropolis, ac fons ipsius bilis sit Iecur, vt dixit per hæc verba *Gal. lib. Introd. seu Medicus*: *exsuperat autem alius in alio magis loco sãguis in corde, pituita in capite, flaua bilis in Iecinore, atra in leyne*: quamobrẽ nil mirum si eadem ad ventriculum confluxa, omne ventriculi euerserit munus, & potissimum coctionem qua de caussa dicebat idem *Gal. 5 de vsu part. de* bile loquens: *Si plurimus humor iste ad ventriculum confluxerit, corruperit vtique ac perturbarit propriam ipsius actionem, quandoquidem, ventriculi propria actio est concoctio*; qua quidem vitiata omnes vitiati necessum est vt dicitur 3. *de loc. aff.* vnde *Hip. in epid.* merito dicebat: *ventris torpor omnium confusio*: sicque vitiata coctione multos humorum prouentus fieri necessum est, ac potissimum biliosorum, quamuis aliquis pituitæ affuxus, quinimo, & non exiguus cum simus ferè in Septuagenario, ac in ventriculo caloris primi genij pauperie laborante, quemadmodum, & flatuum quoque κοινωνία seù consocialitas concedenda, cum ijdem à diminuto calore proficiscantur, cæterum hic dubiũ videtur emergere, qui fieri scil. possit vt ventriculus prauis his humoribus scateat, & tamen nullo dolore fatigetur, cibos haud auersetur, aut prauos concupiat, cui dubio respondere visus est *Mercatus* asserendo in illis accidentibus quæ dolorem inferunt, substantiam oris ventriculi diuelli succorum mordicatione, & acrimonia, in nausea, & vomitu corpus eius, at in debillitate, & cruditate magis corpus intemperari dicit citrà irritamentum potentiæ expellentis, & quia ibidem generantur, non ita lædunt, in ciborum peruersa appetitione os ventris intemperatur, si fastidium sequitur, aut leuiter mordetur, aut irritatur more naturali si adauctus futurus est appetitus; ista ergo in ventriculo existente cacochymia corpus agrotare necessum est, cum dixerit *Gal. 6. epid. Postquam*

Quam verò multa copia congesta fuerit totum corpus in morbos præcipitat: præcipueq; caput quod maximam cum ventriculo synthimoriam obtinet, *cerebrum enim vt lib. de gland.* dixerat *Senex tex.8. id quod influit foras demittens, & aliud suscipiens ac semper in consimili statu consistens, & humores trahit, & morbos facit; trahit quidem cum vniuerso corporis velut cucurbita medica incumbat, vt in epist.* aut quia cauum sit vt *lib. de morb.* suscipit autem quoniam debile est, ac supernè situm vapores à ventriculo vi eiusdem, & Iecoris calore extenuatos, qui ad cerebrum commeantes illud in consimilem dyscrasiam adegere, cum omnia ab vniuoco progignantur ex *Arist. in metaphys.* quod satis innotescit ex narium continua ariditate, in ficcioribus enim secundum naturam temperaturis vt ait *Gal. 6. aphoris. 2.* nulla omninò superfluitas manifesta, neque sensibilis per nares effluit ex cerebro: eoque magis id dicendum in morbosa siccitate, quæ pariter siccitas ex materia satis compacta emanante magis illucet, tùm ob bilis admixtionem, tum quia à calore aqueæ resoluuntur, ac tenuiores partes, vt dixerat *Aris.* quamuis eiusdem sit ydiosincrasia, siccus enim admodum sua natura videtur, quæ quidem siccitas nedum membrorum, sed viscerum in dies maior efficitur, quia magis in ijsdem intemperies radicatur, vnde caput & ad recipiendum, attrahendum, vnaque congerendum habile redditur; quamobrem miraadum haud quaquam est si omnibus partibus congerentibus, multamq; materiam aceruantibus fluxiones fiant, cum eæ ex perfrigerata valde carne, & percalfacta fiant, ac supertumefacta, vt constat *ex lib. de loc. in hom.* ex supertumefacta scil. vt explanat *Mart.* idest ex plenitudine, quæ quidem plenitudo è capite mouetur, vt à termino à quo, (est enim cum *Hip.* perpendendum, vnde, quò, & propter quid) vnde à capite diximus, cum læsum sit in alterando, inque articulos vt terminum ad quem suum terminat iter, humor enim vt modicus, & vndequaq; ab omnibus fortioribus depulsus ad articulos refugium facit vt ait *Senex lib. de loc. in hom. tex. 19.* rationque est quia ijdem articuli partes extant debiliores, atque articulorum dolor emersit, vt podagra, chyragra, vnaque gonagra; dolor enim aut propter valdè exsuperans, aut imminutum fit ex eodem *Hip.* quod quidem exsuperans cum calidum sua natura existat, inde est, vt cutis dum fluxio permeat pruritum percipiat; neque eandem aliam sibi viam vendicare cernimus præter eam, quam doctiss. *Fenerl.* assignauit, scil. sub verticis cute, quo venarum per tempora, & faciem in caput irrepentium extrema desinunt, atq; eatenus pruritum germinat, vt dixi, quatenus acredinem fluxio participat, vt voluit *Gal.* sicque siccum rheuma huiusmodi materiam appellare poterimus, quæ suopte impetu partes sibi inferiores, tanquam magis aptas petit, easque miserrimè affligit, indeque dixit *Hip. 6. epid. Alterius loci loca recipientia, aut dolore, aut pondere, aut aliquo alio liberant, aut alijs communiones*; atq; nedum miserè, verum etiam diutinè affugit, cum heterogenea existat materia quæ infestat, biliosa nempe ac pituitosa, propt. pituitæ ratione quæ magis viscida est, diuturnitatem affert; nec miror nobilissimum languentem huiusmodi fluxionibus hyeme magis cruciari, cum biliosæ fluxiones tunc temporis non difficulter moueantur, qua ratione crediderim diuinum *Senem* dixisse in epid. & præfrigore bilis fit: nam vt asseuerabat *Martianus in comm.* pituita à frigore crassescit, cum ex *Aris.* frigoris sit densare, calidi autem rarefacere, ac propr. fluxio redditur inepta, sicque subdit *Mart.* se experientia comprobasse à caliditate pituitosam excitari fluxionem, biliosam verò à frigore; quod per se contingere non deberet, cum

calidi

calidi affectus hyeme remittantur, frigidi verò intendantur; quod confirmauit *Hip.4.epid.* dicens: *Æstiuos morbos superueniens hyems soluit, & hyemales æstus superueniens transmutat:* quicquid tamen sit merito *Hip.* huiusmodi fluxiones naturæ affectiones nuncupauit, cum & somnum intercipiant ex *Gal. lib. de compos. medic. secund. loc.* eoque magis, quò maxima bilis copia inest, quæ ex eodem *p. de morb. vulg.* insomnes, & sitibundos reddit ægrotantes; quare nec sic mirandum sibilum illum continuum adesse, vigilijs namque, & caput incalescit, & cruditatibus ansam parat, vt dicebat *Gal.* è quibus tanquam sua minera perpetuò exilientes vapores vel flatus dum in oram auditorij meatus commeant bombilant, ab ampliori enim loco repulsam passi in angustiori agitantur, indeque aditum sibi parare nequeuntes, ob id spiritus ille flatulentus magno cum murmure interioris oræ meatus auditorij fremit, ac tinnit. Sic quoque dum spiritus ille flatulentus inordinatè quidem mouetur, vertiginem facit: nam vt benè asseuerat *Horat. Augen. lib.* 10. *epis.* 4. cum huiusmodi vapores spiritibus permiscentur, ij circulariter mouentur, exemplo, inquit, tibi sit aqua, in qua si proijciatur quippiam etiam leuissimum, statim illam in gyrum mouebit, quid putabis in Spiritibus contingere? qui sanè tenuiores aqua naturam scil. aeream repræsentantes; ego autem dicerem requiri quidem vapores, verùm ipsos impingere in neruos opticos deferentes species visiuas in oculos quæ cum ab ipsis vaporibus moueantur deprauatum quidem illum acquirunt motum, atq; inordinatè illas mouendo circularem motum repræsentant, cum oculis ità interruptæ commeent, ac confusæ; videri quidem moueri oculorum est pathema, ergo deprauata vel diminuta motio ad oculos pertinebit, vel ad partes ijsdem inseruientes: nec negarim in tenebricosa vertigine spiritus animales tamq; motus rhectores interturbari, quod à maiori vaporum, vel flatuũ vbertate prosilire crediderim. Cæterum nè vltrà sim, cum æger ex *Hip.* auxilium quærat non ornatum, antequam morbus vlterius se se insinuet, curationem aggredi necessum est, quæ quidem non tam facilis erit, cum nobis agendum sit cum viro plusquam septuagenario, cui vt dixerat *Senex* non omnia existunt gratiosa, eoque magis contumax redditur huiusmodi curatio, quia digestionis vitium est à caussa calida, vt dixerant *Gal. & Auic.* & morbus fuit satis diuturnus, qui vt dixerat *Celsus* cum penitus insedit, quoad difficultatem pertinet, acuto par est; quomodocunq; tamen sit non omnis non est reuoluendus lapis si non pro penitus profligando morbo, saltem frænando, quod vt assequamur, præter optimam viuendi normam quam semper optimam prædicauit Hip. in epid. ad ventriculum ac cacochymiam expurgandam deuenirem *ventrium enim abundantiæ turbationes ferunt*, *velut Possidonio* dicebat *Hip.* pariter *in epid.* ideoque cum dixerim bilem cum pituite commercio esse omnium Symptomatnm matrem, proinde ad eam expurgandam deuenirem in fuso rhab; & agar. cum mod. syr. ros. sol. & D. Aug. adhibitis tamen præparantibus, vt esse possent syr. acetosus simplex, oxysacch. & syr. de s. borrag. quem quidem syruppum iure aliquo dilutum exhiberem, vt scil. vt obseruauit doctiss. *Petronius.* materiæ, quæ ventriculi tunicis inhærent, diuelli facilius possint, ac vnà ventriculus ex alia portione non relaxetur; nec ignoro *Hip.* in biliosa cacochymia ventriculi vomitum iniunxisse, vt benè quoq; adnotat *Valles. 6. epid. sect. 8. tex.* 44. illum tamen in nostro languente non admitterem, cum omnimodam ad illum habeat repugnantiam, ac vertigines eędem respuant: neque erit ab re morbo non cedente caput quod ydiopaticè læsum

dix imus

diximus repugrare, vel pillulis de tribus cum rhab. & de agar. vt vulgo fertur, vel apophlegmatis, & erthinis; quæ quamuis videntur suspecta quia ad oculos trahunt, tamen cum vertigo non sit continua, non sunt mala, & leuia potissimum, quæ non nimis turbent, ideoque cum alias bene se habuerit cum aqua mulsa naribus attracta, ab illa non recederem, nam vt volebat Senex *lib. de loc. in hom. modus qui sanitatem facit seruandus, nec quicquam addendum, aut minuendum*; non enim denego pillulas caput posse repurgate, verum non immediatè, sed mediatè nimirum dempta vniuersali materia per partem post partem possunt quoque a capite ducere; sicut contingere ait *Gal.* in clysteribus, quos à capite ducere ratus fuit, & tamen vis clysteris non peruenit ad caput, sed facta per partem post partem attractione possunt clysteres vocitari attrahentes à capite: atque hoc fortè voluit *Senex cum lib. de loc. in hom.* dixit *quum euacuata est aluus, ex reliquo corpore, & capite humiditatem in seipsum trahit, nimirum calida existens, capite autem euacuato auditus, & visus depurgantur, & homines agiles fiunt*; neque enim ab re erit interim perpendere, an præter has euacuationes aliqua venæ sectio in vsum venire valeat, cum eadem pro Iecore refrigerando apprimè vtilis illuceat, neque me exterret senectus, cum *Gal.* septuagenarijs etiam venam secet dummodo vires adsint, sic *Celsus* firmo puero, grauidæ mulieri valenti, ac robusto seni sanguinem detrahit: ceterum quoniam senem habemus non validum, bilis præsentiam in ventriculo vt ex amaritie constat, proinde explosa venæ sectione ad hyrudines venis sedis affigiendas deuenirem, quibus & Iecoris incendium frænaretur, & vniuersum corpus exæstuante calore refrigesceret; Interea fluxioni non est silentium imponendum cum illa præ reliquis videatur negotium facessere, ideoque pro eadem intercipienda non alienum erit ceratum capiti affigere non illud Montagnanæ quod nimio calore præpollet, sed eo quod ego soleo parare cum mastic. corall. rub. & trochis, de Karabe; sic quoque pro eadem auertenda, inustionem sinistro bracchio non improbarem, quemadmodum alteram in sinistro crure non alienum putarim ventriculi rationem ad caput multam materiam suppeditantis; sic enim corpus nimijs quibus in dies humoribus scatet repurgaretur, vnaque exsiccaretur; scio à multis pro capitis exsiccatione chinæ radicem comprobari, quæ tamen cum, & aliquo caloris gradu insigniatur quamuis exiguo, & satis represso, & multa bilis copia exundet Iecoris nimium incendium attestante, potiùs ab illa abstinerem quàm aliter; ac illius loco sandalorũ decoctum cum portione ligni visci quercini posset iniungi, à *Petro Salio in comm. de morb.* tantoperè comprobatum; quemadmodum præ reliquis duo probarem ad eneruandam calidam attuum intemperiem, lac scil. vel serum, & aquæ dulcis balneum: lac tamen serumq; castigatum porrigerem, sicque de ventriculi imbecillitate non admodum timerem, *Lac* enim vt dixit *Aretæus sumptu suaue, potu facillimum, nutritu solidum, & qualibet esca à pueritia familiarius est, præt. visui colore delectabile, medicamentum atteriam non asperans, guttur læuigans ad pituitam eijciendam facilem spiritum reddens inferiorem exitum lubricum efficiens, vlceribus dulce subsidium, & quolibet alio benignius*: sic quoq; de lactis sero hæc promulgauit *Aetius pr. Tetrabib. serm. 2. Maximè omnium sero vti oportet in his qui imbecillum stomachum habent, & tamen purgatione indigent, his enim omnibus, exhibendum est serum subdit, atque melle neque sale condientes, sed & puero, & mulieri, & seni intrepidè, & in canicolæ æstibus datur, quamuis tunc temporis alia medicamenta suspecta sint*;

cæterum

cæterum vt ingenuè fatear lac potiùs commendare, vel illius loco ptyſſanam hordaceam *ptyſſana* enim dicebat *Hipp. lib. de rat. vict. in acut. rectè omnibus frumentaceis edulijs prælata eſſe videtur in morbis acutis, & ego ſanè laudo eos, qui ipſam prætulerunt, nam viſcoſitas ipſius læuis eſt, & iocunda, & lubrica, & moderatè humida, & ſitim eximit, & facilè eluitur, ſi fortè & hoc opus ſit, & neque adſtrictionem habet, neque malam turbationem, neque in ventre intumeſcit*: ptyſſanam ergò iure aliquo diſſoluerem, quo magis nutriens fieret, purgatoque prius corpore exhiberem, neque pituitæ ſodalitium cum bile videtur explodere eius vſum, nam vt benè *Gal. lib. de ptyſſ. cap. 5.* eadem corporis ſordem abſtergit, atque inſimul pituitoſum humorem in ventriculo contentum expurgat, quamuis non ignorem eundem *Gal.* dixiſſe ptyſſanam non conuenire ijs, qui ventriculum habent exerementijs humoribus refertum; *cap. enim 5.* vt adnotat doctiſſ. *Iul. Cæſar. Claud.* indicans reſpexit *Gal.* nam ſi ventriculus non multa ſcateat humiditate ptyſſana poterit pituitam abſtergere, ſecus autem ſi multa redundet, quod *Gal. cap. vlt.* reſpexit vt prohibens; neque enim crediderim eandem bileſcere, modò ventriculus ſit benè materijs, quibus ſcatet expiatus, quod ſi ab hac ptyſſana horreat languens, iura aliquot herbis alterata præſcriberem vt ſcil. intemperies corrigantur, bilis compeſcatur, & vnà fluxio ſedetur: poterunt ergo in iuribus incoqui acetoſa, meliſſa, borrago, endiuia, cichor; beton. parum, neque inutile erit addere ſyruppum aliquem ad rem facientem, quod ſi diuretica quoque addamus optimum erit, tum ad tollendas obſtructiones, tùm ad renes arenulis quibus refertur repurgandos, poſſent quoque proponi aquæ minerales, vt Calderianæ, Villenſes, & Patauinæ, eas tamen quoniam renuit æger miſſas facere decreui, non immemor ob id materiæ in articulos influxæ, quæ quamuis reſoluentibus, & roborantibus indigeret, vtrumque tamen ſcopum inanem deſererem, dolores ſiquidem articulorum ſi venerint, recipiendi, ſin minus prouocandi; indeque benè nonnulli podagricos naturæ beneficio relinquendos ſanxere, ſcientes huiuſmodi morbos ſine remedijs profligari breuiùs, quàm medicamentis adhibitis; ſic *Senertus* refert Carolum V. duo optima ad inueniſſe remedia nullum adhibere remedium, & parum conqueri: nõ enim minùs neceſſarium eſt Imperatori dixerat *Liuius* iuſtitiam non rarò ſuſpendere, quam Medico à curatione manus retrahere; eoque magis quoniam experientia nos docuit in noſtro languente vel minimum medicamentum fluxiones accerſire: hæc ergò habui quæ dicerem pro eneruando nobiliſſimi noſtri languentis pathemate. Deum interim deprecor, vt omnia optatum finem obtineant.

PRO PERILLVSTRI AC NOBILISSIMO VIRO DOMINO Riccardo de Simeonibus, Aquilano Patritio lethargo laborante.

CONSVLTATIO VII.

SOmnum, vnàque lethe fluuium ſeù obliuionem perenne ferè ſodalitium habere cecinit *Eurip.* adeò vt olim Oreſtes ab inſania paulisper quieſcens & ſomno, & obliuioni innumeras grates rependerit; quid mirum ergò ſoporifera pathemata, & potiſſimum, quæ lethargi nomine vocitantur, obliuione

sanè donentur si eidem somnus contubernalis existit sicut dixit *Orpheus*, vt meritò à doctissimo *Iacotio* lethargica explanata quidditate dictū fuerit eandē consistere in sopore præternaturali, continuo cum febre lenta, & obliuione à pituita putrescente, quæ locum in quo princeps animæ pars residet, humectat, ac diluit: sicque *Gal. p. prorhet. p.* dixerat phrenitidem fieri exquisitam, cum bilis flaua locū in quo princeps animæ pars residet, præhenderit, lethargum verò cum eundem locum humectarit, atque diluerit pituita: vnde ex his verbis videtur aliorum opinatum respuere, in lethargo aientium adesse inflāmationem; quamobrem nil mirum si *Paulus*, *Aetius*, *Alex.* & alij, lethargi caussam dixere esse intemperiem frigidam, & humidam cum materia pituitosa, sed putrescente; quinimò ex *Gal. 3. aphoris. 30. 4. de causs. puls. 13. 4 de præsag. ex puls.* 8. colligunt lethargum sine tumore, & inflammatione consistere & ex intemperie cum materia proficisci; sicque etiam non τεκμήριον sed ἐπιφερομένων signum illucet delirium; quod etiam *Massaria* explodit, eò quia illud sit actio deprauata, à qua arcetur lethargus, cum dicat *Gal.* Imaginationem aboleri in caro, & catalepsi, deprauari in delirio, diminui in comate, & lethargo; *Duretus in Coac.* visus est illud nedum admittere, sed etiam intermissionis expers, cum febre, sopore, & obliuione coniunctum *delirium enim* subdit *cernitur in dissimilitudine morum, indecora corporis compositione, & ἀναδόσιας laborum*, quod continuum est, quia cerebrū læsum est per ydiopatiam, sopor videtur in veterno, & exolutione febris in calore, vrinis, & pulsu, cira obliuio in necessarijs rebus vt oscitatione, respiratione, deiectionibus, & vrinis: quod tamen ego non admiserim, delirium namque istud continuum febri consociale potius videtur æmulari phreniticum, quam lethargicum pathema, vnde *Gal. 13. meth. cap. 21.* lethargum phrenitidi contrarium appellauit, non enim pituita, quamuis putrescens delirium istud concitare iam quibit, cum ea non sit actiuitate donata, vt frigida existens continuum possit concelebrare delirium, quod doctissimus *Martianus* in putrescentem succum alicuius caloris participem redegit, cui leuis quædam desipentia innectitur, quam hac voce φεξιεῦ significauit, sicque *Gal. 4. de præsag. ex puls.* 8. Intemperiem frigidam, & humidam comatosum affectum construere dixit; cui si putredo accesserit lethargus fit; cæterum quænam tanta putredo esse poterit, vt delirium excitet continuum? si namque nimirum calorem excitet, non febrem lentam, sed magnam progignet, secundò non soporem inuehet, sed vigilias, quod fortè contemplantes doctissimi *Saxonia & Capiuacc.* dixere huiusmodi inflammationem fundari in sanguine crasso & pituiteo, qui ex *Hip.* leue delirium configurat, qui enim à pituita insaniunt quieti sunt, & non vociferatores, proindeque quamuis calor ille insurgat, modicus quidem existens non valida deliria progerminat, non febres validas generat, sed lentas, vnà cum lenta quidem desipientia; hanc difficultatem à longè intuens *Senner.* dixit humorem lethargum facientem non per seità ad putredinem præcipuè in capite concipiendam idoneum existere, eandem nec tantam esse iam posse, vt in totum corpus calorem diffundat, & cor ità labefactare possit, vt indè febris continua excitetur; illud tamen magis consentaneum credit *Senner.* soporem illum grauem non esse primarium, seu protopathicum affectum, sed à vapore narcotico fieri, & esse symptoma febris talis, quales *Platerus* comitatas appellat, velut sunt continuæ, lentæ vt est quotidiana continua, Tertiana notha, & semitertiana; indeque putarum non rarò lethargum sic per sympathiam progenitum, delirium non habere.

bere continuum, cum non continuo materia euaporet, nisi in affectu ydiopathico; à quo pariter nõ rarò ascendum delirium cum materia vel est nimis pituitosa, lenta, & viscida, vel bili non est consocialis, vel inflammatio non est validior; sicuti de nobili quodam puero notat *Forestus lib.10.obser.11.* is enim cum lethargo laborasset tandem dissectus, cerebrum, & cerebellum in parte dextra saniosum, putridum, corruptum, vnàque sanguinolentium compertum est, quod indicio fuit sine sanguine hanc affectionem fieri non potuisse, sicut neque sine inflammatione, dum cerebrum in sphacælum deuiauit, quare dicendum huiusmodi morbum vel fieri à materia putrescente quidem sed sine inflammatione, vel cum inflammatione complicata, in hac dicerem delirium esse necessarium, verumque lethargum configurari, sicut in illa solum somnum, seu soporem requiri vnà cum obliuione & febre: proindeque crediderim *Arabum Principem* dixisse lethargicum affectum esse frigidum apostema inflammationi tamen consectarium, vndè *Gal.7.aph.76.* lethargum inquit abscessum esse in puppi cerebri postica parte præstitum; & propt. *Hipp.* fortè *3. de morb.* lethargum inquit in pulmonum præcipuè suppurationem degenerare; *Quicunque enim* ait) *ex lethargicis seruantur, plerumque pectore suppurati fiunt;* pituita enim dicunt multi, a capite ad fauces decumbens, si non expuatur, cõfluit ad pulmones, quibus compressis in thoracis cauum eijcitur, ibique putrescens suppuratur, quamuis *Hollerius in Coac.pag. 387.* id perpetuum esse non posse nobis scriptũ reliquerit, *Iam verò* (subdit) *ἔμπυα purulentos in genere quidem quacunque parte vomica colligatur peculiariter in pulmonibus, hic verisimilius in capite: multos enim vidimus quia desperatis, & diuturnis malis fuerũt liberati pure multo per aures magis, interdum quoq; per nares expurgato. Duretus in Coacis* etiam *p.76.* letargicos suppuratos fieri dicit ex pulmonum vomica, nisi antè ad exitium præcipitentur, à peripneumonia nata ex prolapsu materię corruptæ, & fractis iam viribus à lethargo; vndè ob id fortè dixerat *Senex. lib. de morb. Morbi lethargi appellati modus idem est qui & peripneumoniæ* quãuis *Petrus Saltus optimè in com.* explanandum censeat, id contingere ratione partis lesæ, quæ est pulmo, cõsimilem cum cerebro mollitiẽ habens, & ratione humoris similis, qui est humor pituitosus adhuncq; pulmonũ affectũ respiciẽs *Gal. 1 de sympt.causs.* dixit somnum fieri ex pulmonis humiditatibus, eumque potissimum qui ab infernarum partium sympathia, seu consensu pronascitur; vndè meritò à priscis auctoribus destillatio, & tussis inter lethargica signa connumerantur, quinimò doctiss. *Saxonia* refert se suam vxorem vidisse, quæ cum in lethargum deploratissimũ inciderit, dum morti proxima collucebat, superueniente tussi ad sese redire iam cæpit, posteàque pus exijt ab ore, & alijs partibus, atque ità conualuit, non sanè per congestionem in pulmonibus morbo præstito, sed facta metastasi è cerebro in asperam arteriam, ni velimus cum doctiss. *Mercuriali* asserere lethargicos empyicos fieri, si empyematis nomine quamcunq; in quacunq; factam suppurationem intelligamus, quod voluit pariter *Gal. 5.aphoris.8. & 7.aphoris. 44.* cæterum hæc chimetrica est responsio, *Hip.* enim ait *quicunque verò ex lethargicis seruantur plerumq; pectore suppurati fiunt;* ità vt pus contineatur in pectore, non autem in alia parte; quamobrem dicendum materiam illam in pectus corriuatam partim putredinem nactam, partim coctionem in pus fuisse conuersam, atq; ità progerminasse empyema: Quicquid tamen sit nõ est dubitandum huiusmodi morbos nedũ per ydiopathiam in capite posse progigni, sed per sympathiam ab alijs partibus; indeque *Aetius* ex sententia *Possidonij* lethargum inquit fieri aut per essentiam, aut per

con-

consensum à septo transuerso, vel ab alijs visceribus; propterèaque sicut construit *Gal.2.de sympt.caus.7.* deliria ex intemperie calida cum materia calida cerebrum replente absque inflammatione, ità licet lethargum spurium constituere ex intemperie cum materia absque inflammatione, sicut in nostro casu contingit, materiam enim sursum à partibus infernis in cerebrum latam lethargum configurare posse non dubitarem, & potissimum cum lethargus in nostro languente symptoma febris non autem morbus existat, indèque spurius indigitandus lethargus à prodeuntibus vaporibus in febre pituitosa primaria, qui materiæ copiam in cerebro reperientes, caloreque eandem fundentes lethargum conuocarunt sed spurium; indèque nil miror nullum adesse delirium, non erat siquidem materia putrescens cum inflammatione, sed absque eadem consistens; hocque benè doctiss. *Senner.* propalauit aiens: *Ideoque etsi vapori narcotico in excitando lethargo primas partes tribuimus, & à pituita in capite putrescente febrem non deducimus, sed febrem primarium affectum esse statuimus, quem lethargus comitatur, pituitam tamèn non planè excludimus, eamque siue in toto, siue in capite collecta sit ad malum hoc etiam facere concedimus, copia enim pituitæ in capite collecta, caloreque febrili liquata cerebrum irrigat, sic in venis eadem pituita vi caloris per febrem fusa, & in caput ab eadem translata vnà cum vapore narcotico somnum facit;* qui sanè antequam se se vlterius insinuet, inhibendus, & potissimum iste qui lethargicus collucet; is enim aiente *Celso* cum acutus existat, nisi statim succurratur, protinùs iugulat: quinimò *Gal.4. de caus.puls.* eundem facilius peripneumonia perimere dixerat, & *Celius Aurelianus 2.tard.pass. cap.1* lethargum ait esse comparatione grauiorem phrænitide; occupat enim (vt ait *Senner.*) partem præstantissimam, & grauissima habet symptomata; sicut in nostro casu contingit, habet enim nobilissimus languens animalem facultatem infirmam, vitalem imbecillimam, & naturalem maximè oblæsam, vt videre est ex Dyarrhæa quæ non ex facultatis expultricis robore pendet, sed ex contentricis imbecillitate, vt benè *Salius* explanat *3.comm.de morb.tex 5.* ibi enim ait: *& quum moriturus est, multum atque id liquidum infrà egerit, liquidum quidem (vt idem ait) quia crudum; habet præt.* motus conuulsiuos, nil penitùs appetit, sensumque pœnè abolitum obtinet, ideòque potiùs desperanda est salus, quam spei committenda: cœterum quoniam vt aiebat *Auenr.* sicut fiunt monstra in natura, ità & in arte, ac vt aiebat *Celsus* morbus, qui salutem desperat, non raro propitius inspectatur, propterea à curatione haudquaquam desistendum, quamuis multa videam præstita, eademque ex arte remedia, & potissimum venæ sectio; quæ non inhibenda erat eò quia frigidi exuberabant humores, siquidem quum febris est consocialis, aut pendent ex infernarum partium phlogosi semper admittenda; humor enim vitiosus per venas diffusus ad caput affluit, & nedum a capite reuellitur phlebotomia sanguis, sed & natura oneris parte leuata reliquum facilius concoquet; doctiss. tamen *Septallius lib.6.suarum animaduers.30.* monet vt nunquam sanguinem mittamus, si ad continuam febrem, vel phrænitidem malè curatam lethargus subsequatur, nedum deiectarum virium ratione, sed ob materiam potissimum a sanguine seiunctam: quicquid tamen sit, cum iam inueniatur sanguis mistus venas potius sedis aperirem, ni illa Dyarrhæa nos impediret, proindèque satius erit cum eodem *Septallio* cucurbitulas affigere, non vt Mauritanis visum est, sed colli lateribus potiùs pone aures propè venas, illæ enim subtilem, magisque fluxilem sanguinem trahentes, rebellem magis & frigidam difficiliusque dissolubilem reddent in cerebro contentam materiam. Neque interim ad

purgantia tranſeundum, cum adſit liquidorum, eorumq; multorum euacuatio, vnà cum virium maximo languore, quamuis non ignorem quam maximi vſus exiſtat vel nulla illucente coctione, aut præſtita præparatione vt benè dixit *Saxonia*; quinimò *Senner.* dixit; *Poſt venæ ſectionem ſepæ ſtatim ad medicamenta purgantia tranſeundum, & præcipuè ſi humor ad caput ruens turgentis naturam præſeferat, atque graue periculum immineat ſi coctio, & præparatio humorum expectetur*: Interim tamen reuulſioni incumbendum, quod fieri poterit ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, & ſimilibus; nec aliena ſunt ſanè veſſicantia à *Paulo* per hæc verba comprobata *lib. 3. cap. 9. Iam fæmora, & crura medicamentis exulcerantibus rubicunda facta ſepænumerò iuuant*; quamobrem eadem nedum cruribus, vnàque bracchijs affigerem, ſed cum *Septallio* in ſuperiore parte capitis vertice nempè, ſicut in ſuperiori dorſi parte propè occiput; cui quoque parti candens ferrum adhibitum non erit ab re; ferrum enim illud candens (aiebat *Mercatus*) nedum prodeſt quatenùs fontanellam excitat, ſed quatenus calore illo actuali exſiccat, & in halitum digerit; qua etiàm ratione doctiſs. *Maſſaria lib. 1. ſuæ prax. cap* 12. ſe meminiſſe ait cuiuſdam lethargici, qui nulla ratione potuit melius excitari, quam beneficio huius remedij, quinimò *Zacutus lib. 1. de prax. Med. mirab. obſeru.* 19. dicit in caro, apoplexia, alijsue merè frigidis affectibus ad excitandam facultatem liquandumque tenacem ſuccum toto prius corpore, & cerebro vacuato, cauteria, clypeum candentis ferri, ſynapiſmos & emplaſtra calidiſſima veteres commendaſſe; ſic ſubdit ſe cuidam profundo ſomno immerſo cauterium iniunxiſſe, & candenti ferramento cruſtas in vertice capitis excitaſſe, in occipite vnum, & circùmcircà multas, ex quibus cum excitaretur æger, & ichores effluerent, expergefactus ad mentem redijt; ſubdit *Zacutus*: *Hi enim ignis ope liquata pituita, & per multos dies per os, & nares excreta conualuere*, ſic quoque ad lethargicos excitandos multa ſanè proponi queunt, ſic legimus Iouem excitaturum dormientem Agamemnonem ſomnum miſiſſe, vt ſomniorum ſpectro illum vigilijs traderet, vt benè à Natali Comite in ſua fabularum mythologia dicitur, dum enim ſpectra vel horribilia, vel ſuauia Imaginationi repræſentantur æger vim ſibi infert vt ſomnum expellat; ſic legimus apud Homerum de Opimio illo auaro, qui cum nulla artis ope à profundiſſimo lethargo excitari poſſet, is homines multos videns nummorum copiam in capſis clauſam furari præ pauore excitabatur; ſed quicquid ſit non improbarem oxymel ſcyllit; pyrethrum, mitridathum, & ſimilia; ſicuti ſuffitus ex origano, ſatureia, maiorana, Caſtoreo & aceto acerrimo maximè commendarem, à doctiſs. *Saxon* probatur linimentum factum ex pilis humanis ipſius ægri crematis, & puluerizatis rutha, & aceto, quo illinantur frons, & tempora, Sunt præt. qui ſternutatoria adhibent, ſed ab excellentiſs. *Mercato* improbantur, cum non raro nimio motu quem illa met inuehunt apoplexiam valeant accerſire; proindèq. *Septall. loco ſup. cit.* nunquam ab initio ijſdem eſſe vtendum ait, ex intempeſtiuo enim huiuſmodi remedio magis funditur materia, magisque ſubindè impingitur, vndè & contumax, magis fit morbus, & apoplexiæ ſequuntur: ſunt præt. qui clamoribus, punctionibus, vellicationibus, campanis, vaſis æneis, & malleis percutientibus & porcellis in conclauem inductis ægros excitandos iubent, vt adnotant *Gentilis Gordon*, *Valeſc. Matthæus de Grad.* verum hæc apud *Celſum*, & *Cælium Aurel.* refelluntur; ideòque potiùs alijs medicaminibus vtendum eſt, quam illis: De diæretico fonte nil dicendum mihi propoſui, cum ſciam à doctiſs Viris optimè inſtitui; quamuis de vino ſit non mediocris quæſtio, eaque ab *Hipp.* ſuſcitata, is enim 3. *de morb.*

acu-

tex. 5. à vino abstinendum præcipit, & 2. *de morb.* illud admisit, quod tamen in declinatione adhibitum malum non esse concredidit *Mercurialis Martianus* post sorbitionem ait posse illud adhiberi non potus ratione, sed medicamenti gratia, & quamuis 3. *de morbis* illud negauerit id peregit timens delirium, quod in nostro casu quamuis non existat ad maiorem tamen cautelam illud denegandum ne maior portio materię in caput efferatur, hecque sat esse decreui pro curando (si tamen fieri valeat) lethargicò pathemate. Datę Aquilę hac die 12. Aprilis anno 1637.

PRO HIERONYMA AMBASTARIA
Apoplexia laborante.

CONSVLTATIO VIII.

VErtiginosum pathema non rarò apoplecticam passionem portendere explanarunt *Auic.* & *Cælius Aurel.* vnde *Gal.* 3. *aphor.* 17 dixerat vertiginem plerumque apoplexiam anteire, vt non sit mirandum si octuogenaria nostra languens multo temporis interstitio vertiginibus pressa, tandem in apoplecticum pathema miserrimè impegerit, quod manifestè patet eò quia sit motu vnàque sensu viduata, quod erat proprium apoplexiæ vt colligitur ex *Gal.* 2. *aphor.* 42. vbi hæc habet: *In apoplexijs totum corpus repentè sensu priuatur, ac motu, solus restat anhelitus qui si & ipse prohibeatur, magna est, & acutiss. hæc apoplexia, quicunque verò respirant quidem sed magna cum vi fortis adest istis apolexia:* quam *Hip.* nunc nominauit morbum attonitum & nunc vt legitur *lib. de gland. tex.* 9. syderationem, hancque pariter vt vult *Marinellus Hip.* specificauit sensus, & motus priuatione, dum 2. *de morb. tex.* 21. hoc pacto apoplexiam descripsit; *Sanum derepentè inuadit dolor circà caput, & statim vox intercipitur, & stertit, & os hiat, & si quis ipsum vocet, & moueat, solum suspirat, nihil autèm intelligit, & multũ mingit, & mingere se non sentit:* sic 6. *aphor.* 51. scribitur: *quicumque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt,* vbi *Gal.* sic subdit *Mutos solet Hip. nominare non eos tantum quibus læditur vox, verũ secundum exuberantiam quandam vna cum eius læsione dat nobis intelligendas omnes, quæ sunt secundum electionem operationes his oblæsis non semper interit sensus, sed si vtrũque patiuntur, talem affectum vocant apoplexiam:* quod clarius patet ex eodem *Hip. lib. de gland. tex.* 9. dum ait: *Cerebrum cladem perfert, ipsum etiam sanum non existens. sed si quidem erodatur, turbationem multam sustinet, & mens desipit & cerebrum conuellit, ac distrahit totum hominem, qui in se ipso vocem non edit, ac suffocatur, & hæc affectio syderatio, ac græce apoplexia nominatur;* sic *Aretæus lib.* 1. *tard. pass. cap.* 4. dixit *Apoplexia validus planè morbus est, nam in omnibus exanimes sunt, quorum & corpus, & mens stupet:* nulli ergò dubium est apoplexiam significari per abolitionem sensus, & motus vt in nostro accidit casu, nam vel contacta, vel alio modo impulsa languens nec dolet, nec sentit, nec vllo pacto mouetur; affectus sanè non aliter præstitus vel vt vult *Auic. p.* 3. *tract.* 5. *cap.* 12. quam ex obstructione in ventriculis cerebri, & cursibus spiritus animalis, & sensibilis; *Gal.* 3. *de loc. aff. cap.* 7. dixit apoplexias fieri dum frigidus humor, aut crassus, & viscidus principaliores cerebri ventriculos implet; Alij dixere obstructionem aliquam fieri, qua animalis facultas ad partes extimas peruenire

prohibeatur; prohiberi autem aiunt obturatione viarum, & obumbratione: *Quercetanus* dixit in Tetrade apoplexiā fieri ob vaporem quendam narcoticū: quid autem intelligat istius vaporis nomine explanat doctiss. *Senenr.* in *cap. de apoplex. quæst.* 3. quinimò ipsemet *Senner* eodem loco *quæst.* 2. ait immediatam apoplexię caussam esse talem viarum per quas spiritus animales influunt angustiam, vt spiritibus animalibus via omnis intercludatur: neque opus esse retur, vt tota cerebri medulla obstruatur, vel comprimatur, sed ad apoplexiam excitandam sufficere medullæ cerebri oblongatę, seu principij neruorum in basi cerebri posteriora versus talem angustiam, ob quam in omnia sensus, & motus organa in toto corpore spiritum animalium influxus prohibetur: *Nicolaus Piso lib. p. cap. de apoplexia* multas annumerat caussas, fit enim ait, vel quia spiritus animalis qui per neruos descendit, non conficitur à cerebro, ob intemperiem totius substantiæ ipsius, & ea non nisi longa temporis progressione produci potest; vel quià idem spiritus intercipitur ab humore crasso & pituitoso, viscido, confestim cerebrum irrigante, aut ventriculos, vel arterias, plęxum retiformem afficiente, obstruente citrà putredinem tamē ac febrem; Pręt. dicit apoplexiam posse emergere vel ab humore melancholico, vel à sanguinis eruptione, & eiusdem plenitudine, vel à crassis vaporibus cum humoribus vias spirituum intercludentibus vt in ebrijs, vel ex phlegmonoso affectu incerebro non obstruente ventriculos, sed constipante, vel ex obstructione in carotidibus arteriis, & aliis quæ apud eundem videantur. Doctiss. *Duretus* duplicem sancit apoplexiæ sortem, aitque ea quæ intrà sunt, & intùs lædunt apoplexiam parere, dum corruit animalitas ipsis cum amissione sensus, & motus, aut quia spiritus animalis exitu, aut vitalis aditu ad cerebrum prohibetur. *Spiritus* (subdit) *animalis exitu prohibetur cum cerebri sinus repleti sunt nimia abundantia pituitæ, nigri humoris, aut sanguinis, ac dum replentur nec dum repleti sunt symptoma est conuulsionis epilepticæ, quam excipit resolutio apopletica vt ipsi vidimus in Episcopo Niuernensi, & in quæstore Ballomo, quibus vita defunctis inuenta est Repletio sinuum à sanguine illuc prorupto; spiritus autem vitalis aditu prohibetur ad cerebrum in ijs qui natura sunt crassi, & breuioris colli, repletis nimium, obstructis, compressis quæ illac feruntur ad caput arterijs, atque venis: hæc Duretus*: quam quidem opinionem habuit pariter *Iacotius in lib. p. Coac.* aiendo apoplexiam fieri ex venarum interceptione denegato vitalis spiritus motu, hancq; interceptionem subitò sanis euenire, cum faciei rubore, oculorum constantia manuum porrectione dentium stridore, extremorum refrigeratione, eamque venę sectione solui autumauit cum *Hip.* hancque venarum interceptionem multò meliùs explanauit idem *Iacot.* 7. *Coac. sect.* 2. *coac.* 3. aitque calorem natiuum cum spiritu in illa plenitudine suffocari quia diffl.ari non potest vt & in crapula, fitque *το αννιων αωωληψις*, venarum interceptio; *nam* (subdit *Iacot*) *cum suprà modum oppletæ fuerint, premi virtutem grauarique est necesse, vndè extinctionis caloris natiui periculum, & propter multitudinem atque copiam suffocatio ei similis, qua omnes apoplectici laborant*: In quo à syncope frigida maximè differt, quod in hac dissipentur spiritus, aut ad cor contrahantur, hic enim per naturales ductus intrò foras, aut cōtrà ferre nō possunt, vt antè proindeque torpent, ac refrigerantur, sanguisque coalescit, & concrescit vt in mortuo corpore, non à vehementi frigore, aut siccitate, vti Catalepticis, sed suffocato calore, & intercepto spiritu, quo liquidus erat ac fluxilis, vt cum fusum metallum ab igne remotum licet adhuc calens cogitur: atque ob hanc rationem forte *Aris.* dixit locum affectum in apoplexia esse cor idest quando humor frigorè con-

concrescit in corde. *Martianus 2. comm. de morb. ver. 64.* Apoplexiæ primo tres differentias sancit, quarum & si diuersę sint caussæ antecedentes, in essentia tamen conueniunt omnes, quæ in sanguinis statione consistit, vndè spirituũ motus, & actio omnis tollitur nam vt Hip. ait: dum ipse non mouetur, fieri non potest, vt non etiam corpus quiescat; sanguinis tamen nomine *Martianus* comprehendit etiam spirituosum illum humorem, qui in arteriis continetur, quo mediante non solum spiritibus animalibus materia subministratur, sed fouetur continuò, & in naturali dispositione conseruatur: quum igitur sanguis motu priuatur, spirituum non modò intercipitur motus qui fit per sanguinem, sed simul, & semel animalis spiritus generatio, quę fit in cerebro, vitiatur, & interrũpitur ex materię defectu, venis seù arteriis interceptis: subdit *Martianus* adhuc afendo hanc sanguinis stationem fieri vt vult *Hip.* in venis seù arteriis totius corporis, in apoplexia, vero potissimum intercipi eas quę sunt in collo, & pectore, quià in his partibus maximè apparet effectus interceptionis difficultas scil. respirationis, & angustia, vnde stertor: quas quidèm sententias pręfati auctores deprompsere ab *Hip.* is enim *lib. 2. de morb.* dicebat: *Postquam venę pituitam in se ipsas traxerint, necesse est præ pituitę frigiditate sanguinem magis nunc sisti. ac perfrigeratum esse quam priori tempore, dum autem sanguis non mouetur fieri non potest vt non etiam corpus quiescat, ac torpeat; & siquidem sanguis ac reliquum corpus superarint, ita vt calescant, homo euadit, si verò pituita præualuerit sanguis magis perfrigeratur, ac congelatur, & si frigiditas, ac congelatio augescant penitùs congelascit, ac prefrigeratur homo, & moritur:* sic superius dixit: *Alius morbus. Derepente dolor occupat caput, & statim vox intercipitur, ac sui impotens fit. Hic in septem diebus moritur, si non febris inuaserit, si autèm hæc inuaserit, sanus euadit, patitur autèm hæc quum atrabilis ipsi in capite commota fluxerit: maximè in partem in qua plurimę sunt venæ, in collum inquam, & pectus, deindè postridie syderatus fit, ac impotens, sanguine nimirum perfrigerato, & si superior euaserit, ità vt sanguis calescat, siuè ab his quę exhibentur, siuè à se ipso attollitur, ac diffunditur, ac mouetur, & spirationem inducit, & spumescit, & à bile separatur, & sanus euadit, si verò superior non euaserit, adhùc magis perfrigeratur, & vbi penitus perfrigeratus fuerit, & calor ex ipso defecerit, congelatur, & moueri non potest, sed moritur:* sic 34. *auct. tex 23.* dixit idem *Senex.* Quod autem qui repente obmutescat, id venarum interceptiones, occulsionesque faciant, si sano absque occasione vel foris alia caussa id contigerit: subdit *Gal. in comm: Venarum* ἀπωληπψεις *idest interceptiones appellat oppletiones, quæ à copia exoriuntur, cum igitùr supra modum oppletæ fuerint venæ, grauari virtutem est necesse atque in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob copiam suffocationi simile quippiam patitur, oriuntur si quidem epilepsiæ, & apoplexiæ, & syncopæ cardiacæ*, ex quibus *Gal.* quoque visus est fecisse *Hippocratis* opinioni. *Vallesius* autem in *comm.* præfatę opinionis satius, quàm alii videtur explicasse quid sibi velit hæc venarum interceptio, atque interceptionem hanc venarum esse interclusionem earum tantam, ut prohibeatur spiritus per sanguinem delatio, quæ necessaria est, & ad ipsius sanguinis, aut calorem omnino faciendum, aut augendum, & ad deferendam per corpus facultatem uitalem, & naturalem calorem, (tametsi enim vitalis facultas illustratione potius communicatur, quam spiritu, nunquàm tamen sine spiritu) explicat superius quoque hic auctor quid *Hippocr.* intelligàt nomine stationis spiritus, atque non aliud sentire, quam spiritus sanguinem non peruadere, per vias quæ secundum naturam sunt in sanguine hoc est per ipsum sanguinem, qui naturaliter peruius

est

eſt ſpiritibus, deſinit verò peruadere corrupto ſanguine, hoc eſt concreto, coagulatoque, vt ſolet extrà fuſus, aut in corporibus demortuis vbi coagulatur, quià non penetratur ab ſpiritu, ſinit penetrari, quià multitudine obturantur viæ, & ipſe inculcatus denſeſcit. quamuis *Martianus* alias reddiderit rationes quas breuitatis gratia ſileo: ſcio interim me conſultantis perſonam non induiſſe nunc temporis cum in opinionum variarum perueſtigatione inſiſtam, cæterum hęc mihi videtur propria conſultantis ratio, vt ceù ſciat in quo conſiſtat vera morbi, de quò agitur, eſſentia, ſiquidem non benè non raro medemur cum calcatam ſæpiùs viam peruadimus, non raro enim eadem non ad veritatis ſemitas homines tranſuehit, ſed in vniuerſale malê ſentiendi vtique iter; ideòque mihi viſum eſt varias opiniones recitare, vt ſcil. quicunque non vacat iudicio, ſciat non raro a communi ſenſu diſcedere, modo veritatem ſtudeat indagare, non autèm ingenium in inueniendis rebus nouis velle commonſtrare, in ijs enim in quibus poteſt ęgrotanti præiudicium afferre ingenium non adhibendum, niſi vt ceù eidem opem feramus, ne videlicet nimium ingenium nouitatis tenax tenacitèr ægrum morti vtique tradat; ideoque non ignoro alios alia proferre de apoplectico pathemate, illudque quomodo fiat, quod quia *Hippocratis* hæreo opinato, alia miſſa facere decreui, non omittendo tamen quæ ſentit de Apoplexia *Marcellus Donatus* cum iſte Hippocratis quoque opinionem acclamet; is enim putat eandem apoplexiam non fieri obſtructis cerebri ventriculis totali obturatione, ſed non raro obſtructo plexu retiformi mirabili, vel ſoporalibus arterijs, quas Græci καρωτίδας vocant; quod multis hiſtorijs nititur probare, & primo in medium adducit *Fernelium* qui 2. *de abd. rerum cauſſ. cap.* 15. ſic ſcribit: *quum aliquandò vidiſſem virum viribus integrum ſiniſtro oculi ictu vehementiori repentè attonitum corruiſſe, moxque ſenſu, ac motu priuari cum ſpiritu difficili, ac ſtertore, & cum alijs fortis apoplexiæ indicijs, cumque nec venæ ſectione, nec alia potuiſſet ratione ſeruari, quin horis duodecim interiret: Mortis cauſſam inueſtigationem dignam putaui, diſciſſo, apertoque capite, neque oſſis, neque meningum, neque ſubſtantiæ cerebri quicquam confractum, diuulſumue, ſed duntaxat interiores oculi venas contuſionis vi diruptas animaduertimus, è quibus ſanguis cochlearium duorum menſuram in cerebri baſim procubuerat, qui concretus arterias eas obſtringebat, quæ retiformem contextum conficiunt, & quæ illinc in cerebri ventriculos propagatæ choroidem alterum conſtituunt, cerebri autem ventriculi prorsùs illæſi, inanesque cernebantur.* Sic alium refert idem *Fernell.* qui citrà cauſſam externam apoplexiam incidit, cui diſſecto inuenit paritèr contextum retiformem humore craſſo, & viſcido imbutum, cerebri ventriculis nec obſtructis, nec oppletis, vndè concludit *Fernell.* iiſdem venis vel obſtructis, vel oppletis apoplexiam gigni; quod tum cerebrum nihil ſpiritus è corde per ſubiectas arterias recipiat, ſitque neceſſe illius motum ſenſumque perire; hancque *Fernellii* opinionem confirmaſſe viſus eſt *Iacobus Carpenſis*, qui *in iſag. in anotom* de venis loquendo ſic ait: *Sæpe tamen accidit ipſis coarctatoria oppilatio à plethora ſanguinis cauſſata, quæ ſi fiat in ramis venarum guidez, ideſt carotidarum, ſemper ſequitur ſomni profunditas, apoplexia, & ſuffocatio extrema, ſic Leuinius Lemnius lib.* 1. *de occultis miraculis naturæ cap.* 11. ait arterias καρωτίδας ſeù ſoporarias iugulum perreptantes præciſas ſterilitatem inducere, oppletas apoplexiam: neceſſe eſt enim ſubdit eſſe vias quaſdam, atque arteriarum, venarumque decurſus per quos humores, ſpiritusque tum animales, tùm vitales vltrò, citrò que poſſint commeare ac calorem naturalem ab anima concipere: huius quoque ſententiæ fuit inter antiquiores *Rhaſis* qui venas guidez, ſeù iugulares in apoplecticis ſecandas

das

das mandat, vtpotè quibus oppletis affectio oriatur, inanitis verò soluatur; sic *Auenr.3.coll.vlt.* dixit apoplexiam fieri, quando ascensus spirituum animalium à corde ad cerebrum impeditur ob arteriarum inter cerebrum, & cor obstructionem: Eiusdem opinionis est *Leonardus Iacchinus* in 9.*lib Rhasis cap.9.* dum explanata apoplexiæ duplici caussa sic eam definit: *Apoplexia est obstructio vehemens ventriculorum cerebri omnium vel iugularium vasorum, quæ veteres carotidas, seu soporarias appellabant 7.de plac.* quicquid tamen sit quamuis *Aris.in probl.* apoplexiam in corde fieri statuat, eò quia scil. in eo frigore concrescat humor, tamen ego nunc temporis quamuis alitèr sentiam dicam apoplecticum pathema quo nostra languens afficitur, per ydiopathiam in capite fieri, ipsumque à pituitoso humore ortum ducere, tum ratione ætatis idoneæ ad talem humorem aggerandum, tum ratione hyemalis temporis ad eundem exprimendum sat vtique habilis; quamuis non ignorem eundem affectum & ab humore melancholico, & à sanguineo posse initia ducere, à melancholico quidem dixit *Hip.2.de morb.* à me super cit. quinimò ipsemet *Aris.30.sect. probl.* 1. id pariter sanxit, quod volens probare *Cardanus* dixit à solo humore progigni melancholico, ea scil. ratione ductus, quia cum morbus sit sæuissimus, eum à deterrimo humore fieri necessum est, præt. cum pueri multa scateant pituita, potius apoplexia; quam epilepsia tentarentur, quam opinionem reprobauit *Fernel.* A sanguine autem fieri explanauit doctissimus *Petrus Salius lib.de affect.particul.* quod quidem *Gal.* asseruisse visus est, dum *lib.de cur.rat.per sang.miss* hæc nobis scripta verba reliquit: *Hoc pacto Apoplexiæ proueniunt, multo nimirum sanguine in principium animantis confertim irruente*; cæterum quoniam nostra languens est admodum annosa, ac paucissimo sanguine scatet, propterea ad pituitam redigendus affectus, qui sanè non modicum portendit discrimen, cum maximum angorem inuehat, maximamue anhelitus difficultatem, omen vtique fortis apoplexiæ vt dixerat *Gal.in aphor.* quam soluere impossibile esse *Hip.* pariter *in aphor* decantauit; neque enim febris illa qua premitur spem nobis spondere valet de futura salute, cum dixerit *Gal* illis morbis conferre febrem, qui ex frigiditate fiunt, non inquàm siquidem est admodum lenta, quæ mouet quidem, sed nihil promouet; indèque asseruit idem *Hip. Apoplexia repentè oborta solubilis, adueniente lenta febricula mortifera est*; ob rationem adductam, quia scil. paruitas illa febris non est apta consumere humiditates illas excrementitias, atque hac fortè ratione Hip. in epid puerperis spasmo occupatis ignem facit; nomine enim ignis dixerat *Valles. in comm.* intelligit Senex febrem fortem: vt fortitudine illa febris humiditates absorberet, febris enim sibi ipsi consumit materiam vt sat explanaui in meis epistolis: quamobrem potiùs ad interitum tendere crediderim nostram languidam, quam aliter; neque ob id eandem putarim prognosi derelinquendam, non inquàm, decet enim dicebat *Trall.* vel vsque ad sepulturam ægrotos non derelinquere, atque ideò quamprimum medica est porrigenda manus; quæ sanè intenta esse debet auersioni, purgationi, & resolutioni; Præstabimus ergò auersionem multis medicaminibus, vt frictionibus, cucurbitulis, glandibus acerrimis, vessicantibus, & tandèm acrioribus clysteribus, cum in hoc morbo sopita iaceat natura, poterit ergò huiusmodi clyster adhiberi, vt ℞. dec. chamom. ruthæ, centaurij, absynthij lib.1. el. diaphæn. hyeræ picræ an. onc. 5. mellis ros. sol. sacch. rub. an. onc. 2. vitell. ouorum n. 2. mis. pro clystere, quem quamuis inanem prædicarit doctiss. *Pereda in admot. ad lib. Paschal.* eò quia hi acriores clysteres solum ab intestinis euacuant, & primis venis non ex toto

cor-

corpore, quod probat quoniam medicamentum purgans vt agat, debet reduci in actum, quod cum nequeat fieri (vt ait) à clystere ergo neque purgare posse retur, quod nequeat fieri probat, siquidem de natura aeris medicamenti est, quod statim irritat intestina, ac proindè expellitur, indèque *Galen.* adducit aientem 4. *aphoris.* 2. vbi propositis medicamentis, quæ errhina dicuntur, & apophlegmatismata, subdit ea ex parte nempè cerebro euacuare, additque clysterem ex hoc genere esse: si ergò clyster ex parte euacuat intestinis scil. & primis venis, qua ratione in apoplexia? Cęterum in hoc dormitauit bonus hic auctor, cum in hoc potissimum decipiatur, scimus enim ipsum *Gal.* dixisse clysteres & potissimum acriores à capite ducere, indèque *Oribasius lib.* 4. *collect. cap.* 24. ait clysteres ex medicamentis purgantibus conflatos calidis rebus, validisque attrahentibus non solum quæ in intestinis continentur euacuare, sed quæ ad caput feruntur reuellere potentissimè, & ea quæ circà ventrem, & mesaræum, & hepatis sima sita sunt vacuare, vt etiam luculenter monuit *Gal. lib.* 2. *de compos. medic. secund. loc. cap.* 10. nam est validum auxilium, indèque doctiss. ex Neotericis *Zacutus* hæc habet *lib.* 2. *quæst.* 5. *Validissimè ergò acris clyster cucurbitulæ instar attrahit, & reuellit, cum ex colocintide, centaurio, Cnico, scammonio, alijsque fortissimis, & calefacientibus medicamentis sit paratus*: Nec verum est quod asserit *Pereda* clysterem nequire medicamentum purgans in actum reducere, siquidem sua titillatione, ac intestinorum vellicatione nedum intestinorum expultricem suppungit ad euacuationem, sed & vniuersi corporis facultates mouet; cum confluxio sit una ex *Hip.* conspiratio vna, consentientia omnia, ità vt si aliquam corporis partem attingere velis, vt aliàs asserebat idem Hip. totum corpus affectionem sentiat, propt. quod minima corporis pars omnia habet quæcunque, & maxima, & vnaquæque refert ad genus suum: quod magis patet clysterem posse in actum redigere medicamentum, eò quia ipsum è sui natura sit ità dispositum vt possit euacuare vel similitudine vt *Galen.* vel anthipathia vt Aris. innuebat, vndè dum ab irritante clystere suscitatur, in actum quoque magis reducitur; cœterum quicquid sit his non obstantibus ad clysteres acriores deuenirem; quinimò cum morbus non præbeat inducias, ac dilatio sit animæ periculum, vel nulla admissa præparatione ad purgans aliquod medicamentum protinus accedendum esset ni mulier esset ità senex, ac debilis, indeque aiebat *Ioannes Paschalius* cum morbus hic sit acutissimus dependens à materia fixa in membro principe, & ideò quodammodò turgida quare moram, & tempus apparandi non concedit vacuanda est materia etiam valentibus, & largioribus medicamentis purgantibus, virtus enim expultrix in ijs est sopita, & meatus angusti, vt sanguis, & spiritus per ipsos permeare non possint sic habemus apud *Hipp. la.* 7. *epid.* historiam Vnctoris qui erat apud Harpalidem, qui impotentior crurum, & manuum factus bibit pharmacum tunc sursum, ac deorsum purgans: subdit *Valles. in comm. Hanc autem ob caussam bibit tunc, nam illud tunc festinationem significat, pharmacum sursum, & deorsum purgans*: ideoque nonnulli in hisce casibus maior auctorum pars anthimonium probant; quod tamen mihi non ex vsu esse videtur, nam vt ait doctissimus *Zacutus cap. de apoplexia* cum vehementer per vomitum euacuet summoperè obesse potest, tum quia æger in hoc motu se ipsum nequeat adiuuare, tum quia cum se erigere nequeat potiùs suffocaretur; accedit quod huius vacuationis vi humor à toto ad superas conuolat partes, caput replet, & affectum conduplicat; cuius quoque sententiæ esse visus est *Septallius lib.* 6. *num.* 61. sic doctiss. *Forestus lib.* 10. *in schol. obseru.* 76. quendam apoplecticum re-

fert

Pert vomitu malè habuisse; vndè *Sennertus lib.1.par.2.quæst.6.* ait ob vomitum metum esse, ne diaphragmate, & thorace vehementiùs compresso spiritusq; vijs arctiùs adstrictis suffocatio acceleretur, ac proindè (subdit) verisimile est authores illos vomitum præcepisse in progressu morbi, quando euacuationes vniuersales iam præmissæ sunt, & æger paulatim restitutus conatum illum adiuuare potest, atque ad vomitum promptus est: nam mox antè euacuationem repleto corpore, & capite, vomitum non profuisse compertum est: ideòque idem auctor satius laudat euacuationem ab initio, hancque vel nulla præmissa præparatione, nam si præparationi opera detur morbi præsens magnitudo quæ summoperè vrget periculum prohibet: Facilè enim fieri posset, si tempus in humore præparando consumatur: quod si casu contingat peccantem humorem esse nimis crassum, subdit *Senner.* attenuantia purgantibus esse admiscenda: sed *Petrus Salius* optimam instituit difficultatem, qui fieri possit, vt scil. apoplectico medicamentum tribuatur, cum ille sit totaliter resolutus, & consequenter inhabilis ad pharmacum deglutiendum; vndè credit incassum dari vel cibum, vel medicamentum, nisi hoc declinante morbo agatur; verùm *Hipp* id intuens, instrumentum oblongum, curuumque præstat, illudque per foramen immittit quod est immediatè post vltimum dentem, atque inde medicamentum transmittit ad fauces, cum enim eò peruenerit medicamentum deorsùm illabitur, vel ab eodem ægrotante quamuis resoluto admissum necessitate deglutiendi; de hoc tamen cum nulla sit necessitas in nostra languente ob languidas vires haud vlteriùs loquendum, hæc tamen quæ dixi obiter dicere volui, vt explanarem difficultatem, quæ fieri assolet circà purgationem in apoplexia, quemadmodum nec de sanguinis missione verba sunt facienda, cum ea nullo pacto videatur posse conuenire, tùm senij ratione, tum virium debilitate, tum denique ob frigidum morbum; quamuis non ignorem doctissimum *Celsum* dixisse *lib.3.cap.7. Si omnia membra vehementer resoluta sunt sanguinis detractio, vel occidit, vel liberat, aliud curationis genus vix vnquam sanitatem restituit mortem tantum differt, vitam interim infestat; post sanguinis missionem, si non redit sensus, & motus, nihil spei superest, si redit, sanitas quoque prospicitur*: proindèque *Cælius Aurel.lib.2.acut.morb.cap.5.* dixit: *Adhibenda etiàm phlebotomia, non necessariò expectata diatrito, dimissionis tamen tempore, vel circa primæ lucis exortum, cum ex aliqua parte corporis frigidus torpor visus fuerit regelari.* Etenim qui prius quàm hæc prouisa sunt, in materiæ detractionem festinauere, latenter accessionis tempore decepti phlebotomiam adhibent, vel certè iam expirantes ægrotos phlebotomando nihil prodesse potuerunt, siquidem neque materiæ fieri potuerit exitus, cum corpus desertum exitum sanguinis negat, quanquam diuisa vena videatur: indèque *Zacutus lib.7.cap.7.* dixit hoc præsidium citissimè celebrandum esse, ne sanguinis calore pœnè emoriente, & flacuescentibus viribus citrà morbi leuamen phlebotomia deinceps vires prosternat sic idem auctor nedum hac sanguinis missione contentus existit; sed venam frontis, nasique secat, quinimò hemorroidibus hyrudines affigit, quia Apoplecticis hemorroides superuenientes bonum, vt in Coacis asserebat *Hipp* sic illas retrò aures, & temporibus admouendas esse proponit, præcipuè si virium penuria adsit, & vitium ex atro sanguine originem ducat: quinimò *Valesc.de Tarant.* in his casibus vtitur hyrudinibus appositis in plurib. corporis partibus: *Hipp.2.de morb.* vtitur incisione in syncipite, aiens: *sin minus quæ vna spes reliqua est synciput ipsum findito, & vbi sanguis defluxerit labijs compositis cucato, ac deligato, si vero non secueris decimo octauo, aut vigesimo die plerumque perit;*

subdit *Salius in comm.* ex hac curandi norma illud recipiendum venit, quod in apoplexia curanda optimum sit, sanguinem per sectionem cutis in syncipite factam mittere, & hoc præcipuè, vbi huius occasio sit ex caussa, ex qua caput incaluerit. Verum vt ingenuè fatear vbi apoplexia fit à materijs frigidis, adest ætas annosa, viriumque imbecillitas cauendum à sanguinis euacuatione, cum euacuetur alius humor ab humore peccante, præterquam quod caput nimis refrigeratur in opinione statuentium apoplexiam fieri in ventriculis cerebri, ideòque *Gal. 4. de sanit. Tuen.* sanxit in humoribus frigidis exuberantibus non esse venæ sectionem instituendam, illa namque magis refrigerat, sic videmus historiam Alicarnassensis ab *Hippoc. 7. epid.* enarratam, qui cum phreniticus esset lethargicus factus est solum ob præstitam venæ sectionem; proptereàque meritò *Aretaus* dixit sanguinis missionem in Apoplexia esse auxiliū valdè anceps, vndè *Auic.* solum in Apoplexia à sanguine phlebotomiam commendat; verum in opinione statuentium apoplexiam fieri ex venarum interceptione vtilem semper futuram esse venæ sectionem autumarim, nimirum ad sanguinem rarefaciendum, qui densatus, vel pituitæ commixtus impedit spirituum animalium transcursum, seù commeatum; sic videmus phlebotomiam institui non rarò, vt detur via medicamento sic videmus *Rhasem* venas iugulares in hoc casu secasse: cuius quoque opinionis extitit *Herc. Saxonia* dummodo foramen fiat exiguum: quod si in hoc morbo instituenda sit venæ sectio illud monerem, quod adnotat doctiss. *Septall. in lib. 6. nu. 57.* vt repetito id agamus, sic enim neque refrigerabitur corpus, aut vires imbecciles reddentur, & id obtinebimus, quod maximè exoptat *Aetius* nempè materiam morbificam commouebimus; sicque explere visi sumus duos illos scopos seu indicationes propositas, auersionem nempè, & euacuationem, illam actualibus præsidijs, hanc proponendo tantummodo, cum in Iuuene illa præstanda veniret, at in annosa, & pœnè deplorata muliere minimè de particulari aliqua euacuatione facienda videtur maior in hoc casu difficultas, An scil. sternutatoria possint conuenire; certè *Mercatus* illa admodum improbat, cum nimia illa concussione possint maiorem in cerebri ventriculos allicere humorum prouentum; sic quoque *Zacutus*, & *Septall. loco super. cit.* dixit antè totius corporis euacuationem esse admodum noxia, primò quia humor efficiens apoplexiam sternutamento expurgari non potest, & præsertim ille, qui in substantia cerebri firmiter est impactus; Secundò quia capitis, & pectoris agitatione cerebrum humoribus ad ipsum attractis magis repletur, quare malum ingrauescit, obstructio ventriculorum cerebri augetur, vndè ante purgationem præsidium extat admodum anceps; ego tamen quocumque tempore à validis sternutatorijs abstinerem, nam vt ait *Hipp. quæ valida sunt à toto capite ducunt, quæ verò debilia à naso, & hinc vicinis naso partibus*: potiùs ergò vteret errhinis vel debilioribus medicamentis vt aqua mulsa, succo cyclaminis, samsuci, & similibus: De vltimo adimplendo scopo resolutione nimirum materiæ aliquid dicendum, non desunt qui statim ad theriacam ori immissam, mitridathum & alia; hæc tamen, vt suspecta nunquàm probarem, nam vt benè præfatus *Zacutus* admonet in theriaca, & mitridatho etiam si diù seruentur, vis opij non omninò perit, cuius caussa somnus non minuitur, sed augetur, quod quoque notat *Mercatus* cap. de apoplexia, in vltimis versibus. Adde quod hæc medicamenta plurimam humorem copiam ad caput transuehunt, ex quibus torpet omnis actio vt decantarat *Aretaus*; ideòque horum loco *Zacutus* commendat castoreum, piper, Zingiber, & similia, quæ quamuis va-

gorosa, quia tamen cerebro iniucunda innocua esse magis queunt; quod tamen ego præ reliquis commendarem esset vsus sampsuci, origani, satureiæ in aceto acerrimo dissoluta, & naribus appropinquata, hęc enim vapores dissecant, materiam extenuant, & eandem tandem resoluunt; poterit ergo huiusmodi vsus satis commendari, & quamprimum institui; Nec ignoro à nonnullis in syncipite inustionem probari pro eadem materia resoluenda, quam tamen in nostro casu exploderem cum simus in materia graui, nec consequenter sit habilis in halitum digeri, præterquàm quod huiusmodi inustiones solent maximum detrimentum afferre; vndè abusum adesse dixit doctissimus *Septallius*; quis enim denudato cranio periculum non cognoscat? quis adusto pericranio securitatem pollicebitur? quis inflammationis & externæ, & internæ periculum non verebitur adusta parte, vbi membranæ externæ cum internis per neruos, per fibras, per venas, per arterias iunguntur? sic *Zecchius* historiam recitat cuiusdam Bononiensis apud viam Galeram, qui ex hac inustione in phrænitidem commigrauit: tutius ergò erit inustionem occipiti adhibere, sic enim materia illa poterit euacuari, vnaque resolui; neque ignoro id aliquid temporis à nonnullis requirere, nam vt aiebat *Mercatus* Fontanella huiusmodi nedum per euacuationem quam celebrat prodesse valet, sed quia ferrum illud candens calore suo actuali dissipat, extenuat, resoluitque materiam; quinimò Zacutus nedum occipiti inustionem commendat, sed vniuerso capitis ambitui, sicut candentem sartaginem, uel ignitum clypeum capiti admotum quousq; ægri pili uri videantur, hæc tamen omnia ab *Hip.* referuntur remedia; quæ quidem quoniam vehementia sunt à Medicis passim relinquuntur, quæ si fierent, fortè multi ægrotantes in vitam reducerentur; vndè benè *Cardanus* dixit Medicos, qui vehementibus medicamentis homines haud curant, si salus subsequatur, non sanè Medico tribuenda, sed Naturæ: indeque doctis. *Leonardus Iacchinus in 9. Rhasis p. 77.* ait, animaduertendum ignauos nostri temporis Medicos dum relictis Ducibus fucos sectantur magnarum ægritudinum caussam sustulisse. *Quis*, subdit, *hodie comitiales, quis melancholicos, quis elephantem morbum curari vidit? rarò paralysim, rarò antiquos dolores, rarò podagricos; quod sanè non alia ratione euenit quam quod fortia medicamenta omiserunt, tum purgantia, tum etiam aliorum generum siccantia, & vacuantia, quales sunt theriaci sales, qualis viperarum esus, dum enim contenti sunt solo curationis nomine, lucrum sanè capiunt solum, sed honorem omnem Artis detrahunt, quasi ij solum morbi à Medico sanentur, qui spontè sua sanarentur*: sic quoque à *Septallio* commendatur cucurbitulæ in capitis vertice, vel validum medicamentum excitans vessicas; hæc ergo omnia volui proponere, vt sciant doctissimi Viri multa esse remedia quæ proponi possunt pro curando apoplectico pathemate, cæterum quoniam sumus in octuagenaria muliere, vires sunt effetæ, & languidæ, contentus duntaxat essem cucurbitulis, inustione in occipite, vessicantibus brachiis, ac cruribus, euaporationibus ad nares, clysteribus & similibus; hæc habui quæ dicerem.

PRO ADMODVM REVERENDO PATRE FRATRE *Henrico Montagnesio ordinis Predicatorum Paralisi laborante.*

CONSVLTATIO IX.

IOuem olim misisse Pandoram cum vasculo omnium malorum fabulantur sanè Poetę, in Promethei vtique pænam, illum tamen munus aspernatũ fuisse referunt, insidias formidantem, Epimeteum autem recepisse asseuerãt; indeque haud miror hac nostra mundi tempestate non Iouem, sed Indos in nostras regiones Nicotianam elargitos esse, nescit an mala daturos, vel eadẽ eneruaturos; & quamuis nonulli ac fortè magis sensati illam tanquam perniciem velut tot Promethei pallaturam, refugiant, non desunt tamen Epimetei, qui insidias haud præuidentes, nicotianam herbam in puluerem redactã vasculisque quibusdam pulchris conclusam, manibusque iniectam naribus illectam cerebro cladem miserrimè impartiunt, non enim denego huiuscemodi herbam non exiguos vsus retinere pro debellandis vtique aliquibus morbis, eiusdem tamen immodicum vsum non pauca inuehere posse pathemata prædicarim; Adeò enim eius vsus adoleuit, vt vel nullus videatur virorum cętus, in quo hæc vascula puluere plena præ manibus non illuceant, quod tamen potiùs hominum vitio vertendum, quam salutis optatui; eius namq; feruor siccitati consocialis talis ab omnibus decantatur, vt secundum gradũ attingat, indeque alios vel in nimiam siccitatem conuectet, alios in nimiam humiditatem traducat, illos nimis exsicando, hos autem in innumeras dyscrasias conuectando, vel Iecur concremando, quod *Gal.* dixerat 3. *de loc. aff.* destillationes progignere, vel liquando, vel tandem cerebri coctionẽ eneruando; sicque miror nonullos asseuerantes Nicotianum puluerem multam è capite humiditatem attrahere, nescientes eandem non raro præexistere, non raro autem ob Intemperies ab eodem in cerebro traductas esse progenitam; quis enim poterit denegare summam eius actiuitatem, cum continuò, & in dies cernamus primum eius vsum torpidos reddere viros, vertiginosos, aphonos, quod tamen pręstita consuetudine amittunt, nõ quia refrangatur illius potestas, sed quia vsu cerebrum assuescat; quamobrem haud denegandum summam esse Nicotianæ vim, & actiuitatem, aptam sanè nedum homines humiditatum illuuie repurgare, sed eosdem paritèr intemperie inficere, quæ subindè maximorum morborum extat origo; sic sanè ego vidi adm. R. D.D. Ioannem Baptistam Inteluerium Aquilanum foramen in palato nõ exiguum expertum ob eius vsum, sic Ioannem Antonium Benedictum V.I.D. & meum germanum asthma incurrisse, ob nimis cerebrum intemperatum, quamuis non ignorem ad asthma tollendum syruppum ex Nicotiana probari, sic mihi à multis anatomicis relatum est multos capite dissectos fuisse cerebro inuentos aridissimo, ità vt duplicitèr vt dicebã huiusmodi puluis possit obesse, vel exficcando nimis, vel cerebrum intemperando, vnaque materias liquando; vt proinde haud quaquam stupori nunc hæream infixus altissimo, dum admodum R. Patrem omnigena virtute clarum ob nicotianæ vsum (vt scribitur) in παραπλεγιαν incidisse contemplor; eius enim caloris vis haud secus quam solis vt aiebat *Fernel.* cerebrum dilatans; illiusq; ductus patefaciens excrementa diffundit, fluxaque reddit, sicque eadem neruis transmittendo

para-

paralysim parare iam quiuit; indeque doctissimus *Rondeletius* in quadam muliere obseruasse dicit medicamẽta plusquam parest attenuantia exhibita paralysim conuocasse, vt in nostro casu contingere pariter animaduertimus; paralysim sanè, cum læsus fuerit motus, sensu minimè offensam subeunte; illud namque πάθος *Gal. 3. de loc. aff. cap.* 10. hemiplegiæ donauit nomenclatura, cum scilicet motus aufertur manente pariter sensu, quamuis aliàs dixisset huiusmodi affectum improprie paralysim esse: hoc tamèn manare crediderim, vel quia ad motum plus facultatis, quam ad sensum requiratur, vel quia *cum Arculano, & Ioubertoin* organo mollities, non autèm durities cernatur, quæ ad motum configurandum requiritur, vel cum *Gal.* quià nerui sensorij non autèm motorij offensam subierint, vel cum alijs diuersorum temperamentorum ratione si videlicet illud oblædatur quod motui prærequiritur; vel cum *Vallesio in contr ouers.* quià ad faciendum motum requiritur maior in instrumento διάθεσις idest dispositio, quam in sensu: motus namque magis consistit in agendo, sicut sensus quodammodo in patiendo, vel cum alijs quia animalium spirituum adest inopia, qui ad sensum sat sunt, non autem ad motum vt putà maioris facultatis robore egentem; vel cum Sennerto diuersorum neruorum ratione, alios enim sensorios, alios motorios superiùs dixi: id tamèn ijsdem competere decernit auctor, quatenus vel in partẽ sensui tantummodò, vel in partem motui duntaxat dicatam inseruntur; si enim neruus in musculum insertus oblædatur, motus offenditur; (sicque aiebar *Aretaus*; Nerui enim à masculis ad musculos trãscuntes motionis principatum obtinent) secus autem si ille qui in cutem sensus oblęditur; vtriusque tamen offensa non aliundè promanat, quàm vel ob facultatem influentem, satius spiritum dixissem influentem vt ait præfatus *Senner.* non transmissam ob morbum neruorum vim motiuam, ac sensitiuam deferentium; qui angustati cernantur uel obstructione, uel compressione, uel densatione, densatione sanè à *Gal.* πύκνωσις uocitata, conditionem crassiorem nacti, uel uiscidis succis connutriti, uel ab ambiente frigore coacti, Compressione ut *Platerus* uolebat ab humoribus extrà incumbentibus, uel tandèm obstructionem crasso humore neruorum substantia repleta sicut in adm. R. Patre contingit; ijdem enim obstructi nerui spiritus animales ac potissimum influentes non admittunt, indeque fit sensus diminutus non abolitus vt scribitur, sicque non paralysis, seu paraplegia esset indigitandus huiusmodi morbus, sed potius torpor, seu stupor; est enim torpor vt aiebat *Iacotiusin Coacis* parua quædam paralysis: deprauatur enim motus in epilepsia secundum *Gal.* imminuitur in torpore, abolẽtur in Paralysi: Nec miror in nostro casu adesse diminutum motum in reliquis artubus, in tibijs autem deprauatum non tremore, sed conuulsione vt puto: quod *Gal. 3. prorhet, 26.* semel tantum vidisse ait ità vt conuulsio paralysi combinaretur, materia enim illa obstruens si acredinem fuerit adepta facillimè conuulsiones parat titillando, vnàque neruos suppungendo, proindeque fortè *Fernel. 5. pathol. 3.* dati dixit paralysim à materia biliosa sub finem febrium biliosarum ad neruos transmissa; quæ opinio à *Rondeletio* eò sanè reprobatur, quò materia biliosa potiùs conuulsionem, quam paralysim in neruis impactam potest efficere: nisi velimus cum *Saxonia* dicere materiam paralysim figurantem vel medullarem neruorum partem offendere, sicque paralysim concitare, vel membranosam, vnaque fibrosam sicque conuulsionem progignere, vndè *Gal. p. de loc. aff. 6.* dixit omnem nerui substantiam communi quòdam inuolucro circumuolui, membranoso videl. &

propt.

propt. *p. de motu muſculorum p.* interiorem nerui ſubſtantiam quæ ex cerebro ortum ducit arboris medullæ analogam facit, quod etiam confirmat .3. *de decret.* 3. vbi innuit neruum conſtare ex ſubſtantia medullari, cuius origo eſt è cerebro, & membranoſa, quæ initia trahit ab eiuſdem cerebri membranis: cæterum cur potiùs in tibijs conuulſio contingat quã in alijs partibus vt refertur, *Andreas Laur. lib. 4. cap.* 14. facillimè ab hac preſſura ſe ſe vendicauit aiendo neruos in ſpinali medulla tanquàm communi quodam inuolucro cõtectos vnum tantum videri in ipſo ſtatim exortu, vt pili in cauda equina ſunt inter ſe diſtincti, & ad ſingulas partes, tàm ſupernas, quàm infernas pro motu perficiendo deſtinati; itaque in ea etiam origine prout varia hæc filamenta, vel obſtruuntur, vel denſantur variæ quoque & partes offenduntur, & paralyſis fiunt differentiæ, hoc tamen quamuis in nobiliſſimo languente admiſerim, non exploſerim in cerebro offenſam, cum intueamur nedum partes infernas, ſed & ſupernas non leui noxa ingemiſcere, cum non ἀφωνίᾳ, ſeu omnimoda vocis interceptione laboret, ſed diminuta ſanè loquela prematur laborantibus neruis ſeptimæ coniugationis, non alitèr, vt ſuperiùs dixi, quàm iiſdem obſtructis à materia craſſa, & viſcida, hæcque in capite, quod ydiopaticè ſi rigida ac humida dyſcraſiã torquetur progenita, quæ dum in cerebri ventriculos irruit paralyſim procreat, ni velimus cum *Hip.* aſſerere huiuſmodi morbos à ſola venarum interceptione manare, quod dixere etiam Iacotius; & *Martianus, 2. enim de morb. tex.* 8. generationis modũ edocuit ſic aiens: Poſtquam venę pituitam in ſe ipſas attraxerint, neceſſe eſt præ pituitæ frigiditate ſanguinem nunc magis ſiſti, & perfrigeratum eſſe, quã priori tempore, dum autèm ſanguis non mouetur fieri non poteſt vt non etiàm corpus quieſcat, ac torpeat: ſubdit *Martian. in comm.* quies igitur ſanguinis eſt immediata huius morbi cauſſa, quatenùs ſpiritus animales, à quibus motus animalis perficitur quieſcente ſanguine motum habere non poſſunt, quod quidèm reſpiciens *Hip.* venarum interceptiones huiuſmodi affectus vocitauit; vndè doctiſſ. *Salius 2. comm. de morb. tex.* 13. dixit virtutes ſopiri, ſpiritus enecari dum ſanguis ſiſtitur, ac refrigeratur; quoniàm hinc vaſa obſtruuntur, nec ſpiritus permeare ſinuntur: hinc crediderim *Eraſiſtratum* apud *Cęlium* cuiuſdam ſortis paralyſeos meminiſſe in qua ambulantes repentè ſiſtuntur; ità vt ambulare non poſſint, ſed pauliſpèr retardati deindè ambulent; quod ſanè quamuis *Mercurialis* a flatibus neruos diſtendentibus, & motum impedientibus effici dicat, ego aſſererem id manare eò quia ſanguis craſſeſcit, indeque ſpiritus animales permeare non valent, qui deinde moto ſanguine concalfacto vnàque rarefacto facillimè ſibi aditum parant, ac motus reſtituitur; Quicquid tamen ſit, quoniam ſumus in paralyſi quæ vt plurimum Apoplexię omen exiſtit ac nuncia, propter quam primum eidem occurrendum; quamuis non ignorem id maxima difficultate patrari, morbus enim qui in neruis eſt difficilius ſoluitur, quam qui in venis aiebat *Hip.* qui enim in neruis eſt ſtabilitur; proindeq paralyſis ab omnibus auctòribus chronica prædicatur; quamuis *Petrus Salius lib. de morb. particul. p.* 401 eã nõ raro acutum morbum vocitet, cum multos viderit paralyticos intrà ſeptimũ diem perſanatos, concludit tamẽ huiuſmodi paralyſes fieri à materia vaporoſa neruos obſtruente: quoniam tamen ſumus in Iuuene quẽ *Cælius Audelianus* dixit facilius liberari propterea ab ope medica haud ęger arcẽdus, neq; tremor ille ſeù potius conuulſiuus motus negotium faceſſit, quinimò hic non raro ſalutem promptius accerſit, cum non raro violenta motione quam conuulſio infert.

fert,concalfacta,tenuata,incisaque materia partim resoluatur, partim in ha-
litum abeat; quamobrem oportuniori aduentante tempore à purgatione cu-
rationem inirem,cum pituiteam cacochymiam supponamus,illamque pillu-
lis concelebrarem,& potissimum de agar.cocchijs,& arteticis, vel de hermo-
dactilis,premissis tamen nonullis sytuppis:nec ignoro ab initio in huius cen-
sus morbis,vel nulla præstita præparatione purgandum, vt *Rhasis* autumauit
contra *Auic.* volentem præparantia semper esse antè purgationem adhiben-
da;*Rhasis* enim consilium amplectitur *Saxonia* cum seù paralysis ob capitis in-
signe vitium concælebratur, ita ut apoplexiam, epilepsiam imminere posse
concredat, tunc enim ad hos affectus auertendos ac insimul prohibendos
purgandum,quàm citissimè amat:secus autem si paralysis antiqua existat, ci-
trà capitis vitium in membro determinato,sic *Senner.cap.de Paralysi* hanc ean-
dem visus est habuisse sententiam, ait enim: *Si tamen statim in principio vocetur*
Medicus,non incommodum est,immò necessarium videtur,vt Medicus statim ad fortiora
purgantia qualia posteà proponentur,accedat, dum materia adhuc in motu est, antequam
neruis sese penitius insinuet,iisque impingatur, vbi ver. malum iam confirmatum est, &
materia neruis impacta prius attenuanda,& præparanda,postea euacuanda est: hæcque
sententia est consona *Septallii* doctissimi opinioni *lib.6.animadu.* aientis, dum
materia est in motu nec crassefacta prestare materiam quàm primum medi-
camento satis valido subducere, vbi tamen firmata sit, perfectèque obstru-
ctionem fæcerit prius attenuandam esse,& præparandam,subindeq; purgan-
dam: quod in nostro casu peragendum,cum & morbus sit inueteratus, & ma-
teria iam fixa existat in neruis, quamobrem aduentante Autumno serapia
præscriberem, ex syr.de becton.de s.borrag. & melle ros.simpl.cum decocto
iuę artheticæ,betton.anthos,cichor.saluia Eu.& mox ad pillul.arteticas, de
hyera cùm agar.cocchiasque deuenirem, easque non semel exhiberem, sed
per interualla, vt scilicet epycrasim à Galeno decantatam seruaremus: In-
tereà dum hæc omnia celebrantur,si Iecur nimis feruidum esse innotescat,&
corpus vna plettoricum illuceat, ità ut indè omne malum prosurgere queat,
non inutile fore sperarim sanguinem è venis sedis haurire hyrudinibus ibi-
dem affixis, sin minus ità ut scilicet vniuersa corporis moles cacochyma po-
tiùs quàm plettorica videatur, & pituitoso temperamento docetur prorsùs
sinendum, ne corpus magis refrigeretur; quibus quidem præsidijs morbo
non cedente cerebri excrementa per nares expurganda sine mora veniunt,
vt succo sampsuci, betarum, cyclaminis radice, aqua mulsa, & similibus
cauendo ne sternutatoria adhibeamus, vt scilicet postmodum illis con-
cussionibus materias in cerebri ventriculos alliciamus, & ex para-
lysi apoplexiam progignamus; ac deinde ad exsiccandum vte-
rer decocto aliquo ex salsa parilia, ligno sancto, & de vi-
sco quercino, cum sandalis citrinis addendo in fine
ebullitionis saluiam, becton.pæoniam, cichor.
borragin. endiuiam, coriandra, &
similia.

(.:.)

PRO

PRO DOMINO ALBERTO GARRETA Lauretano Paralysi laborante. Ad Dominum Hieronymum Vranium Medicum.

CONSVLTATIO X.

LAborem, cibum, somnum, Venerem omnia mediocria esse debere dixit *Hipp. in epidem.* quæ si modum excesserint mala esse promulgauit; propt. haud miror nobilem nostrum languentem ex ingluuie, vnàque immodico exercitio catharroico pathemate premi, atque fluxione, ac insimul neruorum diminuto motu, fluxione quidem à labore pronata, vel sub frigidiori, inclementiorique aere. vnde intemperato capite ob frigidam intemperiem exprimitur materia, vel ob motum eodem concalfacto capite vnde liquatur, vel ob nimiarum cruditatum prouentum ab erratis in victu, vnde supertumae caro, vt dixerat *Senex lib. de loc. in hom.* sicque fluxio innascitur, vel copia cerebri expulsionem proritando, vel sponte sua ob eiusdem robur; motus verò diminutus exurgit à pituitea materierum vbertate oppleto neruoso genere; quamuis hoc ad varia referant authores; *Alexander* enim *Trall lib. 1. cap. 16.* dixit Paralysim ex calida qualitate, aut sicca proficisci, vbi calida intemperies, sanguinem, & humores nimium torrefecerit, similiter etiam ob frigidam qualitatem solam; *Fernel. lib. 5 pathol. cap. 3.* dixit; Quin etiam alius quiuis humor in spinæ medulla infixus paralysim committere potest, ac sæpè flaua bilis hanc infligit, cum sub finem intermittentium febrium in spinam dorsi, ac neruorum origines effunditur. *Rondeletius lib. de curand. morb. cap. 23.* dixit: *Ego verò à tenui, sed multa quæ a cerebro deffluit, & ob tenuitatem totam nerui substantiam irrigat, molliorem que efficit, in quo idem neruis, quod in apoplexia cerebro accidit. Ex illa enim nerui remollitione sequitur nerui extentio, constructioni naturali contraria, quæ efficit vt partem cui inseritur neruus mouere non possit;* sic *Coiter in libell. obseru. anatomio.* dixit: *Si ocularis inspectio hac in parte scriptorum auctoritati est proponenda nostra sententia magis ad Rondeletij, quam ad Fernelii opinionem inclinabit, pluries enim inuenimus in cerebri ventriculis sacraque fistula aquam limpidam tenuem, & puram, quam flauam, vel bili suo colore similem, vel etiam alium humorem; maiori itaque ex parte si non semper paralysin excitat tenuis. limpidaque hac aqua in cerebri ventriculis, atque in spina dorsi collecta, quæ sensim à superiore parte neruos irrigat, quoad peruenerit ad eorum extremitatem;* Quas quidem opiniones recitat doctiss. *SchenKius lib. 1. cap. de Paralysi*; Neque ob id desunt aliorum opiniones; *Auic.* enim vt est apud *Senner. cap de Paralysi* ait destructionem sensus, & motus fieri quoniam spiritus sensibilis, vel motiuus aut retinetur à penetratione ad membra, aut penetrat, sed non suscipitur eius impressio propter complexionis corruptionem: *Senner.* ipse ad tria videtur esse redactus Paralysis caussam, nempè ad intemperiem, angustiam, & solutam vnitatem in neruis, siue à cerebro, aut spinali medulla ad membrum aliquod tendentibus, siue alicui musculo insertis, quę quidem faciunt vt musculus spiritibus animalibus destituatur; quicquid tamen sit in nostro casu dicendum non aliter fieri paralysim, quam ob cerebrum in partem oblęsam materiam frigidam transmittens, quæ in neruis recepta, inibique conculcata spirituum animalium transfluxum inhibens sensus ac motus deperditionem

nem

nem partis vnius quia vt vult *Auicen.* (quamuis in hoc à *Iachino* reiectus) medulla spinalis in duas partes diuisa cernitur perindè, ac cerebrum, cuius quoque opinionis fuit *Varolius*, vt refert *Senner.* sicque in quam partem naturæ materiam detruserit, in ea paralysis comparet, idque tripliciter fit, vel ob obstructionem, vel compressionem, vel densationem; densationem quidem à *Galen. πύκνωσις* dictam, cum scilicet neruus crassiorem substantiam adeptus est, idque vel quia sit nutritus (vt præfatus auctor existimat) crassis succis, vel quia sit coactus a violento frigore; compressionem verò factam secundùm *Platerum* ab humoribus neruis extrà incumbentibus, vel à tumore, vel alio, & tandem ob obstructionem factam à crassis materiis, à cerebro fluentibus, proindèque *Gal. lib de anatom. viu.* dixit: *Et creauit Deus excelsus cerebrum, & pulmonèm, & omne quod est in corpore ex membris frigidis. & humidis, & phlegmaticis, & ipsorum principium, & elementum posuit phlegma:* hoc autem phlegma quod Paralysim facit *Gal* putat esse crassum & lentum, vt dixit *lib. de atra bile*, quod in nostro casu contingit, videmus enim esse diuturnam affectionem, quæ non nisi à viscido lentoque rheumate inuehitur; quod neruos obstruendo virtutis transitum prohibet, quod bene explanauit *Gal* habita Solis analogia, qui fumo, vel nebula impeditur, quin sincerus splendor emanet; hæc sunt *Gal.* verba *primo de sympt. causs. cap. 5. Porrò prohibetur, siquidem meatum aliquem neruus habet, qualem qui ad oculos descendunt manifestè habere cernuntur, vel ex obstructione, vel compressione; atque quod animalis quidem virtus, siquidem meatum aliquem tanquam certam viam à cerebro per neruum habet, hoc obstructo impedietur cuiuis arbitror pateat. Quin etiam quod compresso extrinsecùs neruo, angustia meatui eius continget, ne id quidem vllum lateat. Quod autem & si nullus si meatus, seu tanquam per aquam vel aerem solis radij transeunt, sic principij vis per ipsum corpus neruorum permeat, cum hi ad crassiorem habitum sunt mutati, transitus impedietur, nec id mihi longius probationibus egere videtur, recordanti præsertim ea, quę in aqua, & aere eueniunt, quippè in aere nebula, nubes, & fumus, in aqua lutum, & limus solis splendorem quominus per ea sincerus procedat impedimento sunt, ac vetant, Ad eundem igitur modum & neruus, si crassiore habitu, & duriore quam pro sua natura sit redditus virtutis transitum prohibebit, sanè crassiore habitu erit, si vel glutinosis, vel crassis alatur succis:* hæc Galenus quicquid tamen sit quoniam hic morbus, vel diuturnus est, vel apoplexiam solet accersere, proindè curatio est quamprimum procuranda, nam vt aiebat *Celsus lib. 3. cap. 27.* loquens de resolutione totius, & partis: *In partibus verè nunquam acutus, sæpè longus, ferè sanabilis morbus est*; *Sennertus* tamen *cap. de Paralysi*, dixit tunc esse paralysim diuturnam, cum à crasso humore fit, cum apoplexiæ superuenit, quinimò addit eam esse periculosam ob caussæ vehementiam, confirmatam imbecillitatem partium, & ob metum recidiuæ: quod cum non accidat in nostro casu non desperandum de salute; ideoque cum dixerimus huiusmodi morbum à capitis fluxione fieri, primum sistendæ fluxioni animus est intendendus, Secundo ei quod influxit, ut præceptum est *Hipp. lib de loc. in hom.* sistitur fluxio tripliciter, vel intercipiendo materiam, vel auertendo, vel roborando, & exsiccando; exsiccabitur primo materia euacuantibus. & ideò dixit *Hippoc. loc sup. cit. Et siquidem multum fuerit, euacuare, sin modicum per diætam moderari, ac componere;* quæ quidem euacuantia quamuis multoties sint adhibita, nihilominus repetenda, *sæpè enim pertinacia Iuuantis malum corporis uincit*, quamobrem clementiore aduentante tempore, Verè nempè primum leniens præscriberem ex melle ros. sol. cum speciebus hyeræ, quę tantopere & à *Claudino*,

& à Senner. commendantur vel elect.lenit.ac subindè præparata materia de bitis syrupis nempe de beton de sthæcad. melle ros. simpl. & oxym. simpl. (quamuis de oxym. maximè ambigat doctiss. *Massaria* in praxi *lib.1.cap. 16.* nam cum acetum neruis aduersetur, cum ijdem sint exangues, & ideò frigidi non videtur posse conuenire; verumtamen alijs permixtum vt facit *Sal.3. de med. secundum genera*, qui in neruorum inflammatione aceto vtitur sed simul cum oleo videtur posse conuenire, sic *Hertul.Saxonia*, vt est apud Senner. ait acetum inimicum esse neruis non cum melle, sed neruis exsiccatis, non pituita repletis,) ad pillulas deuenirem de hiera cum agar. de iua arthetica. cocchias & similia. De uenæ sectione hic non loquor, cum iam sit celebrata, ac proindè cum simus in affectu frigido ab ea abstinerem, nisi morbus foueatur à plethoria, uel hyrudines adhiberem ad Iecoris aliquem feruorem tollendum; neque enim ignoro per has manifestas euacuationes non esse sperandam omnimodam ægrotantis salutem, sed requiri insensibiles alias euacuationes, propt. ad lignum Guaiacum deuenirem unà cum salsa paril. addendo tamen sandala citrin ut sc l. temperetur calor, utque Iecur pariter emendetur, doctiss. *Claudinus* maximoperè commendat bolum factum ex sale theriacali, sicut medicamentum factum ex puluere, uel sale chymico, chamepytis, & lachryma terebinthi cyprij, ego tamen pro capitis roboratione maximè laudarem confectionem præstitam ex conf. de beton. ros. uet. addita portione mitridathi, uel theriacæ; possem quoque ad roborandum caput cucufas laudare, lotiones cum herbis cephalicis, cæterùm de his suo tempore dicemus, ut de embrochis, & stillicidijs uel naturalibus, uel arte paratis; Vnum tamen silere nequeo, nempè inustionem esse in bracchio non oblęso faciendam, cum enim inueterata adsit intemperies sine continua præstita euacuatione non minuitur affectus; sic quoque pro deplendo capite errhina, & apophlegmatismata iniungerem, illa ex succo sampsuci, aqua mulsa, & succo cyclaminis, & similibus, hæc ex cera & mastiche, per os enim aures, & oculos caput repurgari dixerat Senex lib. de loc. in hom. Neque ob id materiæ neruis imbibitę immemores esse debemus, non in quam sed eadem sunt resoluenda, qui parent fotus vt ait *Zacutus* spinali medullæ partibusque resolutis, vnguentaque etiam applicant ex gummi speciebus, oleisque calidis parata; sic Claudinus maxime probat vnguentum ex bdellio, vel medicamentum filij Zaccharlæ adeò a *Mesue* celebratum, ita quoque commendat balneum olei communis decoctionis vulpis, canis rubei, betonicæ, saluiæ, sthæcadis, sampsuci, & iuæ, a quo, ait, præstabit inungere easdem partes pinguedine quæ decidit ab ansere pingui, & antiquo in veru cocto, & in cuius ventre prius bdellium, sagapenum, opoponax, & frustum carnis vulpis pinguis sint consuta, sic quoque suffitus ex lapide molari ignito, & alia quæ breuitatis gratia sileo; duo tamen remedia maximè commendarem vnguentum nempè quod proponitur ab Apella *Zacuto libro primo de praxi medic. mirab. obseru.* 34. hæc ergo sunt quæ habui currenti calamo dicenda.

PRO

PRO DOCTORE QVODAM DE CASTRO IERI *Paralyſi laborante Ad perilluſt. & Excellentiſſ. Dominum Terentium Tornatorem.*

CONSVLTATIO XI.

DVo mihi videntur ad faciendum noſtri languentis affectum potiſſimum concurrere, contentum ſcil. excrementitium, & continens imbecillum, hoc ſanè varium exiſtit vt hepar, caput, & ventriculus inęquali dyſcraſia laborantia, illud verò heterogeneum, vt pituitoſum, ichoroſum, & conſequenter acre, vnàque bilioſum; bilioſum ſanè à Iecoris feruore genitum, pituitoſum verò à capite, & ventriculo frigida intemperie donatis, huius inditia ſunt tactus ſenſus oblęſi, cuius vitia triplicia eſſe innoteſcunt, diminutio ſcil. vt in ſtupore, deprauatio vt in dolore, & conuulſione & ablatio tandem vt in paralyſi, quamobrem non mirandum ſi hic in noſtro caſu, & ablatio, & deprauatio fiant in membris, ſiquidem cum bilioſę humiditates neruos tangunt conuulſiuos motus gignere poſſunt, ni velimus cum *Sennerto* ſancire mulſculos, cum enim muſculis proprium, & adęquatum motus voluntarij qui ſecundum naturam fit, ſit inſtrumentum, etiam motus illius deprauati, ſeù conuulſiui cauſſa erit, & muſculo contracto oſſa, & quicquid in parte mobile eſt ſimul contrahuntur, verum neruis ſolum & fibroſis neruorum partibus muſculi contrahuntur, fit autem in noſtro languente motus conuulſiuus, non autem conuulſio, quia ſcil. vapor ſeu humor neruos vellicans ſe in neruorum ſubſtantiam non inſinuauit, neq; adhæſit ità vt à natura diuelli nequeat: differunt enim non parum conuulſio, & motus conuulſiuus; ſiquidèm ait *Salius liber. de aff. partic. capit.* 20. & vt *in meis epiſt.* explanaui, conuulſio fit ex retractione neruorum, & muſculorum, ex qua membra remanent rigida, ſicut fit in Tetano, Opiſtotono, & Emproſthotono, riſu ſardonio, ſtrabiſmo, & aliis, at in motu conuulſiuo membra rigida non redduntur, ſed quaſi ſaliendo concutiunt, & vibrantur; fitque in membris ipſis motus palpitationi ſimilis: hanc eandem diſtinctionem annumerat *Senner. lib. p. par. 2. cap.* 28. neque ob id Paralyſis non inſurgit, quę à variis cauſſis originem paritèr ducit, vel quia, vt nõnulli cenſuerunt, ſpiritus influens non tranſmittitur ob morbum neruorum eum deferentium, vel non ſuſcipitur licet influat membri recipientis vitio, ſicque *Gal. p. de ſympt. cauſſ. cap.* 5. dixit: Continens, ſiue proxima ſiue quomodocunque alio vocabulo libeat appellare huius ſymptomatis cauſſa eſt talis quiſpiam in neruo affectus, cuius occaſione à principio ad ipſum virtus tranſmitti prohibetur; ſiquidem meatum aliquem neruus habet qualem qui ad oculos deſcendunt, manifeſtè habere cernuntur, vel ex obſtructione, vel compreſſione, quod autem ſpiritus influens non tranſmittatur aliquando id contingere ait *Mercatus* quia ipſamet facultas deficit, aut infirma eſt in ipſo principio, & fonte, quià adeò exiſtit languida, & puſilla, vt reliquis partibus vim ſuam, & efficaciam impartiri nequeat, vt euidenter comperimus in grauiſſimis, & diuturnis morbis dum inclinant ſic doctiſſimus *Saxonia* ait id ob defectum facultatis animalis contingere, deficere autem ait hanc facultatem, vel quia diſſoluta eſt propter maximas cerebri intemperantias, precipuè propter frigidam, vel quia

ex inducta superpurgatione spiritus deficit, sicque narrat *Brasauolus* se quendam vidisse à sanguinis narium copiosa profusione paralyticum factum; nec miror, siquidèm dum cerebrum ex nimia euacuatione refrigeratur, vnde defraudato suo genio primigenio nempè calore, & spiritibus animalibus cùm eneruat, tum eos vel non progignat, vel satis debiles, vndè actio diminuitur, sicque potest fieri Paralysis, subditque *Gal.* non raro fieri paralysim multum refrigerato capite, eamque esse lethalem: neque calor solum à nimiis euacuationibus hebetatur, sed ob multiplicem caussam, vel quia constringitur, & suffocatur, vel quia à nimiis frigidis materiis hebetatur, vel quia ab extrinseco, vel à copia, vel ex alimenti defectu; quamobrem Paralysis à simplici intemperie fieri potest, vel vt satius dicam à caloris primigenii vel paupertare, sicque fit torpor, vel extinctio, sicque fit perfecta paralysis; hancque sententiam visus est habuisse *Leonardus Iacchinus in 9. lib. Rhasis cap.* 10. dum ait humorum influentium, aut caloris innati destructionem esse in caussa ipsius Paralysis, vt in gangrena accidit, quod visus est *Gal.* innuere 1. *Prhoret.* 13. vbi ait extincto calore natiuo totius corporis segniciem sequi: ideoque *Mercatus lib.* 1. *cap.* 14. dubitauit an resolutionis caussa esse posset carnis intemperamentum, ita vt ineptitudo eius caussa sit, cur membrum non probè sentiat vt voluit *Auic.* aitque id non sufficere ad vitium sensus, quia febrilis calor, qui plurimum carnem intemperat, non tamen sensum diminuit, idem probant hydropicorum membra, quæ plurimum algent, vt ea ratione non possint sentire, cum hoc tamen in neutro apparet sensus, & motus lęsio; In qua re censet *Mercatus* id nerui duntaxat intemperamento posse contingere, dum vias coarctare potens fuerit: nam licet ex vicinia caussarũ frigidarum torpor subsequatur, potiùs id fieri arbitratur ex compressione, aut coarctatione figuram, & vias vitiante, quàm ex intemperie neruis præstita: cuius sententię fuit etiam *Archigenes* aiens stuporem esse propriam neruorum passionem, sic enim *Aris.* 3. *de hist. animal. cap.* 6. nullam partem stupore posse corripi neruis orbatam esseuerat; verum vt rectè probat *Zacutus ex Gal. lib.* 7. *cap.* 10. stupor non solum in neruis sed in reliquis corporis partibus propter frigiditatem fieri solet, ergo non est propria neruorum passio, siquidem solis non conuenit, subdit infer. *Zacutus*: *nõnunquam tamen potest infrigidans caussa ad carnem vel cutẽ tantum accedere, atque ideo partes illas stupefacere, vel si propter vicinitatem neruorum etiam infrigidet, & stupefaciat, non ideo stupor dici poterit neruiorum proprius*; quicquid tamen sit, dicerem ego immediatam Paralysis caussam esse non raro caloris primigenij diminutionem, pars enim quæ primigenio calore destituitur nullum habet vel sensum, vel motum; sic videmus in gangrenis in quibus est emortuus calor nullum adesse vel sensũ, vel motum, vita enim in parte, & in toto est participatio calidi, ex abolitione enim illius caloris resultat abolitio omnium facultatum, s. p. enim facultas cerebri redditur omnino inhabilis ad suas operationes faciendas, sicque effectus non resultat, spiritus enim animales, qui secundùm omnes sensui, & motui videntur inseruire, minimè progignuntur, cum non adsit calor ille, qui vitales depuret, cum animales spiritus secundùm *Gal.* ex vitali fiant magis concocto; 2. quia neruus refrigeratus nec minus est aptus recipere actionem spirituum, si ij tamen essent, non enim perciperet, cum sit penitus calore destitutus, sic videmus in syncope hominem non sentire, quia paritèr calor vel obruitur, vel dissipatur, vel extinguitur, ad cuius extinctionem, & animales, & vitales spiritus deperduntur, ad quorum resolutionem resul-

rat actio partium vel diminuta, vel abolita: sicque *Hip. lib. 1. de morb. pop. sect. 2. par.* 58. inquit natu maioribus, & quos iam calor deficit, paraplegiæ, aut insaniæ, aut cæcitates, vbi *Gal.* ait *Paraplegias vocat resolutiones ex apoplexia in partem aliquam decumbentes* hincque crediderim voluisse Hip. fieri Apoplexiam, & Epilepsiam, & Paralysim ex venarum interceptione, nam cum materia crassa intromittitur in venas caloris expansionem inhibēs, sicque suffocat, prohibetque spiritus transfluere, adde etiam quod ligata alicui arteria magna stupefit membrum; sic quoque in multis viuentibusque materijs frigidis exuberantibus cernimus motum esse tardissimum, sensumque maximè diminutum, habent enim calorem satis hebetem, hocque voluit Senner. cū dixit neruos refrigeratos inepto sesse ad officia; sic senes videmus quia de sui natura sunt frigidi, plerùmque caloris obtinent torpidos esse; & vix sentire; sicque *Gal. 4. de loc. aff. cap.* 4. dixit se vidisse quendam cum madidum pallium tempore frigido, & pluuioso diù collo obuoluisset, in manus paralysim incidisse, neruis non in manu sed qui in collo sunt refrigeratis, sic *Gal. 1. de loc. aff. cap. 6.* refert multos paralyticos fieri, vel ob aerem ambientem frigidum ventum borealem, contrectationem niuis, vel glaciei, moram in aqua frigida, vel sessionem super lapide frigido itaque neruus refrigeratus absque obstructione, & densatione potest paralysim producere; non ob id negandū vt plurimum paralysim produci ex triplici illa caussa à Gal. assignata nempè obstructione, compressione, & densatione, facta à frigore, à tuberculo comprimente, & ab humoribus variis, nimirum crassis, vt omnis Medicorū schola sentit, ijsque etiam melancholicis, vt etiam notat Saxonia; non ob id tamen negarem posse fieri tum à materia vaporosa, tum à bile sed pituitescente in nostro potissimum casu, à materia vaporosa, quia vt expertus est *Petrus Salius in adnot. ad Altimar. cap.* 14. multoties à vaporosa hac materia, quæ ad principium neruorum transmissa & obstructiones inducens ac spiritui animali viam intercipiens sensum, & motum inferiorum partium inhibet, indeque idem *Salius* exemplum adducit cuiusdam tonsoris qui post crapulam nocte media cum timore suffocationis expergefactus incidit subitò in paralypsin omnium corporis partium infra faciem existentium, sensuque ac motu adeò priuatus est, vt nec acu profundè perforatus, nec gladiolo scarificatus quicquam sentiret, nullamque partem nisi caput moueret, quæ soluta crapula, ac frictionibus tantummodo, ac inunctionibus quibusdam resoluentibus ad spinam intrà tertium diem omninò sanatus est. Ideòque subdit Senner. ea sola paralysis longa est, quæ ab humore crasso prouenit; neque ob id in nostro casu bilem exploderem, sed pituitescentem; nam bilis cum è sui natura sit tenuissima nequit neruos infarcire, ac proindè eget pituitæ sodalitio quæ eidem & stabilitatem, & lentorem quendam communicet, atque ob hanc caussam crediderim nostrum languentem paralyticum factum non raro conuulsionibus tentari, quia bilis commercium dum neruos vellicat eosdem sua mordacitate contrahit ad suum principium, verum quia pituitæ vbertas est maior, propterea rursum pars redit esse paralytica, ni velimus asserere, à vaporosa materia factum infarctum eaque mordaci pari lege fieri motus illos conuulsiuos, verum vt cum Iacotio dicam qui flatus est crudus, quia nimis crassus ob id paralysis emanet; quamuis *Iacotius in Coac.* dixerit id raro contingere, adeo ut nisi semel Gal. id se vidisse testetur, unde *Petrus Salius* ob id dixit *cap. 1. in adnot ad Altom:* Spasmo opponitur paralysis quoniam ille dicit motum, hæc immobilitatem, tamen spasmus iunctus cum paralysi, ita ut alterna-

tim

tim affligant eandem partem scil. quòd modò illa pars conuellatur, modò eadem resoluatur, posteà iterum conuellatur, & deinde iterum paralyticetur ponitur *lib. 3. Prorhet. tex. 26.* qui casus fuit etiam à *Gal.* visus, vt ibid in comm. ipse narrat: subdit *Salius: Hoc idem semel ego tantum vidi; quare hoc aduertatur tanquam vnum ex mirabilibus; possibilibus tamen quæ Medicis offeruntur;* cæterum quamuis ego non negem id esse rarum, tamen mihi sæpius id videre contigit ab eo tempore, quo Medicinam factitaui, non enim est absonum ob prædictas rationes id posse multoties fieri, sicque doctiss. meus *Duretus in Coac.* dixit conuulsionem esse in musculo, paraplegiæ verò sedem in neruo medullari; ideò nihil vetat, dixit, quominus diuersitate caussarum variè afficiantur partes diuersæ, neruus, & musculus. adde quod cõuulsionis vis consideratur in motu iniusso; paraplegię in impotentia mouendi; sit igitur conuulsio paraplectica iniussus motus cum sensus vacuitate, quæ in simplici conuulsione nusquam est, sed contra sensio acerrima rei molestæ, subdit: Conuulsionem sensus expertem vidimus in vxore D. Parmentieris anno 1575.

Cæterùm explosa longa verborum serie antequam morbus vlterius progrediatur, & in apoplexiam commigret cuius gratia dixit *Hipp. in Coac.* sensus hebetudo, & eius amissio si fortè inciderint futura denunciant apoplectica: ideo medica, dicam manus est adhibenda, nam quamuis paralysis è sui natura contumax sit, ac rebellis, tamen quoniam sumus in iuuene, cui omnia gratiosa dixerat Senex, sperandum est salutem posse recuperari, hocque voluerunt *Cælius Aurel & Aretæus* quando dixere hunc morbum faciliùs curari in robusto, in adolescente, in puero, & quando est recens: ideòque cum supponamus materias nimias genitas ab inæquali intemperie Iecoris feruidioris, capitis, & ventriculi frigidioris, & humidioris, cum diximus bilem pituitescentem peccare, adsit pariter neruorum obstructio, & debilitas, propt. triplex videtur insurgere indicatio, prima est materias fluentes à capite & genitas deturbandi, secunda prohibendi antipraxiam, tertia roborandi neruos, & discutiendi materias: quoad primam cum simus in inueterato affectu, non protinus ut in momentanea paralysi euacuandum, sed facienda est materierum præparatio, quę fieri poterit rhodomel. syr. de bet & de f. borraginis addito decocto communi cum beton. borrag. coriandris, melissa & similibus, est enim in hoc casu habenda præcipua bilis cura & Iecoris feruidioris nõ vt in alijs casibus præparata materia euacuanda pillulis de hyera, cocchijs, autem, s vt vult Zacutus vel ẽt aitheticis, quæ quidẽ purgatio nõ vna sufficiet, sed per vices iteranda; sic Auenzoar li. 1 (vt est apud *Zacutum tr. 9. c. 19.*) dicebat tantum quiescendum, quantum erit numerus deiectionum, ideòque tres dies interponit, *Rhasis* interponit dies septem, *lib. 1 contin. cap.* 20. erit ergo subdit *Zacutus* coniecturale interuallum quantum roborare vim imbecillem neruorum satis sit; cæterùm de hoc interuallo inter purgationes haud loquendum, quia hoc positum est in occasione; instabilia enim sunt, quæ in humidis fiunt, vnde consilium capiendum in arena; purgato sic corpore & capite non alienum reor decoctum aliquod exsiccans inungere ex salsa, china, & similibus habita semper Iecoris feruidioris ratione, quamobrem adderem sandal. citrin. borrag. betonicam, melissam, fumariam, iuam, & similia; interim tamen dum hæc fiunt, non alienum est iteratis vicibus aliquod lemens exhibere, vt scil. materia illa quæ in dies producitur, euacuetur, ac decoctum minorem molem agitando eandem possit exsiccare; doctiss. *Senner.* ob id fortè quæstionem exagitat, An scilicet sudorifera sint exhibenda, referte-

que

que. *Ludouicum Septallium qui lib. 6. animaduers. num.* 74. reijcit à paralysi vsum sudoriferi medicamenti, probatque vsum diureticorum ea de caussa, quod per vrinam crassiora quoque educantur, per sudores autem tenuibus euacuatis, crassiora magis incalescant, & crassiora reddantur, magis obstruant, atque difficiliora reddantur ad motum, & euacuationem. Hoc tamen reijcit *Sennertus*, aitque hoc non verificari in paralysi, in qua humores sunt in circumferentia, qui nequeunt ad vias vrinæ remeare; neque metuendum subdit, vt sudoriferorum vsu materia nimium incalescat, quia cum ea frigida sit, eget aliquo calore, ac proindè nonnulli in illa febrem amant: sic quoque pro roborando capite multa adduci queunt, quæ & ipsum roborent, nec non etiam ad quandam redigant symmetriam, sunt propt. qui laudent theriacam, mitridathum, conseruam, anthos & similia, ego tamen vt liberè fatear, ab vsu nimis rerum calidarum abstinerem, illarumque loco vterer conf. florum becton. vnà cum conf. rof. de sero sumendis hora somni, vel tabulas conflarem ex huiusmodi conseruis additis speciebusque plyris. Arcot. arom. rof. & trium. sand. scio à recutito *Zacuto* commendari confectionem quandam quæ cum constet nimis calidis eandem non adduco; contentus pro tempore his quæ proposui; sic quoque non alienum puto his omnibus prestitis ad reuulsionem huius materiæ aliquam adhibere inustionem, illamque vel in parte sana adhiberem nimirum in bracchio dextro, cum supponatur ydiopathicus affectus in capite non tamen inferiorum partium sympathiam explodens, vel in occipite; quamuis non ignorem dicere nonnullos ex hac inustione paralysim esse incrementum habituram, eo quod sic trahitur materia ad spinalem medullam, nam vt ait Saxonia spinalis medulla est intra vertebras, cauterium autem cum sit extrinsecum nequit materias ducere ad locum affectum; verùm si id timeatur, poterit in bracchio fieri prædicta inustio; quod si inustio non sicesse credatur, *Zacutus* consultissimum esse ait cauteria adhibere actualia, aut potentialia in parte posteriore capitis excitare, vt frigidi humores absumantur, roboretur cerebrum, & calefiat: proindeque *Aettretab. 2. serm. 2. cap. 28.* ait: Ego etiam crudas inurere non dubitauerim per ignem, aut per medicamentum, vnam quidem circà occipitis cauitatem, quo loco spinalis medulla initium habet, duas autem ab vtraque ipsius parte, tres aut quatuor in vertice, vnam ex eis in medio capite, tres circum ipsum, vlceribus enim diutius fluidis non despero futuram restitutionem: De sanguinis missione hic non loquar, cum ea sit prestita, ac meritò siquidem Iecur feruidius id exposcere videbatur, proindèque si sanguinis notæ adfuerint, vel Iecoris caloris non alienum crederem hyrudines venis sedis affigere, Interim materiæ coniunctæ non est posthabenda ratio, pro qua dissoluenda multa ab auctoribus proponuntur, sic *Gal. lib. 2. de simplic. medic. facult. cap. 7.* balneum olei calidi commendat, *Zacutus lib. 7. cap.* 10. balnea probat ex aqua calida in qua priùs coquantur chamæmelum, anethum, melilothus, sthæcas, rosmarinus, saluia, betonica, herba paralysis, semen anisi, cinnamomum, serpyllum, calamentum, pulegium, & similia; doctiss. *Iacchinus* balneum laudat eius aquæ, quæ sulphuris naturam habet, qualis videtur in agro Lucensi, Volaterrano, & Bononiensi; ego tamen vt dicam quod sentio vterer sequenti inunctione quæ temperata esse videtur, cum dixerimus adesse portionem acris materiæ, vt ℞. ol. lumbric. hyperici, amyg. dulc. an. on. j. ol. vulpini, costini an. on. ſ. aq. vitis parum misc. vtatur; scio à multis auctoribus varia commendari, ut vinacea, immissio partis in calidum triticum, luta, arenas, embrochas, & similia, ea tamen quæcunque

cunque

cunque, sint silentio studens lubenter omitto: sicut viuendi normam, cum sciam à Medico curante optimè celebrari. Vale.

PRO PERILLVS. DOMINO CHRISTOphoro Biglio Patritio Aquilano Paralysi laborante. Ad doctissimos Ortonæ Medicos.

CONSVLTATIO XII.

PAralysim morbis acutis succedaneam existere non rarò contingit, eamque protopathicos morbos iudicare palam est; vt ob id doctiss. Iacotius dixerit tribus modis ἐκστάσει in resolutiones cadere effusa in spinam bile, conuulsiuis motibus è cerebro excussa, interceptis fluxione spiritibus in vasis; quod etiam in febrili caumate succedere potest, dum enim è venis in neruos transfunditur materia facili negotio paralyses accersit, quæ quamuis primum morbum & discrimine plenum iudicent, hominem tamen non leuiter lacessunt, vt propt. haud mirer nobilem nostrum languentem febrem cacoæthicam pressũ tandem in paralysim incidisse, vel præstita è venis, vt dixi in neruos metaptosi, vel refrigerato in vasis sanguine quorum consensu nerui perfrigerantur, vel quia bilis, vel quiuis alius humor in spina infigitur, bilis enim nedum sua præsentia paralysim potest accersere, sed dum etiam attenuat crassos humores, quorum ipsa vehiculum est; sic doctiss. *Duretus in Coac.* dixit: *Paralypsis vero, & paraplegiam per catharrum, qui a cerebro foras transmittitur in cerebri ipsius propagines velut Græci nominant πεφκωτα videlic. ad spinalem medullam, & neruos:* quinimò non rarò, vt ait præfatus *Iacot. in Coac.* per interceptionem spirituum in vasis à fluxione acri obstruente, & refrigerante paralysis innascitur; *Etenim* (ait *Gal. 4. de vict. rat. in acut. 27.*) repleta *à fluxionibus particula aliqua, corrumpitur quidem in primis sanguis, deinde vasa opplentur quod cunctas spirituum vias impedit, & cohibet, vnde refrigerationes fiunt, vertigines aphoniæ;* quod *Gal.* desumpsit ab *Hipp.* eodem loco; quicquid tamen sit crediderim non in venis fuisse factam in nostro casu obstructionem, quia non esset soluta febris, sed in neruis, qui cum ignobiliores existant, solent morbos venarum iudicare, sicut non rarò cernimus per conuulsiones (vt in meis epistolis declaraui) multas febres iudicari; ob idque *Senex in Coacis* dixit conuulsionem in febres non rarò delere eadem die, intelligit tamen de motu conuulsiuo; siquidem motu illo concalfacta, attenuata, incisaque materia partim exhalat, partim sudoribus excluditur; quamobrem paralysis in nostro casu vt iudicatorium signum accessit, & formam abscessus deprompsit, atque ob id dixerat *Gal.* iudicationem meliorem esse eam, quæ fit cum euacuatione, quam quæ cum abscessu, nam iste morbum alium pandit, illa totaliter demit priorem morbum, nec alium imprimit; quicquid tamen sit dum cernimus criticam esse paralysim, ac morbum iudicantẽ inhibendus haud est fluxus, sed iuuandus vt vult doctiss. *Iacchinus* non alia sanè ratione quam vt iubet *Hippoc. 2. epid* iuuari abscessus à Medico; ideoque vt vult *Mercatus lib. 1. cap. 14.* primum eius impetum expectare oportet, & naturam permittere operari, minimèque fluxionem eo tempore cohibere, & licet iuuare non sit opus, longè minus est naturæ impetus inhibendus.

bendus, quod perperam consuluerat *Auic. & Matthaeus de gradi*, nam per huiusmodi defluxionem se se natura à maiori malo tuetur; ideoq; subdit Mercatus curam Paralysis criticae esse eandem, quae à reliquis fluxionibus excepto tamen repellentium vsu; ego tamen dicerem expectandum esse donec Natura operetur, *nam* vt aiebat *Fern. quod perfectum est natura ne tangito*, atque si per hanc excretionem, seu materiae transmissionem tollatur febris, vtique permittendum, sin minus secus; si autem post ablationem febris paralysis non tollatur tunc discutientibus adhibitis non repellentibus, ad euacuationem deuenirem, quò id, quod impactum est in neruis tollatur, sic videmus *Hippoc. lib. de morb.* Anginosos iam sanatos purgasse ne in aliud malum incidant inquiens: *Postquam verò iam cibos gustarit elaterio recenti purgato ne in aliud malum incidat*; ideoque praeparata materia syrup. de beton. de s. borrag. melle ros. simpl. cum decocto saluiae beton. & similibus ad pillulas deuenirem de hyera nempè cum agar. artheticas, & similes, sic possumus uti apophlegmatism. errhinis, quibus caput purgari dixit Hippocr. summopere ob id commendarem infrascriptum. ℞. pulueris piperis masticis, zinziberis, galangae, an. dra. ß. origani pulegij, thimi an. drac. j. cum oxym. & pauca cera f. formulae ad magnitudinem luponorum; caeterùm quoniam scio non vnam purgationem sufficere, propt. iteratas purgationes commendarem, vt scil. epycrasis seruaretur. Posset etiam dubitari de venae sectione an conuenire valeat, certè vt ingenuè fatear cum simus in morbo inueterato, materiae sint frigidae, & sit alias missus sanguis ab omnimoda sanguinis missione abstinerem, quod si plethoriae adfuerint signa tunc possent hyrudines venis sedis adhiberi; Interim ad exsiccandum materiae residuum decocto aliquo vterer sudorifero, quod omnes auctores commendant, ex ligno guaiaco, cortice eiusdem, cum portione salsae additis sandalis citrinis vnaque herbis cephalicis cum portione inae arthet. & similibus; quod si ad haec morbus non remittatur, tunc multa possunt praescribi, quae roborandi vim obtineant, sic *Ioannes Paschalius* summoperè commendat sequens electuarium: ℞. diamusci dulcis dra. 2. acori conditi dra. 1. conseru. anthos, & sthaecad an. un. 3. theriacae magnae, & mitridathi an. dra. v. pulu. galangae, piperis cassię ligneae, calami arom. an. scr. 1. syr. de sthaecad. q. s. mis. f. confectio. cuius cap. dra. 2. cum unc. 2. aq. capitalis; caeterùm quamuis huiusmodi confectio sit ex vsu, si ea tamen refrangatur conserua ros. multo vtilior existet; Interim ad roborandos neruos, & materiam in neruis imbibitam resoluendam possunt multa commendari, Mercatus multa probat, vt inunctiones calidas, ex aqua vitae, vel ex hac infrascripta ℞. ol. iasminorum lib. 1. aquae saluię, aut succi iuę, vel vini in quo iua bullierit unc. 3. castorei, aut piperis, aut galbani scr. 1. f. decoctio ad aquae, vini, vel succi consumptionem, postea facta vehementi expressione oleo vtere; sic sequens vng. comprobat ℞. ol. vulg. laur. an. unc. 2. s. pinguedinis Vrsi unc. 1. sagapeni, opoponacis an. dra. 2. vngu. marciati unc. 1. cerae q. s. f. vng. vtatur: sic laudat multa alia, quae apud eundem videri queunt. Inter alia tamen quae celebrat, est sequens vnguentum ℞. ol. nucis myrist. unc. 1. de piper. & de therebinthina an. onc. 1. s. succi saluiae, & ruthae an. onc. 1. castor. onc. 2. piperis longi, & pyrethri an. dra. ß. sagapeni, opoponacis, bdellij an. scru. 1. pinguedinis Taxi unc. vj. pingued. viperae unc. 1. s. cum cera f. vngu. mirè quoque prodesse fertur ol. de sulphure, de thymo, de ligno guaiaco cum squilla, aut solum. Possem & alia innumera adducere quae breuitati consulens omitto. Vnum tamen silere nequeo inustionem nempe vel in occipite, vel in bracchio non

obl ęso, scio à multis rubificantia adhiberi, quæ in arena, & morbo vlterius progresso proponam, quamuis credam proposita remedia sat esse, cum simus in iuuene robustissimo obtemperante, cui omne gratiosum illucet: hæcque habui quæ, currentissimo calamo dicerem viri doctissimi. Valete.

PRO REVERENDO PATRE IOANNE A VILLA Ordinis Minorum Tremore lacessito.

CONSVLTATIO XIII.

TRemorem esse veluti quandam pugnam attollentis virtutis, & deprimentis grauitatis, succedentibus sibi inuicem contrarijs his motibus sursum, & deorsum, sed adeò exiguis & confertis, vt vix sensu diiudicari possint dixit doctiss. *Leonardus Iacchinus cap.* 12. proindeque constat ad tremorem faciē-dum concurrere facultatis motricis imbecillitatem preternaturam onera tā, & instrumentum, quamuis facultatem dicamus (vt vult *Senner. lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 25.) debilem, instrumenta voluntario motui dicata, vt sunt musculus, & neruus, qui per ipsius musculi substantiam tenuissimis fibris disseminatur, seu fibræ illæ in quas nerui musculique resoluuntur, cęterùm *Iacchinus* id melius explanat aiendo facultatem esse imbecillam in determinato tamen membro, etenim vt ait *Aris.* si senex haberet oculum Iuuenis videret vt iuuenis, sic de motrice facultate dicatur, quare semper instrumentum aliquod afficitur, neque benè recentiores distinguunt aliquandò vim animalem affici dicentes, aliquando instrumenta, quicquid tamen sit, cum hæc quidem benè constituta calido scil. innato, quod *Auic.* spiritum motorium nominat prædita, & spiritu animali influente qui insitum fouet, & excitat perfusa motum agunt nec deprauatum, nec diminutum, sicut motus diminuitur è motricis facultatis imbecillitate, quę prouenit vel à domestico, & peculiari neruorū, vel spirituum animalium influentium vitio; hi enim cum non iusta copia influunt, quia non generantur ob cerebri frigidam intemperiem, motum illum pariunt, quemadmodum dum nerui vel musculi eadem dyscrasia laborant, vel frigida & humida vt plerumque contingit, quæ quidem adigitur ex pręsentia humoris frigidi, & crassi; vt in nostro casu videre est; cum enim prius non mediocri rheumatismo ingemisceret, mox suppresso in dextrum brachium decubuerit, nil mirum si reddito neruo vnàque musculo imbecilliori tremor successerit, addita spirituum influentium vel crassitie, vel diminutione pręstita à cerebri frigida intemperie; tremores siquidem, vt benè explinat *Duretus in Coacis p.* 22. sunt deprauati artuum iussi, & iniussi motus, in quibus id quod mouet, & id quod mouetur ex ęquo certant virtute, & contumacia, quam facit oppressio; hancque oppressionem vult aliàs idem auctor seù venientem ex translatione humoris morbifici à venis ad neruos, siue per progressum à cerebro ad neruos contumaciora facere ad parendum instrumenta virtuti animali; doctiss. *Mercur.* ait tremorem semper habere comitē facultatis imbecillitatem, hanc autem imbecillitatem quandoque ex calore dimiuuto, aut vitiato oriri, quandoque ex istrument. & vbi debilitas cōsequitur ex intemperie aut ex lęsione facta in calore ab affectu nerui dicitur à *Gal.* & à Medicis esse affectus instrumenti non autem virtutis; ego tamen

in

in noſtro caſu ab vtroque fieri tremorem dixerim, à facultate imbecilli one-
rata, quæ tota poſita eſt in calore natiuo, vt vult prefatus auctor, ſeu in tem-
peramento, ratione cuius & ſpiritus influentes diminuuntur, & multa pro-
ducitur materiæ craſſæ vbertas, quæ ad inſtrumentum tranſmiſſa ipſum pa-
ritèr onerando tremoris eſt cauſſa quia nerui, vel muſculi obſtruuntur, non
tamen totalitet ſic enim fieret paralyſis ſed ſecundum aliquas partes, vt ait
Capiuacc. ità vt reliquæ fibræ non denſentur; hæc ergò obſtructio dum in
inſtrumento ponit pondus partis ideò deorſum relabitur; ſicque innoteſcit
tremor eſſe ex *Gal. 5. de Morb. ſympt.* contrarius quidam motus ex contrariorū
in ſe motuum ſucceſſione prouenìens; cum enim ait *Paſchalius* facultas im-
becillior reddita membrum in ſublime tollit, ipſa verò grauitas deorſum
trahit, pugna quędam fit inter facultatem, & membri grauitatem non per-
mittente facultate deorſum ferri membrum, vt in reſolutione membrorum
ſolet, neque grauitate concedente, vt facultas ipſum ſublime ſeruet, vt con-
ſueuerat dum valebat; itaque viciſſim facultas nunc vincitur, nunc vincit,
atque hinc naſcitur tremor ex duobus ſcil. motibus contrariis compoſitus
motus, altero dum membrum ſurſum à facultate fertur, alterò dum ob gra-
uitatem, & morbum deorſum premitur: & quamuis hic tremor græcis τρωμῶς
vocitatus maximam videatur cum motu conuulſiuo habere analogiam, tamē
per hoc ad inuicem diſtinguuntur, ſiquidem vt benè ait doctiſſ. Senner. lo.
co ſuperius cit. tremor fit dum membrum ſuſpenditur, non autem cum ali-
cui parti inhæret, at motus conuulſiuus quia eſt motus inuoluntarius fiet etiā
parte non ſuſpenſa, ſed inhęrente; atque hunc motum crediderim doctiſſi-
mum alioqui *Saxoniam* vocitaſſe tremorem à cauſſa morbifica tantummodo
factum, vt propt. hic tremor contingat pleriſque quieſcientibus; quicquid
ſit ne morbus hic vel in paralyſim commigret, vel alium morbum contuma-
ciſſimum, quam primum eſt inſtituenda curatio, eòque potiſſimum quo ſu-
mus in ſene qui omnia habet aduerſa; cumque diximus tremorem fieri &
à facultatis vitio nimirum cerebro refrigerato, & humectato nimijs materijs,
nec non etiam & ab inſtrumento neruo nempè, & muſculo paritèr humecta-
to; indè duplex mihi videtur inſurgere indicatio, euacuandi nempè mate-
riam, & roborandi cerebrum & neruos, idque tùm calidis, tum diſcutienti-
bus; Itaque pręparata materia ſyrup. de beton. de ſ. borrag. atque mell. roſ.
ſimpl. ad pillulas deuenirem artheticas, de agar. cocchias, & ſimiles, atque
id pluribus vicibus facerem, cum non vna ſufficiat euacuatio, ſed epycraſis
ſit ſecunda; ſic quoque pro euacuando capite & errhina commendarem,
nec non etiam apophlegmatiſmata, confecta ex pirethro, cariophyllis, ma-
ſtiche, & cera, ſicut pro eodem cerebro exſiccando duo proponerem inu-
ſtionem in occipite, quæ vt ait *Mercatus* non quatenus euacuat tantummodo
prodeſt, ſed quia actuali calore exiccat, reſoluit, & in halitum digerit, &
decoctum ligni guaiaci, cum portione chinæ, & ſalſæ, additis ſandal. ci-
trinis, iua arthetica, beton, borragin. lupulis, meliſſa; hocque ad trigin-
ta dies inperarem; De ſanguinis miſſione nulla facienda eſt mentio, ſi-
quidem ſumus in Sene poleno materijs frigidis, in neruis refrigeratis,
vnàque debilitatis, proindèque nulla videtur conuenire phlebotomia,
quamuis non ignorem *Hipp.* in Stymargæi ancilla tremoribus laborante
ſanguinem miſiſſe. Hæc ait *Hipp. liberata eſt iuxtà talum ſecta vena, etiamſi tremo-
res ſecundum corpus eam tenebant, ſed ad occaſionem oportet venire. & occaſionis princi-
pium:* ſubdit *Valleſ. in comm ſecta eſt Vena, quia etſi eſſet frigida affectio, ac tum debili-*

tate, tamen erat ex exigua purgatione partus, & *Gal. lib. de rig. tremore, & palpit.* dicit: *Fieri verò ex hac occaſione indicabat frigidam paſſionem ex accidenti factam eſſe, nam ſanguis per ſe calorem magis natus erat facere*. Si ergo erat aff. ctio ex accidenti frigida auxilio indigebat ex accidenti calido, cuiuſmodi eſt miſſio ſanguinis, eſt enim per ſe auxilium refrigeratorium, aliquando verò per accidens calfacit, cum refrigeratio multitudine erat facta; Interim tamen ad cerebrum roborandum, atque materiam diſcutiendam eſt accedendum, pro quo explendo ſcopo multa proponuntur; *Senner.* præ reliquis laudat ſequens electuarium; ℞. pulpæ pullorum columbarum Siluestr. vel ciconiarum in vino elixarum onc. 3. cerebri leporis aſſati Vnc. 1. amygd. dulc. mundat. n. xxx. pinearum recent. lotarum cum hydromelite n. xx. paſſul. min. unc. 1. ſp. elect. reſumptiui Vnc. 2. puluer. cinnamomi dr. 3. zinziberis, cariophyll., galangæ, mayis an. dr. 1. cardamomi dr. 5. moſchi grani 2. mellis deſpum. q. ſ. miſ. f. ſ. a. elect. cap. laudat pariter infraſcriptum electuarium, quod mihi melius eſſe videtur, ac fortè maioris roboris. ℞. conſ. betonic. florum anthos an. onc. 1. ſ. zinziberis cond. dra. 5. i. ſpec. diamos: diamb. an. dra. 5. theriacæ drac. 2. aureæ Alex. dra 5. ſpir. ♃ dr. 1. cum ſyr. de beton. q. ſ. f. elect ego tamen vti ſoleo infraſcriptis tabulis ſummo cum emolumento. ℞. conſ. de beton. flor. anthos an. Vnc. 2. conſ. roſ. vet. Vnc. 1. ſp. plyris Arcot. diambræ, an. dr. 5. aromatici roſ. diarhod. Abb. an. ſcr. 1. pulueris iuæ arthet. dra. 1. ſacch. fini inf. in aqu. beton. q. ſ. miſ. f. conf. in tab. drac. 5. ſing. pendentes, cap. vnam pro vice ſuperbibendo tantillum vel aqu. beton. vel aqu. ſaluiæ; ſic interea ad roborandos neruos, vnaque ad diſcutiendam materiam in illis imbibitam ſolent innumera commendari, vt balnea, vinacea, ſal, calidiſſimæ arenæ, & balneum ex ſanguine bouis recenter mactati; *Zacutus* tamen genus quoddam balnei comprobauit quo quidam vſus bis in die manè, & ſero vigintiquinque diebus tandem conualuit; eſtque ſequen. ℞. ſampſuci, arthemiſ. abſynthij, maioranæ, ſaluiæ ſthæcad. roriſmarini an. m. 1. lauri, primulæ veris an. m. 5. beton. m. 1. rad. acori veri, rad. ireos recentis, radic. peoniæ an. Vnc. 2. fol. centauri min. iuæ arthet. an. m. 1. ſ. chamom. m. 2. coque omnia in ſuff. quantit. vini generoſi ad mediet. facta colatura adde aqu. librā vnā ſulphuris viui onc. 2. nitri drac. 3. alum. dr. 5. iterum bull. bene, & colentur, adde ol. de caſtor. vulp. an. Vnc. 2. ol. chamom. lumbric. anethi an. Vnc. 1. ol. ruthac. de nuce indica, de therebint. an. Vnc. 2. iterum omnia bull. & ſeruetur decoctum; Alij laudant ol. vulp. coſtin. lumbric. Phyloſophorum de piper. nardinum, iuniper. vel ℞. ol. iuniperi, de caſtor. de piper. vulpini Vnc. 1. vngu. Martiat. unc. i. ſ. ol. nucis miristi unc. 5. miſ. pro vnctione partis. Senner. laudat ſequens vnguentum ℞. ol. communis libra vna clareti boni libra 5. ol. laurini vnc. 2. axungiæ canis vnc. 4. ſucci ſaluię vnc. 5. pulu. ſulph. citri, ſapon. Veneti an. vnc. 4. coq. ad conſumpt. clareti & ſucci. coletur. Vtile eſt balſamum roriſmarini, lauend. ſaluiæ, ol. deſtill. iuniperi, maioranæ, meliſsæ: hæc ergo habui, quę poſſem in hac exigua temporis intercapedine dicere, quæ non parum profutura ſperarim, modo ei adiungatur compar victus ratio, de qua ne verbum quidem facio, cum ſciam à doctiſſimo viro curante eandem optimè celebrari. Vale.

* * *

PRO QVODAM IVVENE MEDIOLAnensi Incubo laborante. Ad perillustrem, & doctissimum Octauium Porcarium.

CONSVLTATIO XIV.

IMaginatio, quam habet in somno noster æger, dum putat se quodam onere premi, anhelitu priuari, ità ut neque clamare, neque surgere, neque sese mouere possit, Incubum appellatum affectum attestatur, quem Plinius (& fortè melius) noctis, & Faunorum ludibria vocitauit sic *Mercatus lib. 1. suæ pract. cap.* 10. ait quod excogitauit antiquitas Siluanos esse dęmones hominum oppressores, de quibus vulgò profertur desuper in aere superdormientem incumbere, & ob aeris immutationem, quam efficiunt suffocationem quodammodo & angorem inducere; sic ait *Heurnius lib. de morb.* capitis olim mulieres putasse se à Faunis opprimi, qui hoc mali parte tentabantur, & Dęmon Faunorum faciem induens profitebatur se Incubonem esse; sic *Sanctus August.* 15. *de Ciuit. Dei*, vt est apud eundem *Mercatum* ait reperiri Dæmones quos Incubos, & Succubos vocant; ad quos referre hunc affectum absonum est; quod intuens doctis. *Pereda in adnot. Ioannis Michaelis Paschalij*, dixit falsum esse hunc affectum fieri à Dęmone eò quia quidam Dæmones a Theologis Incubi vocentur; hi enim etiam si hoc nomine appellentur, non quia hunc affectum efficiant; sed à coitu; quia assumentes aerea corpora sub virorum forma mulieribus incubent, sicut & succubi appellantur illi Dęmones, qui fœminam mentientes viris succumbunt. Et ex horum coitu natos fuisse gigantes multi ex Theologis affirmarunt. Subdit *Pereda*: ex his intellige, quam malè omnes caussam istius morbi ad crapulam, & cruditates referant, cum hæc nunquam imaginationem lædant; quod tamen ego falsum esse concredo, quia et ebrij falsas habent imaginationes, vertiginibus sunt obnoxij in quibus imaginatio læditur: ideoque ego reor huiusmodi affectum non habere determinatam cerebri partem, sed totam esse, vt probaui in meis epist. & si imaginatio læsatur, est quia læditur ea cerebri temperies, quę perficit Imaginationem: quicquid tamen sit Incubi nomine nos non aliud intelligimus quam, vt ait *Mercatus*, affectum quendam corporeum in cerebro existentem qui nil aliud est quam prauum insomnium cum noxa respirationis propter vaporem crassum posterioris cerebri meatus obstruentem; quamuis *Fernell. lib. 5. de partic. morb. cap.* 3. & cum ipso *Platerus* dicant huius affectus caussam esse crassam pituitam, & melancholiam, non tamen in cerebro sed circa præcordia stabulantem, qua per crapulam, & cruditatem turgescente diaphragma, pulmonesque premantur, crasso autem vapore in fauces & cerebrum elato vox supprimatur, sensus atque mens obturbetur, visisque tristibus offendatur: quæ quidem caussa quamuis à *Sennerto* admittatur, non ob id vt perpetua esse statuitur, non inquam siquidem sine his, & alijs caussis fieri potest, & cerebrum præcipuè affici id constat, quia non solum motrix respirationi seruiens, sed & quæ voci, & aliorum membrorum motui præest non ita libera est, & Incubo laborantes difficulter expergiscuntur; ideoque *Petrus Salius in adnot. ad Altom.* dixit vaporem istum crassum modo à ventriculo tantum, modo ab vniuerso corpore eleuari, à ventriculo eleuatur ex crapula, & continua cruditate,

ditate, ex ſatietate nimia, ex cibis craſſioribus, flatuoſis, & quæ caput petere poſſunt, & incubus hac de cauſſa genitus facilè tollitur, ab vniuerſo autem corpore eleuantur, dum in eo vel melancholici, vel pituitoſi abundant humores, à quibus eleuati in ſomno vapores craſſi, & frigidi, & cerebrum replentes ſunt in cauſſa, vt virtus ad inferiores partes vix deſcendat, & hinc difficultates illæ in ſomno, & tales incubi: Quæ ſanè *Salÿ* opinio mihi maximè arridet, non enim eſt ſtabilienda determinata pars vt ab illa tanquam termino à quo incipiat euaporatio, nam à quacunque parte profugiat uapor, qui mineram agnoſcit pituiteam, vel melancholicam, poteſt incubus originem trahere; quamuis ego dixerim non raro, quinimò vt plurimum à ſanguine manare huiuſmodi affectum, qui dum craſſeſcit à pituita cum ſpiritibus animalibus viam preripiat, indè eſt vt difficultates inſurgant, hinc enim ſanguine conturbato vident patientes inſomnia illa horribilia, & fiunt difficultates in ſomno; nam vt ait *Hipp. lib. de flat. tex* 20. *Ac primum quidem*, ait, *qui omnibus animantibus communis eſt, hac confirmat ſomnus, quum enim corpus inuaſerit ſomnus, ſanguis frigeſit, à natura enim ſomno frigefaciendi vis eſt; infrigidato autem ſanguine, languidiores fiunt eius meatus, quod hinc palam fit quod corpora aggrauata reclinantur, omnia enim grauia natura ad fundum deferuntur, & oculi ardent, & prudentia permutatur, opinionesque peregrina mentem occupant, & exercent, quę ſanè inſomnia appellantur*; quid clarius ab *Hipp.* dici poterat pro confirmanda mea opinione. Ex quibus patet huiuſmodi ſymptomata fieri ob venarum interceptionem, & ob ſpirituum immobilitatem, atque indè inſurgunt aphoniæ, difficultates anhelitus, grauitas, & ſuffocationis ſenſus; quod adhuc expreſſit *Hippoc. lib. acut.* dicens: *vnde corrupto ſanguine, & ſpiritibus nequeuntibus peruadere vias, qua in ipſo ſecundum naturam ſunt refrigerationes etiam fiunt ab ſtatione, & vertigines & aphonia, & capitis grauitas, & conuulſiones, ſi iam in cor, aut hepar, aut venam peruenerit*; inde epileptici fiunt, aut paraplectici ſi in continentes locos inciderint fluxiones; & ab ſpiritibus non potentibus exire ſiccata ſint: ſubdit Valles: *Stationem ſpirituum intelligit: hoc eſt ipſum non peruadere ſpiritus per vias, qua ſecundùm naturam ſunt in ſanguine, hoc eſt per ipſum ſanguinem, qui naturaliter peruius eſt ſpiritibus, deſinit verò peruadere corrupto ſanguine, hoc eſt concreto, coagulatoque vt ſolet extra fuſus, aut in corporibus demortuis vbi coagulatur, quia non penetratur à ſpiritu; ſinit penetrari, quia multitudine obturantur via, & ipſe inculcatus denſeſcit*: ſubdit adhuc: *Itaque interceptio venarum eſt intercluſio earum tanta, vt prohibeatur ſpiritus per ſanguinem delatio, qua neceſſaria eſt & ad ipſius ſanguinis aut calorem omninò faciendum, aut augendum, & ad deferendam per corpus facultatem vitalem, & naturalem calorem, (tametſi enim vitalis facultas illuſtratione potius communicatur, quam ſpiritu, nunquam tamen ſine ſpiritu) atque proindè & ad omnes actiones, qua nobis ſunt ſecundum naturam. Cum enim omnes facultates, qua ſingulis partibus inſunt, communi influxu à corde, velut à quodam mundi huius exigui ſole fouentur, neceſſe eſt ſpirituum vitalium per venas impetu intercepto & ſenſum, & motum ceſſare non per ſe ſed compatiente cerebro. Fit interceptio venarum aliquando ob redundantiam ſolam in toto corpore, vt nihil aliud videatur eſſe affectio, quam non poſſe iam tantum ſanguinis à venis capi. Nam etſi congeſtio illa repente non fit, tamen cum ad ſummum, (ſi quod tunc eſſe ſummum poteſt,) peruentum eſt, quacunque leuis cauſſa exagitet, commoueat aut turgere faciat (velut certè flatus) effert in caput facitque in eo venas, & meningum ſinus intumeſcere adeò, vt compreſſum cerebrum mouere ſeſe intrà cranium non poſſit, & eius ventriculi compreſſione obſtruantur. nam non minus quod exterius incidens comprimit, quam quod interius concluſum obturat, obſtructionem facit, huncq. modum generationis apoplecticarum paſſionum docet Hip.* hęc *Vall.* Vo-

lui

sui omnia hæc transcribere cernens quã benè venarũ interceptionẽ explanet; sicq; patet quod dixi, Incubum nẽpe fieri ex venarũ interceptione; ex spiritibus.n.nequeuntibus cõmeare omnis Incubi affectio consurgit: hocq; fortè voluit *Rondeletius cap. de Incubo* cum dixit hunc fieri ob summam venarum plenitudinem thoracis scil. quidam nobis incumbere, & supra nos stare putamus respirationem opprimens, & impediens ac vocem simul, ità vt suffocari in eo ęgrotantes videantur, vnde à *Themisone vt Paulus* testatur πνιγάλιων à suffocando vocatur *Petrus, Salius in adnot. ad Altom.* dixit huiusmodi morbum fieri vel ab ore ventriculi vitiosis humoribus referto, aut morsò à vermibus, aut corruptis cibariis, vel quia cerebrum sanguine repletur, & grauatur, vel cor ab eodem premitur, aut stimulatur, quamobrem non explosis aliis caussis ad crassum sanguinem huiusmodi affectum redigerem, qui spiritibus præpediendo iter accersunt omnia symptomata Incubo consocialia: Cæterùm cum huiusmodi affectus, vt asseuerat *Auic.* maniæ epilepsiæ, & Apoplexiæ sit antesignanus, & secundum, *Cælium Aurelianum* si frequentiùs vexet, est malus adeò, vt nonullos necet, vt existimat *Zacutus lib. p. de Praxi Medico admirab. obseru.* 42. vnde *Horstius, vt est apud Schenckium* dixit quosdam ex incubo, vel succubo manè in lecto extinctos inuentos fuisse, propt. non negligenda curatio, quæ à multiplici fonte sumitur, nimirum à materiis crassis, pituiteis, & melancholicis, quæ euacuationem amant, à viscerum intemperie huiusmodi materias progignente, quæ alterationem desiderat, & tandem à crassis vaporibus, qui & discussionem & attenuationem amant; crassæ igitur materiæ ac melancholicæ præparandæ sunt, vt facilius obediant euacuationibusque: syr. de lupul. de s. beton. ac melle rof. simpl. addita decoctione in qua bullierit pęonia, vt postmodum possit euacuari melle rof. sol. syr. D. August. cum portione Diacathol & agar. trochis; quod si hæc parum profuerint, deuenirem ad pillul. de agar. cocchias, de fumar. & similes, sicut non aliena existimarem apophlegmatismata, errhina, & similia; interim dum hæc celebrantur, cum simus in iuuene plethorico, ac morbus hic possit fieri à venarũ interceptione non alienum credo sanguinem mittere, sed pręstita prima purgatione, qua supponuntur demptæ materiæ crassæ sanguinis missionem inhibentes, vel loco illius possent affigi hyrudines venis sedis, sic enim nec corpus refrigeraretur, nec redderetur imbecillior, fieret autèm reuulsio, & euentillatio, sicque etiam laudarem frictiones partibus infernis, cucurbitulas ibidem non autem dorso ne scil. materia in cor trahatur, quod tamen præ reliquis commendarem, esset inustio cruri dextro applicanda; Interim cor roborandum, ac cerebrum, ne recipiant, neue producant, sicut & flatuum discussioni est animus admouendus, pro quo explendo scopo ipse cum Sennerto probarẽ sequens conditum: ℞. spec. arom. rof. dr. 1. Diarhod. Abb. plyris Arcot. an. dr. 5. Diamarg. frig. scr. 1. sem. pæonię dr. 1. coriandr. præp. dr. 5. anisi dr. 2. visci quer. dr. 5. conf. rof. dr. 1. sacch. inf. in aq. pæonię misc. f. confectio in tabellis, cap. vnam pro vice. Mercatus summè commendat vsum Diamusci dulcis in tab. confecti, dum laborans it dormitum, sic quoque pro flatuum discussione sequens medicamentum commendat: ℞. pul. anis. dr. 2. arom. rof. dr. 1. cinnamomi scr. 2. sacch. scr. 1. sumat à pastu cochleare vnum. Senner. laudat dum it æger dormitum, sequentem bolum; ex conf. florum anthos, lauendulæ menthę, melisophilli, pęoniæ; ego tamen ab hisce adeò calidis medicamentis abstinerem, ac præ reliquis probarem conseruam pæoniæ, beton cum portione conf. rof. sic radix pęoniæ suspensa,

maximũ

maximi vsus esse dicitur; atque hæc habui quæ possem breuissimo temporis intereruallo scribere, adest enim latoris celeritas, mihi occupationes haud desunt, quambrem si alia mihi subministrabitur occasio, fortè quæ nunc omisi, tunc supplere haud desistam.

PRO PERILL. DOMINO IOSEPHO ALFORIO AQVIL. PATRITIO *Conuulsiuis moti bus laborante.*

CONSVLTATIO XV.

DOctiss. ac nunquã satis laudatus *Mercatus* quod vt duos in conuulsione modos perpendimus, alterum quem motum conuulsiuum nuncupamus, & reliquum veram conuulsionem, ità prorsus duplex symptoma, & duplex facultatis motiuæ vitium succrescit, alterum est ipsius facultatis deprauatus, & conuulsiuus motus, proprius epilepsiæ ab irritamento productus, reliquum verò ab eadem facultate animali prodiens, quod etiamsi possit, & velit, quia non deest facultas vt in paralysi membrum mouere non audeat, neque tentet dolorem timens, qua ratione veram constituit conuulsionem, sicut in motu conuulsiuo, vt etiam si velit quiescere nequeat. subdit infer. conuulsionem esse illam, quæ non est interrupta motibus, & accessionibus, sed firmaiam, & cum distensione, in qua contracti seruantur musculi ab infarcto humore, in ipsorum villis, aut neruis, motum verò conuulsiuum esse quum facultas nequit membrum firmare, quod vi causse facultas prauè operetur. itaque conuulsiuus motus in continuò motu consistit, ità vt pars rigida haud remaneat: hocque laborare nobilem nostrum languentem palàm est, cum continuo bracchii, & oculi motu deprauato lancinetur, idque per interualla; affectus sanè ortus, non alia de caussa vt reor quàm ob vulnus ab equo in in caput inflictum, dum puer esset, quo cum cranii pars fuerit lacessita, quãuis rectè curata, nihilominus per interualla motibus istis tentatur conuulsiuis, debilitato cerebro, & congerente acres materias, quæ dum neruos continuò vellicant, vel mænynges indè motus illos accersunt; sic doctiss. *Petrus Salius lib. de morb particul.* ait in vulneribus capitis lethalibus solere hunc motum accedere in opposita loci affecti parte his, qui è directo sunt paralysi deprehensi, hoc autem qua caussa fiat, satis apertum esse dicit, nam uulnere malè habente, superataque ab eo iam, & euicta partis natura, & temperie putredo ingens, ac corruptio superuenit, ni cuius fanies prauam, & malignam qualitatem adepta, partium è directo loci uulnerati se habentium spiritus dissipat, ac in totum destruit, indèque fit paralysis cum autem ad alteram cerebri, & neruorum partem praui, ac maligni ab ea saniè transmittuntur uapores, tunc oppugnata, non autem expugnata facultate ab eorum prauitate & sęuitia insurgit natura irritata ad eorum expulsionem, sitque pugna ob eorundem discussionem indeque generatur motus ille natura tentare remouere id quod contristat, huiusmodi fit in singultu, vbi natura irritata à materia in ventriculi substantia existente per motum illum quærit contristantium remotionem; sicque solet fieri maxima questio, vtrum conuulsiuus motus fiat à facultate animali an verò naturali; *Thomas* enim *Erastus* vt est apud *Senner. lib. p. par. 2. cap. 31. quæst. 5.* motum hunc ait à facultate animali

prouenire, eo quia omnis motus, quem appetitus tā rationalis, quā irrationalis musculis imperat, siue bene, siue male id faciat animalis est, siue arbitrarius, is autem motus qui per contractionem musculorum ad sua capita fit mandatur ab anima musculis, ergo omnis talis motus est voluntarius, seu animalis, quod tamen reijcitur à *Comite Montano*, quia motus fit ab appetitu, qui cognitionem supponit, & sensum, quem in epilepsia abesse significat; deinde etsi in conuulsionibus, & spasmo sensus sint integri non possunt fieri eædem conuulsiones à facultate animali, quæ spontaneos, & voluntarios edit motus, non autem inuoluntarios, quales sunt motus conuulsiui; *Mercurialis* hanc pariter quæstionem agitat, asseritque epilepsiæ etiam motum fieri ab anima, quę cum ventriculorum cerebri læsionem ab humoribus, & vaporibus factam percipiat, dum cupit eam depellere noxam, quasi ebria, atque errans vt, ait, *Auenr.* huiusmodi deprauatos motus edit.

Doctiss. *Senner.* ait ad hos motus faciendos concurrere & expultricem naturalem, & facultatem animalem, etenim hi motus conuulsiui simpliciter animales non sunt, cum contra voluntatem fiant, neque etiam simpliciter naturales cum fiant beneficio musculi, animalis facultatis instrumenti, neque credibile sit facultatem naturalem expultricem posse tam vehementes, ac validos motus solam edere. Proindèque concludit Senner. facultatem expultricem initium motus præbere, motus tamen vehementiam vim animalem iuuare; quæ quidem opinio mihi satis arridet, de qua nil aliud assero, cum non sit præsentis instituti id disquirere, videantur tamen meæ epistolæ, vbi latius de hoc dissero; sat igitur sit dixisse motum hunc conuulsiuum partim fieri à facultate expultrice irritante, partim à facultate animali adiuuante, quicquid alij dicant, facultatem autem partium expultricem moueri ab obiecto improportionato, nimirū materia acri, mordaci, vel vapore, quamuis *Petrus Salius loco super. cit.* in pluribus non fieri à vapore, sed materia, eademq. tenui, pauca, & praua sanxit; quà tenuis facilè potest infigi in substantia, & principijs neruorum, quà pauca, nec in totum obstruere, nec replere neruos potest, vndè non est apta nec inducere veram conuulsionem, nec paralysim, quà praua aduersatur neruis, eosque stimulat, & angit, cuius natura excitata insurgit ad motum illum, vi cuius possit eam materiam discutere, qui quidem motus tamdiù durat; quamdiù fuerit in totum discussa hæc praua materia per motum illum; sicuti, & perseuerat singultus, quousque materia in ventriculi substantia existens, vel remota, vel discussa in totum fuerit, hoc autem tantum contingit, vbi nec continuò noua materia subministratur loco affecto, nec continuò fit eiusdem generatio; tuncque motus iste vel in totum soluitur, vel de nouo genita, & transmissa ad eadem loca simili materia repetit, periodosque habens per interualla accedit, vt in nostro casu contingit, quamuis enim non rarò motibus istis conuulsiuis per octo, decemue dies immaniter crucietur, nihilominus per annos subindè conualescit, sed congesta denuò à cerebro materia, vel aliundè transmissa iterum eadem sæuitie reddit pathema; non enim est impossibile, vt resoluta materia, quæ motus istos facit, cessent affectus, sicut regenita redeant; quæ quidem regeneratio fit ab eiusdem cerebri intemperie adaucta à fame illa diutius contenta ob vulnus ab equo inflictum inter duram, & piam męnyngem, vel non enim absonum est dicere, id manare ob quandam qualitatem impressam ipsi cerebro, quæ sit apta aggenerare huiusmodi acria excrementa, sicut cernimus à calcaneo in puero epileptico ele-

eleuari prauam illam qualitatem, quæ sensim ad cerebrum ascendens deprauatos istos motus gignebat; sic putant nonnulli Podagram fieri non aliter, quàm progenita materia ab articulorum occulta qualitate; sic benè præfatus *Salius loco cit.* dixit materiam hanc quæ principia neruorum petens est, in caussa huius motus non in ipsis generatur neruis, sed alibi genita aliò transmittitur, vt plurimum autem in cerebro generari, ab eoque ad principia neruorum transmitti consueuit, sicut ad principium medullę spinalis, tuncque motus hic si æqualiter eam in totum occupet, vniuersum apprehendit corpus, si autem vel dextram tantùm, vel sinistram fit motus iste in parte vel dextra, vel sinistra, si autem ad particularem aliquem neruũ appellat, tunc fit motus deprauatus in illa parte, sic *Paschalius cap. de conuulsione* dixit: *Conuulsio verò vniuerso corpore talem quampiam partem affici necesse est, quæ vt in arbore caudex ramorum, sic ipsa sit omnium neruorum communis origo, aut quoties, vel crus, vel altera tantum manus conuellitur illius membri conuulsio neruorum qui ad ipsum perueniunt.* sicque non miror, si noster languens non vniuersaliter concutiatur, neque secundùm dimidiam corporis partem, sed modò secundùm oculos, modo secundùm bracchia, quippe materia ad neruos bracchijs, vel oculis inseruientes aduentat, quæ quia est vaporosa, & mordax citò accessiones conuocat, citòque delet, sicut quia habet mineram in cerebro, nil mirum si dum ab illa eleuantur huiusmodi vapores, assurgat motus tam iteratus, donec ex toto dissipetur materia illa, quæ quamuis pauca satis tamen actiua, potest istos cruciatus procreare, actiuitatem autem habere puto, quia communicat acredinem vaporibus ratione, cuius putarim neruos contrahi ad suum principiũ haud secus quam aiebat *Paschalius* de musicis instrumentis, quod in tergoribus, ac loris accidere ait *Gal.* neque vnquam mihi suadere potui, vaporem omnis acredinis expertem, aut materiam posse conuulsionem parere, sed potiùs vel paralysim, vel paraplegiam, quis enim dicet neruum vellicari à vapore, aut à materia nisi acredinem conceperit? sic *Auic. cap. de conuulsione* spasmum ad materiam non proportionatum vocat illum, qui neque a repletione, neque ab inanitione fit, sed ex calido, acri humore, vel ex qualitate venenata perueniente ad cerebrum, & neruos vel ex qualitatibus non venenatis neruos vellicantibus; quam quoque opinionem prius habuit, *Marcellus Donatus*, qui dixit, quod siue vapor, siue humor fuerit, qui epilepsiam gignat, necessariò mala qualitate debent associari, quod cognoscit, ait, ex accessione quæ si diutina fuerit ab humore manabit, sin autem breuis à vapore profluet, vel progenitus ab alijs partibus nimirum infernis, vel in eodem cerebro, vt superius dixi, quod si in cerebro idiopathia agnoscatur, conuulsiui motus caussa à doctiss. *Capiuacc.* vapor, non autem minera admittitur, ratio est, nam vt testatur *Auenr.* si caussa epilepsiæ esset minera frigida, seu humor crassus, vt sfcidus hærens à ventriculis cerebri, nequaquam fieri posset, vt epilepsia tam citò fieret, & euanesceret. Præt. melancholia non generatur in capite, & tamen ex *Gal.* potest epilepsiam facere, ergò non potest esse caussa eiusdem per essentiam, cum producatur in partibus infernis; quicquid dicat *Capiuacc.* dixerim ego, & epilepsiam per essentiam fieri posse ab vtroque, & à minera, & à vapore, non solum quia, vt ait *Auic.* à minera pendet vapor, sed quia ipsamet possit eandem producere, modo tamen illa materia sit, vt dixerat Salius pauca, tenuis, praua, velut in nostro casu potest esse sanies, vulnus enim potuit saniem relinquere, quę cerebrum intemperando vnà valet affectum perennare, nimirum ansam dare continuæ materierum productioni, sic *Va-*

lescus

Iesus de Taranta in suo Phylonio cap. de epilepsia se vidisse ait hominem cui vulnus inflictum erat vsque ad piam matrem, è quo vulnere sanguinem diffluxisse ait ad cerebri ventres, ac ægrotantem septies, vel octies in die in epilepsiam se dedisse præcipitem, hanc autem prauã qualitatem *Bonatus* nedũ ait requiri in epilepsia per sympathiam, sed etiam in ea, quæ fit per idiopathiam, quod experientia probat; siquidem dissecto non rarò quibusdam capite in epileptico paroxysmo defunctis inuenti sunt interdum cerebri abscessus, nonnunquàm meningi corrupta portio, à quibus teter vapor eleuatus in cerebri ventriculos penetrans epilepsiam fecerat, quod pariter à vapore malo à sanie in vulneribus capitis in parte interna genita, vel eadem etiam sanie ad ventriculos cerebri penetrante aliquando contingit: quamuis ego non ignorem ex Hippocrate conuulsiones fieri ex venarum interceptione, vt aliàs quoque probaui; sic *Camerarius de obs. Ioann. Hessi* opistotonum narrat ex congelatione facta in vena caua, quia dum contingit, vt vena caua humoribus frigidis, & viscosis abundet, ratione quietis sanguis congelatur, & frigescit corpus ob talem congelationem vnde membra neruosa compatiuntur, vt testatur *Montanus in 9 Rhasis*; quomodocumque tamen fiat, sat est hunc affectum esse motum conuulsiuum à cerebro præstitum ob eius intemperantiam à materia, vel vapore acri & mordaci neruos vellicante, ideòque cum, vt aiebat *Fernell. 5. de part. morb. & sympt. Rarum quidem & insolens, sed tamen acutum malum est conuulsio, & quod breui interimit*: ideo non posthabenda curatio, morbus enim qui in neruis est dicebat *Hipp.* stabilitur, & non cessat, qui verò in humido diffluit; ideòque *Petrus Salius* dixit hunc affectum in aliquibus non tantum antiquari, sed etiam vbi à principio neglectus fuerit consenescere; quicquid tamen sit facilius tolletur si materiæ prauæ generatio prohibeatur, eiusque genitæ vel discussio, vel euocatio tentetur; quamobrem ad euacuandam iam genitam materiam in capite pillulis vterer cocchijs, & de agarico, eò potissimum, quò facta fuit vniuersalis euacuatio, quæ in hoc casu poterat non esse necessaria, quippè morbus est partis non autem totius, sicque meritò *Mercatus* definiuit naturam defatigari magis, ac exsolui, dum vna signatim particula affecta est ex vniuersali euacuatione, commotis nimirum totius corporis inculpatis humoribus, ac ob id in particularẽ affectum confluentibus; vterer ergo pillulis cocchijs de agarico, ac aureis, vt scil. materia quoque acredinem vapori communicans tollatur, præmissis tamen syrupis ex. s. beton. de. s. borraginis, & melle rof. simpl. diluti s cum aquis pæoniæ, & decocto communi; neque enim vnam sat esse euacuationem crediderim in morbis enim ab intemperie pendentibus iterata est adhibenda purgatio, quippè quamuis euacues, præsto tamen adest ab intemperie relicta congestio, ideoque pluries pillulæ præscribentur, vt euacuetur eadem materia sicut apophlegmatismata, errhina & similia maximè commendarem.

De sanguinis missione maior est difficultas, sunt enim qui asserant in hoc morbo nunquam esse mittendum sanguine, quia cum pendeat ab humore frigido, ideò videtur absonum sanguinem mittere. *Senn. loc. cit. qu.* 7. ait in epilepsia, & consequenter motu conuulsiuo per essentiam si plenitudinis cuiusdam notæ appareant, aut sanguis multus melancholicus adsit vena omninò aperienda est: propt. in nostro languente iam plethorico Iuuene, ac vitam viuente sedentariam non alienum crederem sanguinem mittere ex cephalica in pauca tamen quantitate, vt vult *Aetius serm. 6. ca.* 14. qua scil. acredo temperaretur, & fieret à parte reuulsio, vel deriuatio, pro quo explendo scopo cu-

curbitulæ partibus inferioribus, frictiones ligaturę vessicantia, & alia possent esse ex vsu; Illud tamen, quod mihi præ reliquis videtur esse commendandum, est inustio vel in occipite, vel tandem in bracchio: neque enim sic putarim materiam posse penitus profligari, ni insensibilis aliqua euacuatio procuretur; ideoque verè aduentante post præstitas euacuationes decoctum chinæ commendarem cum portione ligni visci quercini, sandal. citrin. additis in fine ebull. rebus cephalicis, ac neruos roborantibus, quod si velimus salsæ radicem in pauca tamen quantitate adiungere, non improbarem. His pręstitis nisi morbus debelletur, ad cerebri intemperiem eneruandam accederem, quæ huius morbi caussam fouere videtur, ideòque *Salius* præ reliquis commendat embrochas aquarum naturalium, quæ multum prodesse poterunt, robur enim cerebri, vt ait, hinc habebimus, & materiæ discussionem; quod si hæc non admittat æger, poterit hæc vel similia adhibere medicamenta: ℞. Diamusci dulcis vnc. I. puluer. diacymini, & arom. ros. an. drach. 2. pulueris calami arom. rad. pęoniæ, & plytis. Arcot. an. drach. I. S. rad. acori conditæ dra. iij. cum syrup. de beton. f. conf. cuius ca. vnum cochleat de mane, superbibendo parum aq. pęoniæ, vel beton. quod tamen se expertum dicit *Salius*, est puluis ex cor. cerui, talo suillo, cor. vnicornis, cranio humano, & consimilibus osseis medicamentis; *Card. de curat. admir. curat.* 15. ait se quendam conuulsum restituisse vsu mitridathi ex triplo sacch. ros. & elect. de moscho, tum margaritis, Hyacinthis, smaragdisque orientalibus; neque ob id neruorum immemores esse debemus, sed ij corroborandi veniunt, vnaque materia in illis imbibita discutienda, ad quem scopum explendum, sunt qui multa laudent: Ioannes Michael Paschal. cap. de conuulsione ait esse vtile admouere parti conuulsæ pulmones Arietum, aut animalia parua bruta recèns per dorsum incisa, vt sunt pulli gallinacei, columborum, parui canes, confert quoque manum, aut partem conuulsam, in bouem, aut aliud animal recèns cæsum immittere, & ibi quousque calescat sustinere; sic in vinum nouum feruens immittere manum est vtile; Possemus quoque vinacea comprobare, arenas, & similia, quæ nunc temporis missa facio, cum absint; sunt etiam qui laudent balnea naturalia sulphurea, aluminosa, salsa, quæ à nobis quoque vt pręfatus *Paschalius* asseuerat parari possunt ex sulphure, sale, alumine, & herbis, & floribus capitalibus incoctis: sic quoque solent probari inunctiones, linimenta, vnguenta, quorum non est numerus; sicque ego adhiberem inunctiones ex aq. vit. ol. vulp. costino, lumbric. nucis myrist. de lilio, additis castor. euph. vel vng. Arag. Martiat. Agryppæ, dialthęæ &c. quod tamen à *Petro Salio* commendatur vsus est synapismatum, quinimo eorundem vsu se puellam quandam per multos annos liberasse promulgat; quicquid tamen fit, nisi par victus ratio coniungatur, nil fiet; propt. *Card. loco cit.* ait se opistotonicam curasse abstinentia à carnibus, vino, & ouis; cæterùm de hac non loquar cum sciam à curante optimè institui.

Vale.

***

PRO

PRO NOBILI IVVENE AQVILANO *Epilepsia laborante.*

CONSVLTATIO XVI.

EVifcerum antipraxia tanquam Creontis vaſibus malorum ilias. qua premitur nobilis noſter languens haud ambigendum venit: hepar enim cum præcipuam in animalibus ſanitatis baſim, ac morborum fundamentum predicarit **Cardanus**, meritò ex illius dyſcraſia innumera màla poſſunt proſilire; illud enim ventriculum primigenio calore defraudando cruditatibus anſam exhibet, indeque vaporum exuberantia caput petens fluxionibus illud reddit obnoxium; ac proptereà facillimè noſter languens feruidiori Iecinoris craſi donatus ventriculum obtinet imbecillum, vnàque caput humidiſſimum ſicque ſingula viſcera varias humiditates congerentia, varium progignunt affectum, vt putà capitis quandam imbeccillitatem, grauitati conſocialem, ventriculi languorem, & tandem non raró epilepticas conuulſiones; omnia ſenè originem agnoſcentia ab vna cruditate, ab illa namq; dum flatus emergunt ventriculo languor communicatur, dum vaporibus ad caput emittit illud torpidum reddit, cum dicente *Aretao* vaporum exuberantia torpeat omnis actio, & potiſſimum cerebri coctrix facultas vel alteratrix, è quà multorum humorum, eorumque crudorum illuuies proſiliens epilepticis conuulſionibus ſuppeditat adminiculum: crudorum enim humorum proluuies cum ventriculos cerebri quo quo pacto obſtruere valeat, epilepſiam procurat, vnaque producit: vt propt. *Gal.* inſinuarit 3. *de loc. aff. cap. 7. & 2. de cauſſ. ſympt. cap. 7. Apoplexia*, inquit, *& epilepſia ex pituitoſi ſucci multitudine in cerebri ventriculis collecta gigni videntur*; ac propt. forte *Gal. loco cit.* dixit humorem melancholicum ſi cerebri lædat temperiem melancholiam fieri, ſi corpus, & eius conſtructionem fieri epilepſiam: quamuis ſolus *Quercetanus* nō cerebrum ſtatuat affectum ſed cor; ſic *Saxonia* ventriculorum cerebri męnynges ſtatuit affectas. aiunt enim *Realdus Columbus, lib. 8. cap. 7. & Arcang. Piccolom. lib. 5. ſuarum prælect. anatomicæ*: cerebri videl. ventriculos ſuccingi membrana quadā tenui ex tenui męnynge ortum ducente quæ exquiſiti ſenſus extat, vt proptereà hac irritata, aut aliqua ex parte repleta fiat & ſternutamentum (quod eſt leuis epilepſia ex *Auic.*) & ipſamet epilepſia, quę conuulſio eſt vniuerſalis, *Gal.* ait in hoc morbo affici medium cerebri ventriculum, & poſtremum *Arabes* autem ſolos anteriores affici cenſuere. *Hip. lib. de rat. vict. in acut.* eandem refert in venarum interceptionem dum ſic habet: *Morſeque atque admodum arefacta vena, intenduntur, trahuntque inflammata qua influunt, qua proptèr corrupto ſanguine, nequeuntibus ſpiritibus naturales pertranſire meatus infrigidationes fiunt ob ſtationem, vertigines aphonia, capitis grauitas, & conuulſiones, ſi verò ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint, hinc epilepſia, & paraplexia, ſi continentes locos fluxiones inuaſerint, atque ſpiritibus exire nequeuntibus exaruerint*; quicquid tamen ſit, in ſtatuenda ſede varij ſunt auctores, cum alij vt dixi cor ſtatuant, alii meninges alii ventriculos alii morbranarum cerebri diuiſiones cerebri, & alii credant id ex venarum vt voluit *Aſclepiades referente Aureliano*, interceptione contingere, quatenus videlicet ab humore huiuſmodi partes irritantur, craſſo nempe, analiter non vnanimiter ſe habent; *Galenus* ſiquidem autumauit vt ſupęrius

dixi

dixi cum aliis hoc morbi genus fieri à materia crassa, quod consonum haud quaquam videtur, subitò namque hoc malum discutitur, vnàque generatur, vndè nequit ab humore crasso manare, qui tam citò discuti non potest, quā difficultatem intuens *Mercatus cap.* de *epilepsia* dixit non sicut in apoplexia aut paralysi humores contendere in propria forma, crassos nimirum & tenaces, sed in epilepsia spumosiores fieri, leuiores, & rariores; sicuti spuma per os excreta quotidiano experimēto confirmat, à qua protinùs cessat affectio, quasi indicans iam excreuisse naturam morbi caussam; subditque hanc veritatem probare, eo quia senes rarissimè epilepsia laborant cum eorum tamen cerebrum adeò sit frigidum, vt præ caloris defectu crassum humorem generent, qui neque attenuari, rarescere, aut in spumescere valet. *Aris. lib. de somno & vigil. cap. 5. ab Auic.* relatus *p. 3. tract. 5. cap. proprio* dixit oportere humorē crassum epilepsiam inducturum prius inflatum conuerti, quod confirmauit *Auenroes 3. collect. cap. vlt.* ea potissimum ratione ex *Rhasi* desumpta *p. contin. c. 6.* quia nempè si sine ventositate, aut vapore à frigidis & crassis humoribus fieret, citò, subitòq; nō accideret, aut dissolueretur: propterea propterea statuerūt (& fortè meliùs) nōnulli hūc morbū potiꝰ à materia vaporosa fieri, seù spiritu qui ad motū est aptissimus; qua ratione *Gal.* quoq; *l. de Trem. & palpit. c. 5.* palpitationis caussā docēs eā dicit esse spiritum, seu substantiam spiritualē ob motionis, ac solutionis celeritatem; quid enim (inquit) tàm focilè congregari, atque inaniri potest aliud, quam spiritus? & paulò post citam euacuationem, aut repletionem, aut distensionem, aut subsidentiam, aut depressionem, aut elationem, aut alium quendam motum nullum ex omnibus prę ter spiritum effecerit; quamobrem non sine ratione *Arist. lib. de somno & Auenr. 3. collig. cap. vlt.* fieri à flatibus putarunt: quod volens confirmare doctiss. Sener Dixit: *Demus enim citissimè ab humore crasso obstrui ventriculos cerebri, humorē tamen crassum tàm subitò discuti posse, vt nullum ferè relinquat sui vestigium verisimile non est, cum videamus quid in Apoplexia, quid in caro, similibusque affectibus fiat, & quanta cum difficultate, quantoque temporis spatio materia illa discutiatur, quorum nihil post epilepsiam accidit;* quamobrem potius vaporosam materiam epilepticū morbum ingenerare crediderim, quam crassam pituitam, quod sanè ipse *Gal.* negare haud quaquam potest, dum *3. de loc. aff. cap. 7.* quandam admittit epilepsiam, quæ excitatur dum à ventriculi orificio, vel alia quadam parte, vt de puero narrat Grammaticò, aliquid ad cerebrum ascendit quod cerebrū ipsum irritet, quod sanè irritamentum vt caussam ponunt *Rondel. cap. vlt. de epilepsia, Holler. in schol. 16. p. lib. de inter. Erastus in disput. de epilepsia; Fernel. lib. 5. pathol. cap. 3. & 2. de abditis rerum caussis cap.* 15. hoc tamen irritamentum quid sit non explanant, prætèr doctissimum *Saxoniam*, qui illud duplex sancit, aut replera scil. parte sentiente, cuius facultas expultrix sit valida, protinus insurgens ad rei nocentis expulsionem, aut ob qualitatem acrem, mordacē, atque venenatam, cuius meminit *Gal. 3. de loc.* circà finem, cuius geminæ caussæ meminit *Auic. p. 3. tract. 5. cap. 9.* primum tamen irritamenti genus nō admittunt præfati auctores, neque *Erastus, Rondel. atque Fernel. & Holler.* sed solam qualitatem accipiunt, nec obstat *Saxonię* obiectaculum, quomodò scil. contingat, vt aliquandò mutuò se excipiant, epilepsia, & apoplexia, epilepsia, & fatuitas, hanc enim difficultatem soluit *Sennertus* aiendo in hisce casibus nedum adesse qualitatem acrem, mordacem, & venenatam sed etiam addit occultam, vnaque humorem qui tunc temporis in ventriculis relictus alios morbos generat; atque ob hanc caussam crediderim doctissimum

Merca-

Mercatum cap. de epilepsia eandem retulisse præter crassum humorem in rariorem formam redactum qualitate maligna affectum, vel qualitatem ipsam aliundè per halitum, aut auram illuc ascendentem, siue à veneno sumpto, vel in corpore genito, siue ab vlcere cacotethe, siue ab alia affectione vt ventriculi cruditate, ex lacte in pueris, vel quouis alio cibo, siue ex largo meri potu prodat, vel à lumbricis, vel vt *Gal. 3. de loc. aff.* refert ab aura ab aliquo peculiari membro ascendente; sic refert *Haly Roodoam comment. ad lib. 3 thech. Gal. text.* 191. epilepsiam vidisse è bracchio excitatam: è labro superiore pronatam curauit *Douynetus* caustico ipsi labro admoto; è digito eoque minimo sinistræ manus, dextro bracchio, ab articulo humeri subortam obseruarunt *Fauentinus de meden. morb. cap.* 11. è mamma vidit *Marcellus Donatus libro secundo de hist. mirab. cap.* 4. è summo vertice *Fernel. 5. pathol. capite tertio* è corde idem *Marcellus Donat. eodem cap.* Ab vteri vitio *Beniuent. de abdit. cap.* 97. quos omnes *Zacutus lib. 1. hist.* 20. excitatis vlceribus escharoticorum ope in parte affecta conualuisse refert: idque non aliter contingere autumarim, nisi quia in istis partibus vndè exhalat malus vapor excrementum adest ab eadem parte progenitum, nam ut docuit *Galen. 5. aphorism.* 39. singulæ corporis partes ut suum nutrimentum ità etiam excrementum habent, & superfluum derelictum humorem similem naturæ partis, vnde subdit *Sennertus lib. 4. quæst.* 8. de arthritide loquens istud excrementum tartareum præcipuè in ossium epiphysibus colligi verisimile esse, & *Quercetanus in consilio de arthritide, & calculo* sanxit tartarum congestum & contentum in iuncturis caussam proximam & immediatam esse arthritidis, eamque aliquamdiù in iuncturis contineri, & otiosam manere, vbi verò fiat noua fluxio, qua eum commoueat paroxysmum excitare, non aliter ac dum calci viuæ aqua affunditur fit quædam ebullitio, & ardor: quod forsan intelligere voluere *Paracelsus & Petrus Seuerinus*, quando dixere arthritidem generari ex synouię ebullitione, ac efferuescentia; quamobrem non miror huiusmodi epilepticos qui ab aliqua parte determinata auram vel qualitatem ascendere persenserunt ex vlcere in parte inflicto conualuisse, causticum namque videtur esse medicamentum metasyncriticum trahens materias à centro ad periphæryam seù circumferentiam, vndè ablato humore è quo potuit oriri qualitas illa, tollitur affectus epilepticus, cum non amplius ascendat qualitas illa mordax; sicque *Andreas Libauius ad Schnizerum epist.* 73. in Cista medica Hornungi quendam Medicum curasse ait arthritidem patientem sex clauos pedibus affigendo; quod non casu contigit, cum per ea vulnera morbus potuisset erumpere: hæc tamen dicta sint obiter; quicquid ergo sit non est dubitandum, epilepticum morbum, à vapore vt plurimum proficisci, si non obstruente, saltem facultatem cerebri vellicante, sic enim per adstrictionem, non obstructionem insurgens pars ad expellendum motus illos deprauatos, seù conuulsiuos progignit; quod priùs notauit doctiss. *Iacchinus in 9. Rhasis cap.* 14. aiens: *Itaque non absque ratione crediderim in cerebris ità affectis aut vaporem aut flatulentum spiritum praua qualitate affectum morbum committere.* Quod si etiam adsit materia, eam esse exiguam, obstructionem verò potiùs ab strictione fieri, cui etiam experientia suffragatur in quibusdam qui leuissima accessione prehenduntur, adeò vt vix concuti appareant, nec cadunt, quamuis nonnihil vaccillent pedes, & quasi perterriti clamant, sed statim ad sese redeunt. Signum enim est eorum cerebri percepta leui noxa contrahi, & expulsionem moliri, sed leui negocio malum à se propellere, atque ità quoque saluatur *Hippocratis* opinio de venarum inter-

interceptione; dum enim vapor mordax venas ingreditur, cogit easdem adstringi, vt propellat illum tanquam nimis molestum, ex illaque adstrictione malum prodit: & conuulsio; ni velimus cum *Cæsalpino lib. 5. Artis med. cap. 28.* asserere dicendo duobus modis uenarum interceptionem fieri, uel per compressionem undè transitus non detur neque sanguinis, neque spiritus, quod priuationem facit, undè apoplexia uel per repletionem, quæ spiritus impingit in neruos, vndè motus deprauatus fit, in utrisque autem potest contingere magis, & minus: sicque fieri maior, uel minor conuulsio, quæ non rarò maior, non rarò minor, non rarò nulla in epilepticis morbis conspicitur pro maiori, uel minori caussa; neque miretur quispiam me asserentem uidens dari epilepsiam absque conuulsione, siquidem *Auic. cap. proprio* asserit epilepsiam quandam dari absque spasmo sensato; undè doctissimo *Mercato* ansam dubitandi dedit, cur uidelicet si epilepsiæ potissima conditio est, ut natura tentet sibi molestum pellere medijs motibus prędictis, qua nam ratione epilepsiam iudicabimus eam, quæ eisdemmet caret? Respondetque quod licet uniuersa ferè huius mali ratio in obstructione sita sit, hanc scimus aliquando potentias lædere sentientes, easdem in proprijs uentriculis obstruendo, ut in apoplexia: aliquando verò humores obstruentes deterrima etiam qualitate affecti irritant magis potentias ipsas expellentes partibus ipsius cerebri dilaceratis, & irritatis: vndè iure ob magnam illam obstructionem sensus magis hebescit, & veluti somno laborantem lacessit; subditque ab irritamento, & cerebri mordicatione moueri intrà corpus partes cerebri, & spasmum illum (vt fert *Auic.*) non esse sensatum: at dum conspicimus mordicationem esse maiorem motus oriri vehementes *Gal. 3. de loc. aff.* arbitratus est id pendere à vehementi infrigidatione, à qua Lethargum, & Carum accidere affirma, ego autem huius euentus caussam referrem potius in maiorem, vel minorem non obstructionem, sed malam humorum qualitatem, ad quam dum expultrix facultas insurgit expellendam media adstrictione, ac partium corrugatione motum illum efficit deprauatum, eoque magis si humor acri satis qualitate polleat, si enim mitior illuceat humor, pars insurget quidem ad expellendum sed minori conatu, demus exemplum de chordis, quæ si Igni approximentur sed non nimis propinquè, corrugantur quidem sed leuiter, ità ut vix ac ne vix quidem hominum illuceat obtutui; sin autem chordæ propinquius ignem experiantur, haud dubiè maiori violentia concitabuntur, atque motus citatissimus erit; sicque mihi soluta esse videtur difficultas: non enim motus exiguus illucet, sicque videtur sine conuulsione conuulsio epileptica accedere; quæ iuxtà doctiss. *Dureti* dogma est conuulsionum Regina ni veli; Ad prauam ergo qualitatem, & non rarò ad humorem aliqua mordacitate donatum huius pathematis caussam adigerem, vel venas irritantem, vel neruos, venæ enim ex Hippoc. fluxum, & motum exhibent, nerui autem contractionem, & dilatationem; quæ quidem dum adstringuntur ac quasi continent, motum illum efficiunt: sic doctiss. Zecchius in suis consil. dixit epilepsiam vitium esse in læsa actione, morbum esse in via non esse autem obstructionem, sed adstrictionem, siuè meatuum angustiam ipsius cerebri, sese contrahentis, ad malæ cuiusdam auræ, siuè perniciosi humoris grauiter molestantis expulsionem, quò deinceps excluso statim in pristinum restituuntur statum, & qualem motum in singultu edit ventriculus, vbi acri mordetur humore, aut corrupto cibo infestatur, uel etiam cibi copia grauatur: quamobrem dum venæ vel intercipiuntur humore eoque acri, vel nerui irritantur à

vapore

vapore mordaci tenduntur ad expulsionem & conuulsionem parant, non enim vt dixi simplex humor obstruens potest illa accersire; vt non immeritò præfatus *Herc. Saxonia* dixerit aliquando saniem, & corruptum sanguinem epilepsiam efficere; sicut *Senner.* statuit caussam esse expultricis facultatis in membranis cerebri à materia tenui, & acri, & qualitate occulta neruoso generi inimica irritationem; indeque crediderim *Paracelsum* dixisse epilepsiam morbum mercurialem esse: Alij cum *Petro Seuerino* huius mali radicem dixerunt esse vitriolum mercuriale; vndè *Quercetanus* scriptum reliquit nullum ex vaporibus posse epilepsiam progignere nisi vitriolatæ extiterit naturæ. Alij verò cum in sale cùm mordendi reponant, cumque vapor mordicans epilepsiæ caussam statuant, potiùs ad salem, quam ad Mercurium pertinere videtur, vndè ob id Paracelsici sanciunt salem esse coniungendum: hocque volens confirmare *Marcellus Donatus* dixit epilepsiam fieri ex malo sanè vapore, rarò quidèm humore, vapore sanè dixit, eoque sempèr necessariò mala qualitate affecto, putredinali scil. vel venenata, non autem humore crasso, & lento vt explanauit *Gal.* quod rationibus firmat, vnaque experientijs, narrat siquidèm *Valescus de Taranta* se vidisse hominem cui vulnus inflictum erat vsque ad piam matrem, è quo vulnere saniem defluxisse ait ad cerebri ventres, ac ęgrotantem septiès vel pluries in epilepsiam incidisse; Idem auctor refert se in struthionis anatome ab epilepsia extincti indagasse humiditatem valdè fętidam in cerebri ventriculo. *Hip. lib de morbo sacro* scribit se multas oues dissecuisse, & in earum cerebro reperisse humiditatem multam fætentem. *Fernell.* consimilem narrat historiam cuiusdam scil. cui sub pericranio erat vitiatus, venenatusque humor, qui vaporem intrò mittebat veterum circà hoc infinitæ sunt prope modum opiniones, vt non ab re *Ioannes Crato* dixerit: *Vtinàm antè vitæ meæ exitum veram dignotionem huius mali, & verum remedium aliquis ostenderet*: Quomodocunque tamen sit cum *Donato* concluderem siuè vapor, siue humor fuerit qui epilepsiam generet, necessariò mala qualitate debet associari, quod ex accessione cognosces, quæ si diuturna fuerit, ab humore manabit, sin autèm breuis à vapore profluet: sed ehu mihi & quò me transuexit oratio, referentis personam induo, nec erubeo tot epysodia intercipere, dicam verè cum *Plauto*: lingua quò vadis? numquid eruditissimos Romæ Medicos edocere contendes? an verò suscitabulum eris ad eosdem met suppungendos vt te conuectent ad veritatis vltimos lares? quamobrem omissa longa verborum serie dicerem huiusmodi pathema quo nūc temporis ingemiscit nobilissimus noster languens epilepticum existere è praua qualitate pronatum, eaque tum ab inferioribus partibꝰ cōmunicata, & potissimū ventriculo, & feruidiori iecinore, vt constat ex sæpiùs flammante visu, tum à capite met quod ydiopaticè oblæsum supponerem, cum perpetuo fere languore prematur (præterquam quod diutina affectio ydiopathiam in caput adigere iam valuit) & absque vllo inferiorum partium affectu non raro incrementum susceptet, non ob id tamèn inferiorum partium sympathiam explodit; neque enim ignoro ydiopathicum morbum illum esse qui à caussa eo loco genita initia vendicat, quemadmodum sympathicum illum esse, qui à materia extrà partem genita ortum asciscit; illam indigenam caussam dixisset doctissimus Duretus, hanc aduenam: non implicare tamen reor aliquam partem ob diuturnum consensum proprium morbum contrahere vtique posse, quamuis per δευτεροπάθειαν vocitetur, & secundarius, sicut ille prior per πρωτοπάθειαν seù primarius dicitur;

citur; quis ergò amabo in nostro languente in hepate morbum protopathi-
cum non admittet, verum quis obsecrò caput morbo lancinari non inquiet
per δευτεροπαθηὸν verum propriè morbũ esse & ydiopathicum qualis inferna-
rum partium perennem sibi videat fomitem perennare, indeque putarim
Gal. nos edocuisse humorem diutius in aliqua è partibus stagnantem, eandẽ
in symbolam dyscrasiam adigere; An ergò fortè languentis nostri caput indi-
genam caussam non agnoscet, dum non interpolate ingemiscit, sed peren-
niter, non ob id aliquandò affectus non agnoscit incrementum vel ab eodẽ
capite suggesta materia, vel eadem ab hepate palyndromem vendicante,
potiùs ob feruorem, quam obstructionem, nullum enim in iecore videtur
obstructionum vestigium, non enim lotia vel tenuia vel pauca, non grauitas,
in parenchymatis regione, non dolor, non mutatus color, quo solo gloria-
tur *Gal.* 5. *de loc. aff. cap.* 7. hepaticos homines agnouisse, non meteorismus,
quamuis id sæpe Medicos decipiat, & tunc potissimum cum non in conue-
xa, sed concaua obstructio cernitur, non ęmatosis læsa, non excrementa
mutata, non denique alia, quæ aliarum partium obstructionem portende-
re queat, non pulsatio in hypocondrijs, non calor emicans, non borbo-
rigmus, seù ventris rugitus, non mæstitia, non mætus, quamuis id potius in
melancholia, quam affectione hypocondriaca prosiliat; non eructationes,
non anxietates, non stypticitas, non cordis saltus, non distributio præpedi-
ta, non dolores, non cruciamenta, nec alia: ventriculi duntaxat vrget de-
bilitas frigoris sensui consocialis, à materierum frigidarum vbertate prona-
ta; quamobrem falso creditur nostrum languentem ob hoc tantummodò
symptoma laborare affectu hypocondriaco: vt quidam credidere quicquid
tamen sit non explodere m ab hoc pathemate nostri ægrotantis rebelles tum
capitis, tum ventriculi, tum denique Iecoris intemperies quarum caussa
redditur eneruatu difficilis affectus, non ob id tamen à curatione desperarẽ
cum simus pariter in Iuuene, qui vigesimum tertium annum non excedit, vbi
curatio sperari potest cum dixerit *Senex.* 5. *aphoris.* 7. eos commori quibus an-
no vigesimo quinto morbus sacer euenerit: præt. epilepsia non est admodum
crebra, nec in eadem spuma colluceat, & propt. eadem à leuiori caussa de-
pendet, vt docet *Gal.* spuma namque ex eodem *Gal.* fit ex ingenti læsione in
respiratione, eòque magis quià *Hip.* 5. *aph.* 7. dixerat: *Comitiales morbi aut con-
uulsiones epileptica, quibusque antè pubertatem eueniunt curationem recipiunt*, explanat
Gal. pubertatis ætatem vsque ad vigesimum quintum peruenire; quicquid
tamen sit, cum de morbo non debeamus desperare, prophylactica est insti-
tuenda curatio quæ quidem primò nobis indicat purgandi vniuersum corpus
materiis quibus scatet, cum intemperata viscera humorum vbertatem progi-
gnere queant, cui quidem antequam accedamus poterimus aluum lenire
melle ros. sol. & syr. ros. sol. ratione actis materiæ ab hepate subministratæ;
& subinde possemus serapia materias præparantia adhibere, vt syr. de beton.
de s. borrag. mel ros. simp. cum decocto beton, borrag. menthæ, sem. citri,
pœoniæ, & cichor. vt deinde purgare valeamus, quam quidem purgationẽ
molirer eodem syr. ros. sol. D. August. ratione vstæ materiæ ex Iecore pro-
genitæ, adderem Diacathol. portionem, vnà cum speciebus hyeræ simpl.
vel agarico cotrochis; neque ad potentius medicamentum deuenirem, cum
aliàs statim commota materia, vel imbeciliori reddito capite conuulsiones
aduentarint, quamuis non ignorem ab Aretæo p. diutur. cap. 4. commenda-
ri validissima medicamenta, qualia sunt thymelæa, chamelæa, sic ab *Aetio*

lauda-

laudatur vinum colocynthidi superfusum, sic à *Celso*, *Alex. Trall.* & *Paulo* vsus probatur hellebori cum additione colocinthidis; sed his relictis non improbarem medicamentum purgans reiterare, vt epycrasim seruaremus, ideòque pillulis vterer de hyera potissimum cum agar.cocchiis, masticinis, addendo portionem pillularum de tribus cum rhab. sic quoque ad repurgandum caput apophlegmatismata laudarem ex mastiche, & cera, vel errhina, eaque leuia; sic quoque pro Iecore refrigerando, ac plectthoria deplenda non erit absonum de phlebotomia cogitare, quam quamuis *Galen lib. de cur. rat. per sangu mis.* ex cruribus concelebret, vt *Rhases* quod doctissim. *Saxonia* intelligendum vult de epilepsia per consensum à partibus infernis; *Mercurialis* id vult esse intelligendum de epilepsia in qua non est plenitudinis nota; *Sennertus*, vbi ex suppressis mensibus, vel aliqua alia euacuatione suppressa morbus originem ducit; ego autem dicerem id esse præstandum cum scil. à mala qualitate pendet à partibus infernis ascendente, sicut in puero illo grammatico, vel vbi caput est nimis debile, vnàque materijs frigidis oppleto, tunc enim ad reuellendum, & prohibendum transcursum vaporum ad caput phlebotomiam ex pede commendat *Gal.* sic quoque ne caput nimis refrigeretur: quod non paucitans *Auic.* nedum ex cruribus sanguinem haurit, sed ex cubito, & lingua; quomodocunque tamen sit cum in nostro ægrotante sanguinis notæ pelluceant, facies flamma inspectetur, mediam venam dextri bracchii pertunderem, sicut hyrudinibus venas sedis aperirem, sic enim & euentilabitur calor hepatis, & vapores sursum ascendentes reuellentur, pro qua pariter reuulsione præstanda inustio in dextro crure maximi momenti esse poterit, quamuis in bracchio eandem summoperè probarim, nisi caput admodum imbecille illam inhiberet, quemadmodum in occipite, vel syncipite, in occipite quidem si supponatur posse pathema pendere ab humore, in syncipite si à vapore. Pro quo pariter explendo scopo cucurbitulæ affigi poterunt, frictiones ligaturæ; Interim ad viscerum antipraxiam emendandam, & humorum excrementitiorum exsiccationem iura paruæ pullæ maximoperè probarem, vbi ebullierint beton. borrag. melis. cichor. mentha cum portione ligni de visco quercino, chinæ, & sandal. citrin. & quamuis à nonullis miris laudibus tollatur lignum saxafras, illud tamen quoniam nimio calore prępollet potiùs deserere, quàm aliter vndè pro visceribus roborandis non deerunt, inter quæ illud *Zecchij* mihi maximè arridet, quod sequens est: ℞. cranij hominis morte violenta defuncti, sem. pæoniæ an. scrup. ʒ. tormentillæ, ligni visci quercini, rasuræ eboris an. dr. 2 cons. anthos, rosarum, acori an. scrup. 1. syr. de beton. q. s. mis. f. elect. s. a. cap. quatuor horis antè prandium, quamuis non ignorem *Erastum in disputat. contrà Parochum part. 4.* humanum cranium reprehendisse, scribitque Diabolum latenter hominibus scripsisse, vt pro epilepsię depulsione vterentur puluere è cranio humano præparato, *Sennert.* tamen *Erastum* reijcit, probatque spiritum cranij, qui ex eo elicitur optimum existere; vel posset exhiberi puluis ille Marchionis dictus qui habet: ℞. visci qnercini, granorum peoniæ, florum, & rad. eiusdem an. vnc. 2. solut. corall. dr. 2. margar. dr. 1. cranij humani vnc. 1. vngulæ Alcis vnc. 1. succini albi vnc. ʒ. f puluis, dosis est à dr. 1. ad vnc. 1. sunt præterea multę aquæ antepilepticæ apud *Quercet.* sicut aqua hyrund. picarum, liliorum conuall. peoniæ, & similium, nec ab re fore putarim tabulas exhibere ex cinnamomi opt. vnc. 1. rad. peoniæ, sem. eiusdem an. dr. 2. sp. arom. ros. trium sandal. an. vnc. ʒ. conser. ros. scrup. 1. sacch. infuso in aq. peoniæ q. s. vt f. tab. possent quoque cum Zacu-

to propinari antidota,vt lapis bezaarticus,cum aq.saluię,stillatitia ex cerasis aut ex radic.pæonię,aut Tiliæ floribus, vtilis succus ruthę cum melle, lanuginosi quidam vermiculi reperiuntur in Ruba, tres aut quatuor deuorari queũt ex congruo liquore, Confectio de hyacinthis optima; sic multa alia ab alijs annumerantur.vt os cranii,vngula Alcis, Asini siluestris, Lichenes equorum, spinæ piscium exsiccatæ seu crematæ,cerebrum chamæli,hirundines combustæ,viscus querc.pæoniæ radices,& semina, pentaphyllum ,Imperatoria, carduus benedictus,smaragdus,sapphirus,& alia innumera quæ breuitatis gratia sileo;Possem innumera alia proponere, quæ tamen omittere decreui ob latoris celeritatem.

PRO DOMINO FRANCISCO GVASTERINO *Aquilano oris tortura laborante.*

CONSVLTATIO XVII.

NOn incassum vetustissimus Aretæus nobis scriptum reliquit caput difficilibus ęgritudinibus laborare, eiusque morbos & si leues ab initio finem non rarò difficilem,arduumque sortiri; indèque est nostrum languentem multis ab hinc mensibus capitis grauitate, vnaque catharroico pathemate lancinatum,his omnibus neglectis, atque posthabitis, tandem in oris torturam incidisse ob musculorum seù Ηαβοιντήρων, siue mandibularum paralysim,ni cum *Gal.4.de loc.affec.cap.2.*id ad neruorum, & musculorum faciei paralysim adigere velimus, quamuis *3.de loc.aff cap.6* conuulsionis meminerit, conuulsio quidem ab humore acriori progenita, paralysis verò à pituiteo musculos, neruosque opplente; quam sanè pituitosam colluuiem ob cerebri dyscrasiam innasci potuisse credendum; illud namque frigida, humidaque intemperie donatum consimilia aggenerat excrementa, quæ ad musculos, & neruos demandata torturam oris, vel conuulsionem progignunt, quamuis oris torturam à conuulsione pronatam, *Salius in adnot Altim.cap.15.* spasmum cypicum appellitet, à paralysi verò oris torturam; *Platerus* tamen contrarium statuit(vt videre est apud *Senner.lib 2.par.1.cap.8.*) quicquid tamen sit, non est dubium oris torturam tum à conuulsione posse pronasci, tum à paralysi, vt benè adnotat *Zacutus lib.7.cap.10.* de oris tortura, quod *Gal.4.de loc.2.* diffusè explanat.vt *3.de loc.10 & lib.de caus.morb.7.* dicitque manifestè oris torturam, vel ex paralysi,vel conuulsione musculorum faciei generari, subditque quod eadem cum sit ex paralysi, pars sana trahit ad se ægram, in conuulsione autem pars ægra trahit ad se sanam, cuius euentus caussa traditur ab eodem *Gal.* affirmante musculos habere se tanquàm equos, neruos autem tanquam habenas,animalem verò facultatem tanquàm aurigam, quæ equos mouet, & impellit, partes autem in naturali situ, & figura à musculis conseruantur, sic facies in figura recta à musculis conseruatur vtrinque contrahentibus quicquid tamen sit,crediderim in nostro languente hanc oris torturam, è neruorum,musculorumque resolutione pendere,à cerebri fluxione ortam, eaque materierum frigidarum, vt videre est ex continua expuitione,à capitis frigida humidaque dyscrasia progenitarum, quæ sanè materiæ morbum in via repangunt,cum neruos,seù musculos obstruant,prohibeantque ne recipiant

nedum

nedum facultatem naturalem, sed vsum ipsius facultatis, vt decet: ni cum doctis. *Iouberto* asserere velimus in suo de paralysi tractatu, paralysis ceù caussam neruorum esse mollificatam substantiam, vt etiam voluit *Erasistratus apud Cælium Aurel.* sunt enim nerui quasi loca in habenis, itaque vbi propter mollitiem proprium robur amittunt, motui sunt inepti molliores autem fieri statuit ex humida dyscrasia, siue cum affluxu substantiæ pituitosę. *Rondeletius* tamen aliam præter istam annumerauit caussam, neruorum nempè densitatem, & obstructionem, quod mihi magis arridet, propter enim horum neruorum obstructionem spiritus animales sensum, & motum præstantes per prædictos neruos permeare nequeuntes, eosque tertiæ coniugationis, vt *Gal.* autumauit *lib.4. de anat. administ.* vniuersa illa pars suis functionibus destituta est, & nerui dissoluti, & laxati, quo factum est, vt nerui partis dextræ partes sinistras traherent, & sic sinistrum labium à parte dextra attractum est, & oculi sinistri angulus magnus distractus à dextra parte sit, vt continuò vel inuite lacrymetur, vt probat optimè *Amatus Lusitanus in suis centur. centur.4. curat. 87.* quę omnia in nobili nostro languente non conuulsionem attestantur, sed paralysim potius, sensus enim in parte affecta obtusus est, & palpebra oculi inferior ea parte decidit, non eo quod eamet ipsa pars oblæsa existat, vt dixi, quia scil. non pendet ex conuulsione, non enim pars dolet, sed torpet, non est corrugata, non denique tremit, vt accidit Pythioni, qui habitabat iuxtà telluris templum, is enim habuit tremorem in manibus, & septimo die os distortum est ob conuulsiones, vt putat *Valles. in com.* quicquid tamen sit antequàm huiusmodi morbus alium accersat, quàm primum curatio est ineunda, cum non simus in casu desperato, æger sit iuuenis, & affectio alteri parti haud communicet; proptereàque aiebat *Hipp. in prognost. Distorsiones in facie, quę nulli alteri corporis parti communicant, sanantur partim sua spontè, partim necessitate coacta, quæ verò alteri corporis parti communicant in syderationem transeunt*; quæ sanè prognosis cum verissima existat, vt continua mihi monstrauit experientia, orisque tortura nulli corporis parti communicet, de salute potiùs sperandum, quàm aliter: proindèque ad eam depellendam dicebat doctiss. *Celsus lib.4.* sanguinem mittere optimum est, si finitum eo malum non est ducere aluum, si ne sic quidem discussum est albo veratro vomitum mouere: cœterum cum *Septalio*, & alijs antequàm materia in musculis vel neruis figatur ad purgans aliquod medicamentum deuenirem, quale posset pillulis de agar. cochijs vnaq. aggregat. institui, morbus enim nunc temporis videtur vrgere, cum immineat vel apoplexia, vel maior paralysis, atque etiam turgere, cum ad partem præcipuam cerebrum nempè materia raptum habeat: Et quoniam scio non per vnicam purgationem soluendum huiusmodi esse morbum, propt. assumptis debitis serapijs, vt de beton. de s. botrag. & melle ros. simpl. cum decocto communi additis, saluia, mentha, & similibus, possent vel eædem pillulæ præscribi, vel quid simile, eoque potissimum cum non vniuersalis cacochymia, sed particularis supponatur, capite namque tantummodo laborat, ob idque non arguendum, quod dixi cum non præmiserim vniuersalem euacuationem, sed protinùs ad caput deplendum accesserim, nam vt aiebat *Mercatus contingit lab orantes magis lædi, dum vna signatim particula affecta est ex vniuersali euacuatione, quàm iuuari, commotis nimirum totius corporis inculpatis humoribus, ac ob id in particulari affectum confluentibus*, quomodocunque tamen sit, dum hæc præstantur, summè proficuum erit sanguinem mittere, cum hepate serui diori doneetur, hoc tamen aduertendo ne nimium hauriamus, vt aiebat *Aretaus*,

cum

cum simus in affectu frigido, cui *Gal.* denegauit phlebotomiam, poterit ergò ad duas, vel tres vncias mitti ex media vena dextri bracchij, quamuis non ignorem apud *saxoniam* legi *par.* 1 *curat.* 10. mulieris quandam historiam cui cum secta fuisset vena, ad vncias sex haudquaquam conualere videbatur, cum autem ad libras sanabatur; sic etiam duos alios nouisse asseuerat quibus sanguine in multa quantitate misso,& pluribus vicibus,sanitati sunt restituti. Posset quoque ex hemorrhoidibus euocari,quod pariter probat præfatus auctor in vniuersali scil.resolutione excepto capite; poterit ergo mitti sanguis ex brachio, eoque magis cum simus in spuria paralysi non à sincera pituita, sed pituitoso sanguine, quod si neutrum arrideat, poterunt dorso affigi cucurbitulæ, vnàque scarificari, vt venæ sectionis vicem gerant: quibus omnibus ita præstitis ad materiam exsiccandam animus est reuoluendus, pro quo explendo scopo, non inutilis erit salsæ parillę, chinæque vsus, vnà cum ligno de visco quercino, sandalis citrinis,& iuæ portione, quę omnia in aqua beton.ebullire poterunt,addendo in fine cichor.lupul.beton.& similia; sunt præt.qui ad exsiccandum caput non mediocriter probant errhina, vel apophlegmatismata, cæterum ab his desistendum censeo, cum in partem affectam materiam adducant: quamobrem illorum loco pro eadem materia, & exsiccanda, & euacuanda, ac insimul reuellenda, non alienum putarim occipitio inustionem adhibere,nam vt *Mercatus* asseuerat suo actuali calore exsiccat, reuellit, & in halitum digerit; Intereà materiæ in partem influxæ haudquaquam immemores esse debemus, sed discussorijs vti præsidijs vnàque resoluentibus, ideòque parti quæ sana videtur, adaptari poterunt inunctiones ex ol.vulp.cost.de euphor.cum puluere castor. & ol. amygd. dulc.sunt præt. qui ablutiones ex aqua salsa pariter commendant, sic quoque nonulli aquarum thermalium stillicidium, quæ adhiberi quoque poterunt, alijs non sat existentibus; non enim sanantem variare oportet modum aiebat *Hipp.* medicamentum videlicet,non autem indicationem; non enim in hoc casu Arabum consilium admitto censentium post mensem, si irrita extiterint remedia frustrà alia adhiberi, cum desperata sit salus, multos enim, quinimo innumeros vidimus ab hac desperatione euasisse; ideòque à nonullis post illius partis mollitiem fasciæ,vt os dirigatur comprobantur,scio & multa alia probari,quæ breuitati consulens,lubenter omitto. Faxit autem Deus, vt omnia suum optatum consequantur.

PRO ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO *Domino Domino Gaspare Gaioso Episcopo Aquilano, affectu hypocondriaco presso.*

CONSVLTATIO XVIII.

COnsideratissime quidem magnus litterarum Pater *August.* terrarum orbis instabilitatem contemplans, hominum recolens imaginem esse velut vmbram dixit mortales nempè mox vbi ortum vendicant, ægritudinibus occasum sibi ipsis parare; eundè *Democritus* id perpendens *in epist.* dixit hominem totum à natiuitate morbum esse,vt haudquaquam mirandum sit Illustriss. de quo agimus Antistitem annum agentem sexagesimus sextum melancholica

dona-

donatum crasi gracili habitu, ventriculi languore pressum, Iecinore feruidiori referum, varijs ab ineunte ætate symptomatis lacessitum extitisse, multis namque ab hinc annis dum Hesperiæ plagas, easque non modico algore donatas incoleret, algidiori aere suffusus in cerebri frigidiorem dyscrasiam adactus, superficialem capitis partem cutem nempè torpido aliquo sensu premi presensit, dum enim manu cutem contrectabat, sensu diminutam palpabat, ab ambiente frigore, calore vt reor primigenio diminuto, vnaq; intemperato capite, vt propt. meritò dixerit *Auenr. 6, cap. 14.* cerebrum magis alterati à frigido, quam calido, vndè sic intemperato, vnaque pituituam producente, cerebro nil miror si eadem ad cutem partim transmissa torporem ingenerarit, partim verò ad partes inferiores fluxionem produxerit; frigus enim immodicum dixerat, *Fernel.* quasi comprimens, & coarctans illa exprimit, depellitque expressit autem in gutturis partes pituitam, vt putà quod illud vt aiebat, *Senex* non est contectum, eamque cum sanguine mixtam, quæ vlteriorem thoracis partem petens, neotericum tunc temporis accersiuit pathema vt putà palpitationem, eamque occasione nimij potus forsan enatam, cum enim venatum proficisceretur, siti cruciatus, vinum licet limphatum è pleno guttulo penitus hausit, quod vel cruditatum congeriem efficiendo (vt de epicharmi filio narrauit senex) vel flatum vbertatem progignendo palpitationem produxere; flatus enim erroneo modo peruadentes dum in arteriam venalem corriuant, ac cordis ostiola appellunt cor incomposito, ac deprauato pariter palpitationis motu potuere mouere, qui tamen flatus quoniam non materierum nimiam agnoscebant molem, exiguâue mineram vix orientem intuiti, probarunt occasum, neque ob id viscerum intemperies non dereliquerunt, cædem enim dum in dies materiam progignebant, in dies noua poterant accersire symptomata, sicque nil miror si dum Italicas oras attigerit vertiginoso pathemate bis, aut ter ingemuerit, inordinata, ac inconcinna animalium spiritum celebrata motione, à flatibus quoque pronata, tùm à ventriculo, tùm ab hypocondriis feruidioribus emergentibus, qui cum confusè satis oberrent, spiritus pariter à consuetis muniis exorbitare cogunt, vndè agitantis eosdem atque ad cerebri parietes allidentes vt aiebat *Senner.* conuoluit in girum, circumrotat, sicque vertiginem parit: Nec ignoro binam à Phylosophorum Principe flatum originem annumerari, humidum nempè, imbecillumque calorem, istamen non rarò cum *Iacotio, Dureto*, & aliis feruidius agnoscit initum, dummodo calor ille exæstuans in crassarum materierum molem suam vim exercere cernatur, idque bifariam fieri posse à Saxonia accipimus, quià ceù vberrima materię congeries existat, vel quoniam loci densitas dissipationem inhibeat, quæ duo Illustriss. languens agnoscit materiæ nempè crasiæ pituiteæ, & adustæ portionem à Iecinoris feruore, ventriculique frigiditate ingenitâ; ventriculus enim aiente *Democrito* naturalia inter viscera medius chorum ducit, & accumbit conctionem sanè gubernans, e qua vel leuiter deuius omnia mala consurgere queunt, vt non immeritò cum *Sene* dicere possimus. *Ventris torpor omnium confusio*: vitium enim quod in prima coctione committitur, vix amplius resarciri potest, vt propt. haud mirandum si obstructiones emerserint ob cruditatum proluuiem, &, potissimum venis myseraicis, pancræis, lyene, Iecore, ac partibus hypocondriacis, vt videre est ex aspectabili earundem meteorismo, vnà cum aliquali tensione, in quibus haud denegandus calor, non tamen ille quem *Diocles* ponit phlegmonosum, sed vt *Pereda, Sennert.*

ner. Mercatus, & alij phlogoseum: à quo malorum omnium ylias pendere posse autumarem, & primum ventriculi flatus, aciditas, apepsia: apepsia sanè ob caloris innati vtique inopiam, à feruidiori quam par est Iecinoris caumate præstitam; pepsis namque primigenij, ac influentis caloris ope perficitur, non autem aduentitij perficitur adminiculo: indèque nil mirum si aciditas non raró emergat, cum ea ex *Gal. 4. de simpl.* à calore mutante quidem, non prorsus vincente nascatur; sic quoque flatus emergunt ex eiusdem caloris imbecillitate, vnà cum cruditatum præsentia; quæ quoque caussæ pulsationis circa venas vmbilicales origines esse queunt, ni cum *Aretæo* dicere velimus pulsum illum fieri circà venam cauam, sed satiùs dixissem circà arteriam aortam, cum sola arteria pulsum præseferat, vt propt. *Arabes* eandem neruum pulsatilem vocitarint, *Auic.* audacem venam, *Hippoc.* eandem pulsantem, vel denique micantem: quæ quidem pulsatio sicuti deprauatur à flatuum vbertate, intensiori arteriæ calore, obstructionum augmento, vel materierum exustione, sic ab ijsdem caussis sed imbecillioribus factis remittitur; vbi enim sanguinis feruor existit, ibi & pulsatio vt dixerat *Arist.* vndè doctiss. *Turisanus* dixerat tenuissimos spiritus impetum facere, & subdidit cordis venas non palpitare, quia vitali spiritu viduatæ cernuntur, nec feruidissimum sanguinem vendicant, vt ob id haudquaquam stupori hæream altissimo, dum omnibus his in Illustriss. nostro languente concurrentibus pulsatio circa hyppocondria nunc emicet, nunc delitescat, pro caussarum incremento, vel decremento, & potissimum flatuum, qui quoque dum ad cordis ostiola perceptant, cordis palpitationem concelebrant, ab ijs non raró lacessita spaciositas hypocondriaca *Cælii Aureliani* fragorem illum edit, borborigmum ab alijs nuncupatum, quamuis id ad ichorositatum portionem illic stagnantium, redigere valeamus, & potissimum circà lyenis capedinem, vel eam cauitatem quæ sub diaphragmate ex ventriculi, omenti, coli, & viscerum connexu ortam, exitumue haud habentem, sed ita conclusam vt aquam, & flatus valeat continere, vt benè meminit *Fabric. ab Aqua pend.* sicut cum *Marcello Donato* dicere pariter quibimus flatuum, ac ychorositatum sedem locum esse inter binas tunicas, seù membranas mesenterij, quæ quidem ychorositatem & flatuum vbertas manibus ibidem contrectanti occursans inspicitur: est enim melancholicis satis familiare ichoribus affluere, vt non immeritò *Senex* in epid. sic nobis scriptum reliquerit: *De sanguine ychoroso qui in pauidis apparet*, quod *Valles* probare contendens sic ait; *Atqui per morbos melancholicos multum seri giguitur, non ob speciem succi per se, sed per debilitatem caloris naturalis, & facultatis debilitatem, ac incoctionem, velut etiam gignitur multa pituita*: vt in Illustriss. ægrotante videre est, qui in dies pituitæ eiusque tenacis, ac viscidæ vbertatem per secessum euacuat, è qua tanquam omnium morborum matre macies illuxit, eadem fædato vndique sanguine, ni velimus cum *Pereda* asserere huiusmodi maciem ex primæ coctionis vitio nasci, quod cum iuxtà *Galeni* dogma inemendabile existat, illudque in secunda coctione correctionem non admittat, corpus malè nutritum gracilescit, corpusque stypticum redditur, stypticitas enim in nostro casu innascitur, vel excremento ad fluendum inhabili reddito ob vstionem, aut viscidiratem, vel ob nimium partium calorem excrementorum humidum absorbentem; ni velimus asserere huiusmodi stypticitatem ob nimias pendere cruditates ad intestinorum inuolucra propulsatas, quæ tum crassitie inuehendo, tum bilis acrimoniam fæcum expulsioni destinatam retundant: nonnunquàm autem à terreo, crasso, adustoque humore

pro-

Pronascitur, qui nedum stypticitatis est causa dum ad intestina collabitur, sed ad supernas partes commeatum habens, metus, & mæstitiæ pręter rationem est in caussa, vt tetri vapores ab hypocondrijs ad cerebrum elati cordis ac cerebri spiritus inficiant, siquidem ex *Gal.3. de loc.aff. cap.4. quemadmodum externa tenebra pauorem inducunt, sic atra bilis color mentis sedem reddens tenebris timorem efficit*; quod etiam de mæstitia repetijt 2. *de sympt.causs.* tetri namque isti vapores, seù spiritus tripliciter id efficere queunt, vel ob occultam scil. qualitatem, quæ melancholicis vaporibus insit, qua terreatur anima, & spiritus adeò, vt fugax euadat sicut *Auenr. in suo colliget* ratus fuit, sicque *Iacot. in comm. Coac.* aiebat in melancholia contrahi quandam qualitatem ineffabilem, quæ miris spectris animum perturbat, siue ea cerebri substantiæ imbibatur, siue in venas repat, quæ velut tenebris effusis animam terreat: præt. ijdem vapores id quod diximus efficere queunt ob formalem illorum temperiem frigidam, & siccam, qua calidæ illi temperiei ac humidæ spirituum aduersantur, aut denique quoniam vapores læsionem spiritibus communicant ob eorum turbulentiam, opacitatem, densitatem, atque crassitiem, vnde spiritibus commixti eos obscuros, ac siluestres pariter reddunt, vt insinuauit Auic. cum enim spiritus sit subiectum quoddam, & animæ instrumentum atque etiam luminosæ substantiæ benè dispositum, nedum per se tenebras spirituales pauescit, verùm etiam, & corporeas timet, fugitque, cumque melancholicus humor terrea, vnaque etiam tenebrosa substantia præpolleat, fumi ab ipso exhalantes, spiritus animales, ac vitales turpando, ac cerebri simul crasim, eius substantiam subindè inficiunt, obscurantque, & sic terrores, ac mærores accedunt; hocque crediderim voluisse *Hippoc lib. de morb sacr. text. 16.* quando dixit: *Si verò timores, ac terrores accedunt à cerebri transmutatione id contingit*, cerebrum enim ex eodem *Hippoc.* plurimam in homine vim habet: atque hæ sunt caussæ mæroris, ac metus præter rationem, quę quidem symptomata quamuis in nostro Illustris. ægrotante adsint, non sunt ità valida, vt absque vlla ratione vel męreat, vel mætuat, signum caussę mitioris, vndè potiùs affectus hypocondriacus esset tale pathema nuncupandus, quàm melancholia hypocondriaca, cæterum cum non rarò remissis angoribus nullo presso symptomate, languens, & mæreat, & mætuat ob id melancholiæ nomen tribuendum; quicquid tamen sit quoniam morbus pertinax est, curatuque difficilis ob inæqualem intemperiem, sit inueteratus, & simus in sene, qui ob caloris languorem morbos non ità valeat exsuperare, propt. medelæ incumbendum, ne posthabito morbo vlteriùs sese insinuet, eòque magis cum huius sortis ægri continuò opem conclament, vt *Phylosophus* prędicauit 7. *Ethic.* vndè & continuò eosdem aiebat continua esse medicatione tractandos, quod tamen diuinum *Platonem in Timæo* respuisse legimus, dum melàncholicos affectus non grauibus medicaminibus tangendos esse autumat, sed musicis choręisque curandos; quod noscens doctiss. *Leonardus Iacchinus*, cantus, aiebat, choreas, sonitusque ad lętitiam atque tripudia excitantes huiusmodi morbos posse funerare, magnam enim in vtramque obtinet partem musicalis iste concentus, ità vt in mæstitiam Doricum adigere posse voluerit, Ionicum verò lętitiam, vnàque lasciuiam, quicquid tamen sit, ne in rebus inutilibus moram traham, cum dixerim hunc morbum ab vna humorum colluuie in hypocondriorum spaciositate stagnante, ibique obstructiones gignente fieri, patet primam omnium indicationem prosurgere eandem humorum proluuiem deturbare, obstructiones reserare, debellare viscerum intemperieş, & tandem vapores indè nascentes

ceù flatus dissoluere. quibus omnibus, vt satisfaciamus lenita prius aluo eccoprotico aliquo pharmaco, vt elect. lenit. manna, & similibus, ad præparantia apozemata deuenirem, (quamuis Sennert. putarit huiusmodi humores coctionem non exposcere, cum omnimodam putrilaginem explodant, ea tamen præparatione indigere putarim, qua crassi, & viscidi attenuantur) qualia esse possent ex succo borrag. lupul. de pomis cum decocto melissæ, borrag fumariæ, buglossi, endiu. cichor. & similium: Neque oxymel refugiendum aceto compositum eò, quia Auic. dixerit timorem esse propter malitiam, & *Hipp.* autumarit acredines siue aciditates ex aceto atrabilarijs haud competere, non inquàm improbandum siquidem *Hipp.* intelligendus est de simplici aceto, non autem de eodem alijs commixto. Quibus exhibitis ad purgans deueniendum, lene tamen vt dixi, ne validiori vtique iniuncto ventriculi parenchyma, quod in hypocondriacis imbecillimum est in maiorem imbecillitatem feratur, quod Crato in suis consilijs animaduertens nunquam se dixit maioribus præsidiis vsum fuisse vt ℞. syr. de polipod. ros. sol. an. vnc. 1. S. diacatthol. drac. vij. agar. trochis. inf. & expres in aq. borrag. drac. iv. dec. cord. cum sena q. s. mis. f. pot. sumendus de manè. intereà excogitandum est an aliqua in hoc casu possit phlebotomia conuenire cum ea à præfato *Iacchino* probetur, vt via detur medicamento, sicuti Gal. hoc respiciens multoties sanguinis missionem admisit, Ab aliis eadem probatur vt viscera euentilentur. A *Gal.* ad euacuandum sanguinem melancholicum; de loco tamen dubium inter auctores innascitur: *Claudinus* è vena saphena sanguinem hauriendum esse conclamat, ea ipsa nempè ratione, qua varices melancholiam soluere explanauit *Hipp. Capiuacc.* nunquàm secandam cubiti venam autumat, cum sanguis infrà Iecoris regionem subsistat, vapores mittens, vndè deorsum trahendus, non sursum, proindèque ipse quoque aut venas crurum, aut hemorrhoidum secandas eligit. *Sennert.* etiam hemorroidales venas aperit, easque internas, eæ namque vt *Riolanus* autumat ramum venæ portæ in qua morbi caussa inhæret respiciunt, vndè illas hyrudinibus aperit, quamuis externas quoque recludat, cum inter has synthimoriam existere propalarit: Nec ignoro omnibus his præstitis adhuc morbi seminaria latitare posse, proindè doctissimus *Altomar.* pro illo extirpando huiusmodi probat serapium, quod vt nimis calidum ab Illustriss. ægrotante seiungerem, cum sæpiùs periculum fecerit se ab vsu, vel modicè calidorum malè vtique habuisse. vndè potius syruppum illum Amati Lusitani probarem vt ℞. fol. borrag. absynth. capill. Ven. pimpinellæ an. m. 1. polipodij quer. rec. rad. buglossi an. vnc. 1. liquir. recentis, & rasæ, senæ an. vnc. 1 passul. de corintho vnc. 3 pomorum apianorum nu x. sem. anisi, fœnic. an. drac. 2. f. decoct in lib. v. i. aq. quousque maneant lib. 4. facta colatura, & expressione adde syr. de pomis de fumar. de borrag. an. vnc. 2. mis. f. apozema sumendum ad scrup 8. in aurora, quod medicamen tantoperè probat auctor, vt huius vsu hypocondriacum personasse glorietur: Cæterum quod mihi fortè magis arridet Ius galli antiqui esse poterit, herbis nonullis alteratum, cum aliqua chinæ, ac sandal. citrin. portione, vt scil. humorum reliquiæ dissipentur, tollatur destillatio, obstructiones reserentur, & tandem viscera roborationem asciscant, quamuis non ignorem à doctissim. *Quercet. in pharmac. dogmat. restit. ca.* 8. optimè celebrari huiusmodi ius, sicut pariter scio ab eodem decoctionem seri lactis adhiberi cum succo limonum, & pomorum redolentium, quod sanè serum ità paratum vsque ad Cœlum tollere videtur, mihique summè arridet, cum sit suauissimum, & in minori dosi dari pariter

queat:

queat: quod si sic destillatum non arridebit, vti eo poterimus epythimi, ac polipodij portione adhibita, cum cinnamomi portiuncula: neque id senium, aut ventriculi imbecillitas renuit, cum dicente *Aetio* sero vti maximè oportet in his, qui imbecilli sunt stomacho, sed & puero, & seni intrepidè datur, neque melle, neque sale condientes vt volebat *Gal.* quod pariter *Hippocr.* ministrasse *in epid.* intuemur aientem; *Si hypocondrium distentum fuerit comprimere manu, & lauare aqua recedentis à lacte octo cotylas bibendas dare*: quo sanè sero, & aquæ dulcis lauacro multos Possidonium persanasse dixisse accipimus sic *Claudinus* maximè thermales aquas probauit, & potissimum Villenses, Porrectanas, Bononienses & Patauinas Beatæ Virginis, quemadmodum alios adduxisse legimus Tettutianas, & alias, in quibus non immoror, cum eas vel respuat æger, vel difficulter admittat, quod si fortè contingat eas in vsum ducendas potius Tettucianas per quattuor dies admitterem, vt *Tinellus* in suis iniungit consiliis, ante & post aliarum Thermalium aquarum ingestionem, vt illis confirmatus ventriculus non laxetur ab aliis, quamuis non absonum existimem easdem per plures dies potare, sciens vndique apud fontes tamariscum adnasci, quæ vt auctor est Dioscor. paludes amat, ac stagnantes id genus aquas de salis natura: nec obstat ob id has thermas esse derelinquendas vt *Claudinus* volebat quoniam, vt asseuerat *Baccius* ijsdem modicè siccandi vis subest, præsertim ijs quę Balneoli nomenclaturam sortiuntur, hæ namque vt idem *Baccius* asseuerat, per aluum ebibitæ deijciunt, eandemque in posterum lubricam reddunt, quod in Illustrissimo viro summoperè expetendum, nec interim pro Iecoris feruore frænando *Claudini* consilium non arridet, quo embrocam facit ex caprę lacte emuncto modici vini subdulcis sodalitio: quod tamen maximè ab auctoribus probatur crocus est Martis, seù Kalibis vsus, quem nõnulli melancholiæ hypocondriacæ alexipharmacum vocitarunt, & *Paulus Aegineta*, *Plinius*, *Aetius*, *Oribasius* lyenosis præstantissimum esse remedium declararunt, tale enim remedium non ideò prodesse credendum, quod pond re obstructos reseret artus, vt perhibent nonulli, sed quia vt *Mercatus* insinuat abstergendi, aperiendi, & purgandi vi polleat, sulphuris, mercurii aliorumque metallorum potentia: & quamuis Illustriss. æger stillatitium Kalibis assumpserit cum aliquo leuamine, non ob id eius in posterum est inhibendus vsus, cum pertinacia Iuuantis malum corporis vincat: Interim animus est reuoluendus ad flatus dissipandos, vnàque viscera roboranda, pro quibus explendis scopis *Mercurialis* suum electuarium tollit, alii confectionem Hyacinthinam, mitridathum, theriacam, quæ tamen omnia missa facio, vt putà nimio calore pollentia, è quorum itidem vsu semper in deterius corruere est animaduersus, proindèque cum Sennerto absynthium potiùs comprobarem, quod nedum, vt ait, ventriculo familiare videtur, sed flatuum prouentum ibidem pariter inhibet, nec aluum siccari annuit, vrinas enim cit, & pepsi adminiculares exhibet manus: quo circà *Aetius* innuit huius solius vsus multos ab hoc pathemate seiunxisse: sic quoque conf. florum citri, conf. ros. combinata cum puluere lapidis bezaart. margaritis, cornu cer. summoperè multis arridet, vt non immeritò doctiss. *Zacutus* multos enarret ab huiusmodi morbo fuisse immunes, qui lapidem bezaarticum assumpserit; quinimò idemmet auro potabili summa tradit encomia, vndè Baronis historiam enarrat eius vsu curatum, illud tamen *Musa in exam. metallorum* non admodum placet, sic quoque idem *Zacutus* his haud contentus eboris vsum quoque commendat in sua prax. admir. cum enim subdit in flaccido, resolutoque ventriculo robo-

rando, eximendis obstructionibus, discutiendis tertiis flatibus, & mala aure retundenda optimum esse. *Ioannes Paschalius cap. proprio* ait miram facultatem inesse pro debellanda melancholia hypocondriaca accipitris carni cum succo maioranæ, & pullo noctuæ, est etiam (ait) experta in curatione eius aqua per destillationem ex muribus boni pastus cum gallina, & aquis cordialibus facta, forsan est in muribus ius (subdit) & natura curandi hunc morbum quemadmodum in accipitre qui muribus nutritur; verum in hoc à *Sennerto* reijcitur, atque hæc omnia falsa existere, quia hypocondriaca hæc affectio ratione cognoscitur, vt proindè remedia ratione inuenta, & non experientia admittat: solent præt. in hoc morbo fotus probari, inunctiones, cerata, & similia, quæ ne longior quam par est esse videar; sileo: id tamen in hisce morbis animaduertens, vt à multa remediorum copia caueamus, nam sæpè optimi Medici est nullum adhibere remedium, vt benè innuerant Ætius, & Hip. hæc ergò habui quæ dicerem pro debellando hoc morbo.

PRO DOMINO CAROLO DONATO LAVENSI *Affectu hypocondriaco laborante.*

CONSVLTATIO XIX.

P*Erniciosa admodum sentina est abdomen insaturabile, omnium tùm corporis, tum animi vitiorum fons, atque origo decantauit Fernel. p. de morb. causs. cap.* 14. *vnde enim gulas* superiùs dixerat *omnium est propè morborum mater*, indeque mirum haud est Dominum Carolum Donatum nostrum moribus elegantem, omniq; animi dote ornatissimum multis ab hinc mensibus vt amicis arrideret cibo nimis indulgentem in affectum hypocondriacum impegisse, ea potissimum caussa qua post cænam motum inijt obstructionibus efficiendis satis idoneũ, vt doctiss. insinuauit *Petronius*, & vt in Epycharmi filio videre est in epid. cibinamque potusque vitia gignendis morbis pabulum, materiamque suggerunt, vt præfatus insinuauit *Fernel.* eò quià cum pepsim, seù coctionem omnem respuant, motu hiante pyloro perfecta non agitur chylosis, vndè cruditates emergunt, quę in intestinum duodenum, & cæcum irruentes inibique coctionis perfectionem haud nactæ, crassitiem ac lentorem inuehentes ductus obcæcant, vt putà mesenterium, mesocolum, & venas mesaraicas, ac viscerum quoque parenchymata obstruunt, è quarum partium obstructione omnia prosurgunt mala, & potissimum affectus hypocondriaci, vt videre est in nostro casu, cum præsens languens & eructationibus ingemiscat, & vertiginibus exerceatur, & caloris sensu circà hypocondria lancinetur, & borborigmo prematur, & earundem partium tentione torqueatur, vnaq; aspectabili meteorismo, quæ omnia affectum indicant hypocondriacum non autem melancholiam hypocondriacam; cum in nostro languente absint duo illa patognomonica indicia metus nempè, & mestitia præter rationem: neq; irridendus sum dum affectum hypocondriacum à melancholia hypocõdriaca seiungo, cum doctiss. *Senner.* id pluribus edocuerit, latius enim patet affectus hypocondriacus myrachiali, non solum enim melancholia sed & alia plurima mala ex vitiosa materia in hisce locis congesta oriri valet, neque semper affectui hypocondriaco melancholia fit consocialis sed tunc dunta-

xat, cum cerebro vapores ex materia illa exhalantes communicantur, ac spiritus animales inquinant; proxima enim (subdit doctiss. *Senner.*) melancholię materia est vapor melancholicus cerebro communicatus, spiritusque animales inquinans, & mærorem, ac tristitiam generans; qua ratione nonulli crediderunt, inter quos fuit *Massar.* in melancholia nedum lædi imaginationem, sed quandoque etiam ratiocinationem, cum *Auic.* dixerit melancholiam esse mutationem existimationum, & cogitationum, à cursu naturali, vndè *Gal.* dixerat 3. *de loc. aff.* 7. multos in hoc morbo sibi mortem intulisse; ex hisque concludit melancholiam esse delirium, quod tamen intelligendum est de melancholia in summo, & intensiori, cum *Gal.* alias decantarit maniā esse melancholiæ intensionem ad maiorem feritatem; quamobrem cum hæc absint symptomata ad affectum hyppocondriacum redigenda est potissima morbi idea, cum hypocondria potissimum oblędat, nedum dextrum, & sinistrum, hepar nempè, & lyenem, sed & mesenterium, venas mesaraicas, pancræas, & alia membra, eaque morbo lacessat in via, cum ibidem vt dixi obstructiones ingeminet, medio lentorum, crassorumue humorum affluxu, qui nedum pituitei existunt, sed pariter adusti à viscerum antipraxia progeniti, non enim supponitur æqualis dyscrasia, sed inęqualis, cum hepati feruida, ventriculo, & capiti frigida cum humiditate coniuncta sit tribuenda: omnia namque ab vniuoco progigni credidit *Arist. in metaph.* cui sanè lentę, crassæque humiditati studens chymicorum schola dicere non est verita huiusmodi morbum ab hypocondriorum Tartaro innasci, quod sanè Tartarum quid sibi velit non omnes vnanimiter illud explicant; diuersissimis enim rebus illud tribuunt; quidam sanè tophis illis qui dentibus adhærent, humoribus excremétitijs in intestinis, excrementis quæ è pulmonibus naribus eijciuntur, quomodo ait pręfatus *Senner.* cum per tartarum nihil aliud quam excrementum quod in qualibet coctione secernitur intelligere videātur rem satis non explicant, cautius tamen eos loqui autumat auctor qui tartarum generari statuunt, cum in humorem mucilaginosum, & viscosum spiritus salis incidit, eumque coagulat, tartarumque appellant mucillaginosum excrementum cibi & potus, à spiritu salis coagulatum quicquid tamen sit, illud sit satis huiusmodi morbum à fæculentis, pituiteis, adustis, ac crassis humoribus initia ducere, quos si tartarum hypocondriorum indigitare velimus, parum referre videtur, id vnum esse sufficiens autumando eos esse vtique obstructiones progignentes in mesenterio vt ait *Diocles* vna cum pylori inflammatione, cuius sententiæ fuit quoque *Paulus Ægineta lib.* 3. *de remedica cap.* 14. quod tamen negarim, cum vt aiebat *Gal.* flammeis dispositionibus semper sit febris consectaria: non enim ventriculo calor donandus est, cum frigiditate potiùs referatur, vt satis patet ex saluæ copia, ructibus acidis, tarda, & difficili denique coctione. Dicendum ergo adesse viscerum antipraxiam, seù inęqualem viscerum intemperiem hæterogeneis humoribus gignendis aptam, Iecur enim iustos, ventriculus verò, ac caput pituitosos humores gignunt; quamuis Sennertus annuat Ventriculum ad mali huius generationem facere, non vt proximam caussam, sed valdè remotam, quatenùs ceù prauum chylum suppeditat, proximam tamen caussam lyænem sanciuit, supponens lyæni sanguificandi munus non esse denegandum sicque crassiorem chyli partem attrahere sanguinemue crassiorem pro alendis in ventre inferiori visceribus, ventriculo, intestinis, mesenterio, omento elaborare, qui si malè dispositus sit, haud secus quam hepar (ait) aut ventricu-

lus

lus vitiosum sanguinem gignit, & potissimum in hoc affectu; sicque concludit in hypocondriaco pathemate semper lyenem ingemiscere, cui ventriculus malum suppeditat chylum; cuius quoque sententiæ fuit *Auern.* 13. *collig.* 4. *Theophilus* tamen apud *Auic.* statuit esse intestina, vnaque iecur, Alij verò dixere venas myseraicas: quæ sanè materię quæcunque sint, & à quocunque viscere dimanent, sat sit dicere easdem in venas descendendo, & viscerum parenchymata, obstructiones suo lentore cęlebrare, & calorem constrictione vtique intendere, vt doctiss. *Theophras* conclamauit, ni id ad calidos humores redigere velimus cum Senner. eo loco conclusos, qui sanè calor non rarò magis se se exercere solet, vbi vel cibi, vel potus caliditate, vel alia caussa humores agitati fuerint, anxietas autē qua nō rarò fatiscit, nedum ob vapores ad cor contingit, sed & dum ventriculus afficitur, vel crudo humore in eodem moram trahente, & in flatum, atque vaporem resoluto, qui ad caput ascendens ac inordinatè se mouens vertiginem progignit, sicut æsophagum petens eructationem progerminat; qui sanè flatus nedum ab imbecilli calore pronascitur, sed validiori quoque progignitur, vt autumarunt *Duretus*, *Iacotius*, & alii, dummodo ille in materiam crassam agat; qui quidem per abdomen excurrens borborigmum illumque perennem generat, & potissimùm dum in illa cauitate hæret in sinistro bracchio sub diaphragmate ex ventriculi, omenti, coli, & viscerum connexu orta, & exitum non habens, quia cauitas isthæc conclusa illucet, ità vt aquam, & flatum continere queat: qua sanè symptomatum varietate difficilis redditur affectus, tum ipsius humoris ratione, tum ob viscerum *Δυσκρασιαν*, sicque non immeritò dixit *Gal.* chronicos, ac difficiles morbos, vel ab errore patrari, vel à crassis lentisque humoribus, vel tandem à viscerum dyscrasijs, sicut in nostro casu contingere est, in quo præter intemperies, & humorum lentorem nullus seruatur ordo in cibis, vel aliis; eòque magis redditur deterior, quia ceù vertiginibus factus est consocialis ob inordinatum scil. & circularem spirituum animalium motum, quem alii vndosum appellant, tale enim quid ait doctiss *Sennert.* in spiritibus in cerebro fit, quale in vorticibus aquarum, illumque deprauatum motum in nostro languente oriri statuerem ex vaporibus ad caput ascendentibus, iisq; à ventriculo, & hypocondriis eleuatis, inordinatam siquidem illam motionem flatuosi spiritus per venas, & Arterias in cerebrum effusi generat vbertas, quæ quidem vertigines nunc frequentiores illucent, noua itidem congesta à ventriculo materia eoque, vt dixi intemperato; eæque mihi videntur maius negotium facessere; quicquid tamen sit, antequàm morbus vlterius serpat, & in melancholiam degeneret, vel aliud pathema, remedia inuestiganda sunt, quæ neque multa, neque pauca esse debēt, in multis enim aiebat *Sanctus Isidorus* contristatur natura, in paucis autem gaudet: proptereàque fortè *Arist.* est ab aliis reiectus *in fine 7. ethic.* dum continuam curationem instituit; hic enim morbus vt *Aetius* insinuarat, quandoque nullis gaudet remediis; quamobrem cum dixerimus cacochymiam adesse humoris heterogenei nempè crassi, pituitosi, & adusti, proindè ab eorum euacuatione est inchoandum, quæ quamuis pluries fuerit celebrata, non ob id tamen eadem haud repetenda, siquidem viscerum antipraxia vberrimum procreat materierum affluxum, *Galeni* epycrasim indicantem; proptereàque nunc temporis nouam, sed blandam inire euacuationem optimum fore crediderim; à grauioribus enim abstineri debere prohibent vnanimes ferè auctores; quod potissimum præfatus *Senner.* cauendum adnotat; siquidem ex validioribus humores nedum in hypocon-

pocondria à remotioribus partibus trahuntur, ſed ab aliis venis commouentur, qui cum exitum non inueniant; nec euacuationi pareant, hepatis, & venarum obſtructionem augent, aliaque incommoda inuehunt, indèq; plus damni, quàm emolumenti percipitur, quod ſæpius obſeruanti patet: quamuis id doctiſſ. *Martianus in comm Hipp.* redigat ad caloris primigenii imbecillitatem, quam affert purgans medicamentum; proptereaque non tranſcenderem vſum ſyr roſ. ſol. D. Auguſt mell. roſ. ſol. addendo mannæ portionem, vnà cum agar. ſic enim eiicientur etiam ſeroſitates, quæ in hypocondriacis maximè exſuperant; proptereàque aiebat *Senex* affectum hypocondriacum fieri dum Ignis ſuperatur ab aqua, & *in epid.* ſubdiderat: *De ſanguine ychoroſo qui in pauidis apparet*: multa enim ſeroſitate ſcatēt hypocondriaci ob incoctionem vt dixit *Valleſ.* proptereaque fortè dicebatur melancholicos eſſe ſputatores: quicquid tamen ſit, ne in leuibus immoremur, poſt huiuſmodi celebratam euacuationem, ſum valdè dubius an aliqua poſſit conuenire venæ ſectio ad calorem euentilandum, & refrigerandum hepar, quam ſanè in hoc caſu præſtarem potius hyrudinibus venis ſedis affectis, ne fiat per cubiti inciſionem retractio in partes ſupernas: eòque magis, quò in affectibus flatuoſis ſanguinem mittere vt aiebat *Duretus* hominem iugulare eſt; illud vnum adnotando, quod benè animaduertit *Riolanus lib. 2. Antopographyæ cap.* 17. vt ſcil. hyrudines venis interioribus ſedis affigantur, per eas namque craſſum haurimus ſanguinem, ſicut per externas purior eiicitur, & tenuior, qui in hypocondriacis minimè peccat; quas quoque hyrudines lubenter nunc exploderem, cum bis hoc anno eaſdem affixerit, & non ſine leuamine: verum quoniam non ſufficit euacuationi, obſtructiones reſerentur, proindè non abſonum crediderim ad iura alterata deuenire, quę & vi pollerent aperiendi vnàque euacuandi; adhiberem ergo tale vel ſimile medicamen, vt ℞. rad. cichor. cetrach cort. tamariſci, borragin. meliſſæ, endiuiæ, beton. an. p. 1. menthæ virid. abſynth. pont. an. p. ſ. cort. citri rad. cappar. an. vnc. 2 polipod. quærcini, ſenæ el an. vnc. 5. ſem. fænic. anis; an. drac 1. ſ. miſ. bull. in iure galli bimuli, eoque vtatur: Neq; interim fotus diſcutientes, & emollientes ſunt omittendi, quod tamen videtur maximè in hoc caſu conuenire ſerum exiſtit, quod ſanè refrigerat, attenuat, humectat, aperit, & omnem implet indicationem ſi quattuordecim vel pluribus diebus aſſumatur cum ſucco cichor. purificato, fumariæ borrag. & ſimilibus ſolo enim ſeri vſu *Galen.* multos perſanaſſe refert; quemadmodum aquę dulcis balneo; quemadmodum ego thermalium aquarum vſum non exploderem, modò vel Nucerianæ adhibeantur, vel Ficuncellæ apud Sanctum Caſſianum: quod tamen ab omnibus auctoribus probatur medicamen chalybs eſſe videtur, quem doctiſs. *Claudinus* adeò effert, vt proprium eſſe dixerit affectus hypocondriaci alexipharmacum: eius enim vſu cecinit fælicem ſemper obtinuiſſe euentum, vel quia vt cenſet *Senner.* ferrum vnàque chalybs peculiarem cum humoribus melancholicis, & aduſtis habet cognationem; atque id circo eos ſeù attrahit, ſeù iiſdem imbibitur, illisque pariter vnitur, ſicuti & atræ bili, vt & ipſi melancholiæ vitriolatæ naturæ participi, aut certè ei cognatæ ferruginei quid redolenti. Monet tamen *Mercatus* vt in obſtructo lyene, humoribus melancholicis, & craſſioribus redundantibus chalybem craſſiori modò paratum eſſe exhibendum, ne penitiùs in corpus penetret, ſed in primis viis hærens humores illos craſſos imbibat, iterumque faciliùs per aluum deſcendat; ob idque fortè *Gal.* in meth. dixerat: *Induratum ſplenum nedum fortibus medicamentis foris curare conuenit, ſed intus etiam potionibus vehementiſſimis, nam eas ſine*

mole-

molestia tolerat; Nec ignoro eundem chalybem variis modis præberi solere, cum alii illum exhibeant subtiliter limatum, Alij calcinatum, Alij prius præparatum, quod fit limatura Chalybis in aceto macerata, hinc siccata & trita, Alii ex eo vina chalybeata, syruppos, oxymel, & electuaria parant: quicquid tamen sit illud vnum adnotandum quod præfatus monet *Mercatus*, ne scil. in eodem parando sulphur deperdatur, cuius gratia in hypocondriacis prodesse valet, quod fit si vel chalybs crudus valdè igne vratur, & vt cum chymicis loquar, reuerberetur; Cæterum quicquid sit in nostro casu stillatitium chalybis laudarem, quod Florentijs asportatur, cum illud neque ventriculum laxet, neque nimia violentia hypocondria reseret; huius tamen vsum non esse differendum, ne obstructiones difficiliores redditæ morbum contumacissimum configurent; proindeque post pręstitas debitas euacuationes, vias modicè reseratas chalibis stillatitium exhiberem ad scrup. 1. minusue; quod si hoc haberi nequeat, poterimus tabulas configurare ex eodem conflatas: vt ℞. chalybis prepar. dra. 5. cinnamomi scrup. 1. sacch. albissimi inf. in aq. cichor. vt f. tabulæ: Interim tamen non immemores esse debemus vaporum ad caput ascendentium, illorumque genitorum ex illuuie illa humorum in hypocondrijs, proinde que ijdem auertendi, dissipandi, eorumque corrigenda prauitas; Pro auersione probantur frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ; sed quod prę reliquis ex vsu esse videtur, est fonticulus in crure dextro, vt hepatis catyxis seruetur: sicut pro discutiendis vaporibus ex vsu erit mitridatum conf. florum borrag; buglossæ, melissæ, confectio Hycinthina & alia, quæ si refrangantur non aliena esse possunt, verum aliter fugienda, siquidem cum in hypocondriacis phlogoseus supponatur affectus, ab hisce potiùs intendetur, quam remittatur, ideoque sunt qui cum hisce conseruis combinent lapidem bezaarticum, cornu cerui, margaritas, & similia, vndè doctiss. *Zacutus* multos enarrat solo vsu lapidis bezaartici, & eboris ab affectu hypocondriaco fuisse seiunctos; quod si addatur pæoniæ semen vertiginibus profuturum sperarim. Sunt etiam qui potabile aurum commendant; ego tamen cum doctiss. *Saxonia* nec probo, nec improbo, sat fore credendo dixi: faxit autem Deus, vt omnia secunda succedant.

PRO PERILLVSTRI DOMINO CAROLO GOSTACCIANO *Equitum Præfecto affectu hypocondriaco laborante.*

CONSVLTATIO XX.

NOn immerito *Plato* caput diuinissimum appellitauit membrum, nec solũ præcipuum, sed totum etiam in corpore; Homerus ἡγεμὼν dixit, quod ad instar primi orbis, eius influxu, ac illustratione inferiora moueantur, & sentiant, vnde maximò sapientiæ nutu in capite sacram Palladis arcē Poetæ locarunt, dum eam è Iouis cerebro pronatam fingunt: quandoquidem vt aiebat *Senex in epistolis* caput omnium morborũ radix; illud enim cũ velut cucurbita medica incũbat, contingit vt ipsũ omnium eorum quæ ingeruntur superfluitates attrahat, & tenues humores: quos sanè dum attraxerit rursus reddit aceruatos, & crassos, indequè prosilit fluxio, destillatio pronascitur; quamuis non raro ex aggestione in cerebro fluxio prosiliat, & tunc potissimũ quan-

quando cerebrum frigidam vendicat δυσκρασίαν vel intemperiem quam sanè vendicare (haud denego) potest ex multis, sed potissimum bimembri caussa, nimirum calido vel frigido ambiente, vt propt. decantarit *Hip.* *Fluxiones ex perfrigerata valde carne, & percalfacta fieri, aut supertumefacta*, calor enim colliquando, frigus exprimendo, & denique carnis supertumefactio idest plenitudo cerebri expultricem grauando, vnàque irritando fluxionem promouent; *Vt enim bilis ardor* aiebat *Fernel. cerebrum dilatans, illius ductus patefaciens excrementa diffundit, fluxasque reddit, ità frigus immodicum quasi comprimens, & coarctans illa exprimit depellitque*: quamuis sanè hoc à doctiss. *Mercato* non mediocriter improbetur, neque possit sibi suasum facere cerebrum ceù posse adeò refrigescere, vt præ nimia frigiditate compressionem experiatur; ipse tamen asseuerarem ex frigore fluxionem non alitèr prosilire, quam scil. ab eodem in frigidam intemperiem adacto cerebro, sicque multam pituitam progignente, vnaque præ copia irritato in infernas partes materiam propellente; cernimus enim, caput frigori expositum non protinùs catharro fatiscere, sed prius copia grauari, mox illum accedere, cerebro vel mole, vel qualitate suppũcto: quod admittere in nobilissimo nostro, ac omniũ horarum homine vtique cogimur; cũ ex relatis a doctis. viro curam factitatẽ, idem languens & lunæ radijs substiterit, nocturnasque expertus fuerit vmbras: quæ sane & corpus, & caput non mediocriter immutare potuere; Vmbram namque satis *Celsus* improbauit aiens: *Melius si caput patitur in sole, quam in vmbra* lunę radios lat reiecit *Galenus lib. 3. de diebus decret. cap. 2.* aiendo lunam pallorem, vnaque capitis dolorẽ inducere, adde quod etiam flaminibus Australibus expositus; & caput grauitate fatiscere potuit, & nimijs humiditatibus repleri: *Austri* enim aiebat *Hipp. in aphoris. caput grauant, caliginem visui offundunt, auditum hebetant*: ventus namque alias dicere solitus est, aeris vnda existit, & ex dat magis, quam accipiat: nec enim huiusmodi destillatio à frigido ambiente duntaxat, vendicauit initia, sed à feruidiori solis rotatu, & à curis molestis: hæ namque & caput calfacere potuere, cum anima à curis calescat, & siccetur ex Hipp. ille autem colliquare iam valuit; addito veneris immodico vsu, qui dictante: *Sene lib de loc. in hom.* cum calefacere, attenuare, & humectare pariter valeat, fluxiones accersire, & destillationes conuocare iam potuit; tum calefacto cerebro, & consequenter ab infernis partibus attrahente, rursuque vt dixerat *Hipp.* in infernas partes materiam reddente, tùm in dyscrasiam adacto, & subindè pituiteas materias congerente atque ad varias partes propellente quæ sanè materia vel per se quidem vt aiebat *Fernel.* & sua sponte, vel impulsa propellitur; per se quidem cum vel nimis exsuberat, vel colliquefacta, vel iactata veemhentiùs, impulsa verò aut ui partis expellentis ea quæ tum quantitate, tum qualitate sunt infensa, aut vi frigoris, vel adstringentis cuiusdam aut comprimentis robore: impellitur verò nunc temporis eadem materia in varias partes, prout illæ magis exstant idoneæ ad receptandum, sicque in fauces translabendo inflammationes progerminant, nonunquam in alias partes perreptando nimirum in humeros, ac ceruicem, sicque dolores ibidem ingenerat, non raro in ventriculum, ab eoque in venas meseraicas, hepatis, lyenis alias, partes appellendo, sicque aditum præpediendo obstructiones progignunt, ab illisque manifestus emicat meteorismus, arteriæque aortæ eiusdemque descendentis pulsatio; vndè manifestum hepatis feruidioris omen, quod nedum ab obstructionibus incalescens, sed è sui natura feruidius illucens, & destillationi ansam præbet vapores suppe-

 ditan-

ditando, & materias vſtas progignens obſtructionibus maiorem exhibet anſam, illaſq; pituiteo humori commiſcens ſalſedinem illam parturit, qua cõtinuò laborat, vnaque torquetur: ſicque nobis innoteſcit caput nedum ydiopathiam agnoſcere, cum congerat materias petuitoſas, ſed & ſympathiam pariter infernarum partium vendicare materias receptando, eaſque ſeroſas bilioſas; ſicque ad inuicem morbos agunt; è quibus ſanè viſceribus tanquam è Pandoræ vaſe omnia hæc mala proſiliunt, nimirum obſtructiones calor, indeque affectus hypocondriacus; vt propterea *Andreas Lauret. tomo 2. part.* 87. dixerit Hypocondriacam affectionem eſſe inflammationem ſiccam venarum Meſenterij hepatis, & ſplenis, à craſſorum aliquorum humorum ſuppreſſione progenitam: quamuis ſiue inflammationis nomine phlogoſeum intendat affectum; qui ſanè vt ſuam cauſſam vendicat obſtructionem, dum enim earum partium venæ humore aliquo infarctæ ſunt, & oppletę, humor ille interdum ſolitarius, & ſimplex eſt, vt humor melancholicus naturalis, aut humor aduſtus, & atrabilaris, aut humor pituitoſus, & crudus, e duobus modò tribusue inuicem miſtis componitur, quod frequentiſſimè accidit, ſed humor ille, vt hypocondriacam generet, ſemper debet incaleſcere; non enim arduum eſt bilioſum, aut aduſtum humorem facilè incaleſcere; & quamuis melancholicus, & pituitoſus maiorem in incaleſcendo difficultatem agnoſcant, tamen ob nimiam moram, impeditamque tranſpirationem calorem concipere poteſt, vel eum à pauco fermento bilis aduſtæ portiunculæ commixto magnum concipiet incendium, vt in noſtro caſu contingit, vbi bilis aduſtæ portio obſtructiones fouens in cauſſa eſt, vt indè pulſatio, & calor ille ſubſultet; pulſatio quidem, vel quia vt vult *Aretæus* vena caua craſſo, aut ſuper excalfacto ſanguine plena dum in grauiora accidentia non degenerat, arteriæ aortæ deſcendenti quæ iuxtà dorſum ſita eſt vitium communicat: vel quia ex viſceris alicuius calore acri, & mordaci eadem quoque Arteria incaleſcit, & ob id maiorem motum repræſentat, vt vult *Mercatus tomo 3. lib. 2. cap.* 8. vel denique ex viſceris alicuius, & venarum quæ alicui viſcerum proximè ſunt obſtructione conſpicua & manifeſta, vt voluit *Gal. lib de pulſ. ad Tyrones*: ſic enim humores obſtruentes incaleſcendo & ſubſultum, ſeu pulſationem generant, & incendium vnà procurant; è quibus cauſſis Vigiliæ illæ innaſcuntur, & calor ori continuus, reliquisue partibus communicatur; præterquam quod ab eorum minera vſti vapores inſiliunt, qui ad caput aſcendentes, tanquàm ad corporis extremitatem, frontis cutem (ibidem denſati) in puſtulas attollunt, non rarò autem ad eiuſdem capitis mænynges appellendo dolorem pariunt illumque grauatiuum, prout melancholici magis, ac pituitei exiſtent, quàm bilioſi: interdum verò ſpiritus accendendo febrem illam ephemeram dictam progerminant: nonnunquam autem per vacua muſculorum ſpatia diſcurrendo, & neruorum ſubſtantiæ ſe ſe inſinuando crurum laſſitudinem pariunt; vt plurimum autem cerebrum tenebricoſo colore offundendo mœtum, & meſtitiam gignunt; quamuis *Auenroi* id haud arrideat, inquit enim *3. collect.* 45. (vt benè examinat *Mercatus tomo 2. lib. 3. cap.* 17.) colorem non eſſe qualitatem actiuam, quæ animæ functiones poſſit immutare, cum corporis mores temperamenta ſequantur, non colores humoris, quamobrem videtur id accidens hac ratione fieri nequire: præterquam quod tenebræ nec in viſum imprimere poſſunt, vt quæ priuationes ſint, neque ſentiri actu poſſint, & adhuc minus in interiori ſenſu, quo neque colores ipſi percipi poſſunt. Inſuper ſi immediatè læditur actio interior ex colore, iam color morbus

erit;

erit; sed hisce omnibus difficultatibus respondens *Mercatus*, non est vt in præsenti admodum laborem pro earum solutione: Doctiss. *Saxonia lib. de melancholia cap.* 9. dixit spiritum omnem siue animalem, siue vitalem quamuis in propria substantia lucidum, tenebrosum verò euadere propter tenebrosæ substantiæ admixtionem; hanc autem tenebrosam substantiam dicit esse vaporem, nam cum spiritus sit corpus tenue, ac mobile à minera vaporis conspurcari, & fędari non potest, sed ab alio corpore mobili, qualis est vapor, aut fumus: quem quidem necessario tria habere consideranda subdit: materiam nempè ex qua, efficientem caussam propter quam, & locum in quo, materiam ait esse melancholicam, eamque naturalem, fæcem sanguinis vocatam, nigram, densam, frigidam, siccam, sanguinis subsidentiam à calore Iecoris genitam vt docet *Gal. 3 de caus. simpt.* 2. efficientem verò caussam statuit intemperiem; locum vult esse triplicem totum scil. corpus, meseraicas, cerebrum: sic *Prosp. Alpinus lib.* 1. *de medic. method. cap.* 11. dixit hanc passionem aliquando fieri cum bilis à solis calore, aut ab assiduis, vigiliis, curis, studio, & similibus caussis in capite vritur, & in nigram mutatur; qua cerebro læso melancholia itidem excitatur hocque fortè sibi voluit *Senex* cum dixit epilepsiam fieri si in corpus vergat, melancholiam autem si in mentem, nimirum vt vult *Gal. 3 de loc. aff. cap.* 7. si temperamentum oblædatur: verum hanc opinionem reijcit doctissim. *Mercatus* aiendo internas actiones bifariam lædi posse; vno temperamenti communis læsione (quo omnes facultates tanquam communi instrumento vtuntur) nimirum caloris influentis, citrà quem nulla actio siue vegetabilis, siue animalis fieri probe potest; cum hoc tamen secundariò, ait, actiones lædi posse à vitiis proprij cuiusque partis temperamenti, dum genitis deprauatis succis, aut excrementis, partem ipsam, eiusque decorem, ac spiritus, & calorem lædunt, & interturbant, vt in siluestrina melancholia euidenter colligitur: vnde multi infer. Subdit; mętum & mæstitiam nedum ob atrum colorem prosilire, sed ob intemperamentum frigidum, & siccum, quo cerebrum idoneum prædictis symptomatis efficiendis redditur. nam etsi color melancholię in cerebro non percipiatur ab aliquo sensu, neque virtutem ipsam immutet, est tamen caussa vt omnia obiectiuè repræsententur sensibus interioribus sub specie opaca, & horrenda; haud secus quam color existens in cornea, qui non videtur à crystalloide, verum est caussa deprauata visionis, sic enim insomnia, mille monstra horrenda, & timenda fingunt ex repræsentatione specierum eiusdem conditionis: nam pari ratione statuendum est fieri melancholicum timorem in morbis, ac in sanis somniantibus eadem accidentia timoris, aut tristitiæ, pręterquam quod in somnijs nullam fidem adhibemus, & ob id metus, & mæstitia nobis expergescentibus cessant, perstant verò in melancholia ob vitium rationis quæ assentitur, & malè iudicat de eis. vnde statuendum sic putat *Mercatus* spiritum opacum caussam opacitatis, & euersionis sanitatis existere. quicquid tamen sit cum non sit pręsentis loci huiusmodi quæstionem decidere, id tantum obiter dixisse sit satis: *Vallesius 6. epid. t.* 32. in illo *Hipp.* textu: *De sanguine ichoroso, qui in pauidis hoc, & peruigilibus, atque siue malus, siue bonus:* ait timorem in melancholicis bifariam fieri, nimirum primo ob nigritiem eius humoris, secundo ob ichoris redundantiam: Illa quidem afficit cerebrum, hęc cor. Nam pituitosi, & crudiori sanguine redundantes sunt etiam timidi ob cordis languorem; vnde superiùs dixerat: sed & ipsius ichoris redundantiam arbitror aliquid ad timiditatem conferre, qui vitiat sanguinem & debilitat naturalem calorem in corde, atque ità &

irascibilem facultatem, cuius debilitas timiditatem facit, sic videmus Onesianactem melancholicum, vnàque timidum, multum pituitæ eijcere solitum esse: vndè haud mirandum nobilissimum vnàque elegantissimum nostrum languentem pituitea cacochymia laborare, vnàque sputatorem existere. languor enim caloris illam progignit, vnàque flatuum prouentum, qui per intestinorum anphractus circumuoluti fragorem, seu borborigmum gignunt. illud tamen aduertendo huiusmodi affectum hypocondriacum satis arduum existere, folutuque difficilem, tum ratione viscerum antipraxię, tum ratione materierum viscidarum, & adustarum, tum aliorum ratione: vndè doctiss. *Zacutus lib.7.cap.8.* dicebat hunc morbum difficilem esse ad curandum, quia ex inæquali minera proficiscitur, indèque cum fit habitualis, & diuturnus difficulter curatur, intemperies enim est in visceribus impressa, & radicata satis, quam euellere arduum, & laboriosum: vndè subdit: *Si calida applicas, ignescit Iecur, si frigida tonus partium naturalium eneruatur satis:* quamobrem antequam vlterius figat radices medica manus adhibenda; quę multis expletur scopis, primò euacuantibus vniuersum corpus; deindè caput quod fluxionem mouet; Secundò materiam intercipiendo, & auertendo, Tertiò illam exsiccando; Quarto deobstruendo, vnàque viscera alterando; & quintò denique flatus discutiendo: Euacuabimus ergo primò primas vias vel prunis Damascenis saccharo conditis, vel infuso foliorum senæ in succo rosarum, aut borraginis facto, vel cum aqu. portulacæ si Iecur incaluerit; alijs enim fortiori bus haud vtendum, his ergo ità præstitis non absonum erit apozematis vti, ijsque paratis ex decocto borraginis, melissæ, buglossæ, endiuiæ, cichor. lupulorum, fumariæ cum syr. de s. borrag. de pomis, de endiuia sicque iterum poterimus lene aliquod pharmacum imperare, ex syr. ros. solut. D. August. el. lenit. & agarico infuso in aqu. borraginis, quibus si velimus adijcere mannæ el. vnc. 1. non erit absonum: Interim dum apozemata ebibuntur, poterit vel de phlebotomia cogitari, vel de hyrudinibus venis sedis affigendis: doctiss. *Prosp. Alpinus libro decimo de medicam. method. cap.* 11. primò è vena Iecoraria dextri bracchij (nisi in regione lienis sit vel dolor, vel tumor) sanguinem haurit, deindè è cæphalica, tertiò ex incisa vena frontiss. Tandem hyrudinibus venas aperit hæmorroidales; sic quoque *Mercatus libro primo de inter. morb. cura. ca.* 17. nedum venam secat basilicam dextram, vel sinistram si splenem obstructum, vel inflammatum esse conieceris, latiori tamen foramine, sed venam talis maximi enim (subdit) esse momenti huius venæ incisionem, reuellit enim promptius, & crassiorem sanguinem selectius euacuat quauis alia vena aperta; quicquid tamen sit, è Iecoraria dextri bracchij haurirem sanguinem, modo crassior sanguis emanaret, idque latiori facto foramine sic enim videmus *Hippocrat. 7. epid.* in historia Mesianactis venam tutudisse. deindè venas sedis hyrudinibus aperirem; & tandem proderit forsan cæphalicam in nostro casu aperire, non enim ait *Mercatus* displicet vbi caput nimis repleri conspicimus cephalicam tundere interuallo trium, aut plurium dierum à prima sanguinis missione: eòque magis in nostro casu id ex sequendum cum nobilissimus noster languens capitis potissimum pathemate ingemiscat; ac multis, innumerisque pustulis prematur, quæ sanè Iecur feruidius attestantur; quod propt. & fluxioni ansam præbens, & illis occasionem suppeditans attemperationem iniungit, vnàque fluxionis exsiccationem; Attemperabimus illud, si iura alterata ex gallo veteri iniunxerimus, quę & vi polleant humectandi, refrigerandi aperiendi, caput, & ventriculum roborandi flatus di-

scu-

scutiendi,& tandem fluxionem sistendi; ideòque sequens vel simile ius adhiberi poterit: ℞.fol.borrag.cichor.cum rad.melissę, buglossę, lupulorum, fumarię,an.p.s.cort.citri vnc.ʒ.sem.anis.fęnic.an.dra.1.menthę viridis, beton. an.p.s.graminis, capill.ven.cetrac.cuscutæ, an.p.s.sem. melonum mundat. vnc.ʒ.rad.asparag.filicis,an.p.s.mis.bull.in iure paruę pullæ, vt dixi, à qua fuerint recisæ alæ, coll.ac pedes; quod si pro debellanda fluxione addere velimus chinæ portionem vnà cum sandalis non alienum erit, aut ab re; sic enim viscera temperiem aliquam sortientur, obstructiones reserationem experientur, flatus discutientur, & tandem fluxio sisti valebit; cui pariter tollendę non erunt absona alia præsidia, vt putà intercipientia, quemadmodum erunt cerata ex corallis, trochis.de Kar. mastiche, & therebint. confecta, sacch.ros. in tab. pillulæ bechichę, & alia, sic quoque auertentia, vt cucurbitulæ, inustiones, quas prę reliquis laudarem in crure dextro Iecoris ratione, quod immediata istius fluxionis cernitur caussa, quemadmodum rebelli contumacique in capite persistente pathemate in sinistro bracchio illas adhiberem, sic enim & per infernas partes reuelleremus, & à supernis deriuationem moliremur; Neque mihi pro hoc affectu eneruando vnàque Iecoris, aliarumque partium hypocondriacarum incendio debellando inutile existimarim tum serum, tum aquæ dulcis lauacrum, tum denique Aquarum thermalium vsum. Serum siquidem vt omnes ferè auctores annuunt vim abstergendi habet, obstructiones reserandi, ac tandem aluum mouendi; sic etiam balneum aquæ dulcis præter refrigerationem quam molitur, virtutem etiam habet humectandi; vt & thermarum vsus potissimum Nucerianarum, vel Cassianensium, nimirum earum quæ Ficuncellæ nomenclaturam asciuere; sic quoque stillicidia maximi vsus existunt, quemadmodum & Ducciæ apud thermas Sancti Cassiani, ac potissimum Sancti Philippi, nullum enim aiebat *Zecchius* hoc præsidio efficacius, ad cerebrum siccandum, firmandumque nec non & ad antiquas capitis fluxiones finiendas, cœterum hęc omnia missa facerem, cum & caput impensius queant calefacere, sicque caput ad vapores recipiendos magis reddere obnoxium quod tamen ad obstructiones reserandas primas obtinere videtur partes Kalibis est vsus; indéque meritò dixit *Zacutus lib.7.cap.8.* Nullum est medicamentum, quod melancholię flatuosę magis conferat, quàm chalybs, nam cum ex diuersa natura prodeat hic affectus, exigit medicamina quæ variam habeant operandi vim: subdit: Affectus hic mixtus est, & compositus medicamenta efflagitat composita; Insuper pharmaca omnia os ventriculi oblędunt, quod in hoc morbo est affectum. Hanc pręstantissimam efficaciam preciosi antidoti instar ferrum sortitur. Adstrictione crassa, qua constat substantia, roborat, & labascentem ventriculum, flaccidasque internas partes roborat vehementer. Deobstruit calida, igneaque vi, nam omne metallum igneæ est substantiæ, & quò impurius, eò amplius ab infarctu liberat, compescit vomitum, appetentiam concitat, demum cum mixtæ sit substantiæ mixtos producit effectus. chalebem illum tamen ego maximoperè commendarem, qui stillatitius Florentitijs asportatur; is enim facilius permeat, ac etiam melius ab imbecillis partibus receptatur; hæc ergò omnia habui, quæ possem afferre pro recuperanda salute nobilissimi vnàque doctissimi nostri Viri, Deus sit ille qui omnia secunda reponat.

PRO NOBILI VXORE V. I. D. IVLII Phebæi à Tagliacotio affectu Hippocondriaco laborante.

CONSVLTATIO XXI.

SEnsatè sanè dixerat *Hippoc. in epid. ventris torpor omnium confusio*: cum ab eodem tanquam è Pandoræ vase omnia mala prosilire cernantur: quem quidem ventriculum cum mare analogismum obtinere alias prædicarat, quod dat omnibus, & repetit ab omnibus: *Ventriculus* enim vt alias dixerat. *Senex humorum corpori fons est, vbi verò vacuus corpore fruitur liquescente*; vt potissimum in ieiunijs, atque inedijs videre est, vbi cum ventriculus externum alimentum postulet, vt aiebat *Gal. in meth.* neque eius copia detur, excrementis biliosis, pituitosis, atque serosis impletur, quæ quidem trahenti Iecur illi remittit, siquidèm vt particula altera ab altera nutrimentum trahit, sic altera in altera quod superuacuum est à se pellit: quod conijciens *Sennertus p. lib. instit. p.* 253. talia dicta dedit: *Sicut autem immodica cibi, & potus copia varios morbos excitat, ita etiam inedia longior plurima incommoda secum affert, absumit enim in corpore sano bonos, atque vtiles humores corpusque exsiccat, & consumit* vt est apud *Hip. p. aphoris.* 14. in corpore verò cacochymico, & impuro mouet, & agitat corruptos humores, ac pars illorum in defectu alimenti boni ad ventriculum trahitur, qui indè non leuiter perturbantur, & per consensum cerebrum, ac cor affliguntur, adeò vt aliquandò lipothimia, aut epilepsia suboriatur. quid mirum ergò nostram languentem ob nimias inedias excrementitio humore ventriculum nutricasse, indeque in tot pariter incidisse pathemata? quamuis enim Ieiunium sit apprimè consonum, modum tamen seruandum esse perhibebat *Greg. in moral.* 20. *omne enim nimium* (nostro *sene in aphoris.* dicente) *naturæ inimicum*: quod sanè *Hieron. in epist.* agnoscens iure merito Ieiunium sanitatis matrem vocitauit, sicut in cibis voluptatē ægritudinum matrem indigitauit: verùm *Gal. in meth.* vtrumque excessum reprehendit aiens: *quippe sicut largior nutritio nocet, sic & abstinentia omnimoda, nam venticulum lædit, flatus excitat, & prauum succum accumulat, adeò vt deteriùs proindè cōcoquat*: quod sanè in nostro casu cōtingere potuisse crediderim cū huiusmodi Ieiuniū, & nimis rigidū extiterit, olerū potissimū ingestione patratū, vt scribitur, quorū nullū boni succi esse concredidit *Gal. li. de simpl. medic. facult.* eorumque ob id gratis excrementitiæ innasci potuere humiditates tū ratione obiecti improportionati, tum ratione alteratricis facultatis imbecillimæ eiusdem ventriculi cibaria in optimum alimentum commutare nequeuntis; quamuis non ignorem cum nōnullis ex dietæ erroribus nullo præxistente affectu in ventriculo posse excrementa prosilire, ex quibus duo potissimùm insurgunt, continens ceu imbecillum, & contentum excrementitium, istudque sanè pituiteum, lentum, ac viscidum, illudque nedum à ventriculo congestum, sed & à capite pariter transmissum, atque congestum, quod læsum etiam in alterando alimentum quod apponitur non assimilando crudum facit, sicque mutuam opem ad malum intèr se conferre videntur, dum caput ventri, & venter capiti sibi inuicem morbos faciunt, vt aiebat *Gal.* neque enim sola pituita nobis negotium facessere videtur, sede eadem adusto humori consocialis, ab adusto lecinore progenito, vnaque à lyene vt multis arridet; quæ quidem humidita-

tres dum vlteriorem sibi parant viam suo lentore, suaque crassitie itinera obcæcando Iecur, lyenem, venas meseraicas, pancræas, nec non etiam meso-colum vnà cum arteria cęliaca, ramosque venæ portæ infarcit, & obstruit, vt ex aspectabili hypocondriorum meteorismo conijcitur; quamuis doctiss. *Senner. tom. 3. p.* 459. locum affectum in hoc morbo statuerit ramum venæ portæ, & arteriæ cęliacæ, ac mesentericæ; quibus omnibus ità obstructis in nostro casu nil mirum nobilem nostram languentem affectu hypocondriaco laborare, non eodem exphlegmonoso pathemate progenito vt statuerat *Paulus Æginета lib. 3. de re medica cap.* 14. is enim scripserat melancholiam hypocondriacam ex inflammatione circa stomachum oriri; vndè *Rondeletius cap* 42. *cur morb.* malum hoc ab intemperie sicca, cum aliqua caliditate sine affluxu, sed cum obstructione fieri statuit, quicquid tamen sit phlogosim non explodetem, obortam sanè vi earundem obstructionum, quæ caloris difflationem inhibendo eundem augent; sicque crudus ille, ac vitiosus humor in ventriculo genitus, vel aliundè corriuans ad lyenem & hepar transiturus propter crassitiem in via subsistit, inibique moram trahens flatibus originem præbet, hypocondria distendit, atque vbi calorem concipit aduritur, & vberiorem posteà melancholico humori materiam substernit, quamvis doctiss. *Manardus q. epist.* 2. & *Vallesi. p. controuers.* 21 dixerint ex pituita per adustionem non fieri melancholiam: at contrà horum auctorum decretum est *Gal. qui* 2. *de differ. febr. vlt.* 3. *de presag. ex puls.* 7. vult ex putrescentibus omnibus humoribus per adustionem cineres quosdam relinqui, præcipuè autem in crassioribus, quales sunt pituita, & melancholia; at cineres frigidi sunt, & sicci, itaque ex putrescente pituita cinis, & melancholia gigni poterunt; Ipse tamen potius asseuerarem eandem emanare à Iecoris vstiuo incendio, quod sanguinẽ adurat, vnde melancholia subsultet, è qua tanquam ab Equo Troiano omnia subsiliunt symptomata, nimirum animi anxietas, respiratio dum ambulat difficilis, cordis palpitatio, pectoris dolor, metus, & mæstitia, suspiria, solitudinum amor, rugitus & alia: Rugitus quidem seu borborigmus innacitur, ob flatuum abundantiam, qui in hoc morbo adeò vberrimi existunt, vt à *Diocle* dictum sit olim hunc morbum flatuosum fuisse vocitatum; ijque ergò hypocondriorum partes circinantes, veluti fragorem quendam ibidem excitant; Solitudinum amor non aliam sibi vendicat caussam, vt benè adnotat doctissimus *Senner. p. Institut.* quam melancholici humoris tenebricositatem, multa sanè phantasmata cerebro repræsentantis, multasque pariter Imaginationes configurantis, quæ cum innumeræ existant, ex aliorum præsentia impediri sentiunt, indeque solitudinum amor insurgit. Suspiria autem, metus, & mæstitia, non aliam sibi originem agnoscere queunt quam scil. vt *Gal.* concredidit 2. *de sympt. causs.* 6. tenebricosam humoris melancholici constitutionem, ex humore enim, inquit, melancholico timorem, & tristitiam oriri nihil mirum: siquidem etiam eorum quæ extrà corpus sunt nihil videmus quod nos perinde terreat, ac tenebræ; *Eustachius Rudius, atque Platerus*, id dixerunt pendere ab humore melancholico sed qualitate occulta donato, aliquaue malignitate, seu venenositate haud carente; quicquid tamen sit asserendum reor vapores huiusmodi funestos prout variam viam petierint, varia infligere symptomata, & siquidem ad cor appulerint, palpitationes, lypothimias, pulsus languidos, pariunt, si ventriculus afficiatur, anxietatem gignit, idem enim cibus semicrudus in eo moram trahit, & in flatus resoluitur anxietatem eiusdem ventriculi parit, quod patet ex anorexia, ac continuo one-
re

re ibidem percepto; si ad pectus irruant, dolores, & anhelitus difficultates progerminant, tum ob neruos musculis pectoris dicatos affectos, tum quia per venas, & arterias vapores è materia praua in hypocondrijs stabulante in musculorum spatia effunduntur: quibus accedit quod flatus, & vapores partim ex crudis humoribus in hypocondrijs collectis excitati diaphragma comprimunt vt Senner. autumauit, atque sic difficilem spirationem inducũt, ni eandem ad hystericam aliquam affectionem referre concupiscamus, aut vt benè scribitur ad compressionem septi transuersi, factam à Iecore obstructo, & comprimente, quæ sanè obstructio & stypticitatis caussa esse potest, & hydropis; stypticitatis, quidem, cum bilis impediatur motus ad intestina, nisi velimus asseuerare eandem pendere ex materiæ viscíditate, vel viarum angustia vel à morbo in via, vel ex calore corrugante, vnaque arctante vias, ac humidum excrementorum absorbente: percipit enim languens continuũ in ea parte calorem, qui præter naturam existens primigenium subripit, enecat, sicque hepar imbecillitate afficit, extorquet; vnde serosi humores innascuntur, & flatus emergunt, qui ad varias corporis partes transmissi, & potissimum inter peritonæum, & omentum, ventrem prominere cogunt, ijdemque ad crura aditum affectantes eadem turgida reddunt, dumue per vniuersum corpus diuagantur, vniuersum corpus pallore inficiunt, potissimumque vultum malo colore deturpant, ob sanguinem impurum cacochymiæ ratione, quæ pro alimento corruptionem affert, sicque hydrops innascitur, qui non sanè explodendus venit, & quia ad modum tympani non resonet, aut à comprimente manu fouea non imprimatur, siquidem sumus in Ascite Tympanitidi complicata, quæ quia est in principio, haud mirandum si ea non inuehat symptomata, quod ad huc magis patet ex siti, quæ nimia esse scribitur, ob materias in abdomine contentas, quæ quamuis è sua natura sint frigidæ, ex corruptione tamen vt *Cardani* opinionis me faciam consectarium, calorem mancíscuntur, perennemue sitim progerminant; quamobrem ne tam diro morbo inducias præbere videamur, quàm primum succurrere debemus, sed quoniam id primum est Artis opus, sperare ne id quo tendis debeas, an secùs, propt. cum habeamus languentem sat malè affectam, annosam, & sexagenariam, innumeris ærumnis circumsæptam, multiplici intemperie lacessitam, humorum nimia mole exundantem, calore quasi viuifico suo nectare de pauperatam, hypocondriaco affectu laborantem, hydropis, rudimento ingemiscentem, non nisi difficilem declarabimus affectum, ac non sine maximo studio persanandum; qui eò magis curandus, quo periculosissimus est; in his enim vt aiebat *Senex* periclitari oportet, si enim successerit, sanum facies, sin minus quod aliàs futurum erat id ipsum perpetitur: quæ sanè curatio plurima nobis inspectanda obiectat, humorum scil. molem, quæ euacuationem nobis indicat, cumque hydropis rudimenta agnoscamus hydragogum exposcit, dicente *Hip. Hunc siquidem à principio acceperis, priusquam aqua succrescat pharmaca bibenda dabis, à quibus aqua, & pituita purgetur, bilem vero ne moueto.* cæterum quoniam serosis ibis humoribus crassorum admixtio inuenitur; propt. minorata materia syr. ros. sol. melle ros. sol. & D. Aug. ad scrup. j. s. pro singulis, propositis à te viro doctiss. syr. excepto oxymelite, quod maximè in melancholicis improbatur ex Hip. vt rectè animaduertit *Duretus lib. Coac. p. 349.* denuò materiam deturberem sed leui aliquo medicamento, ne maiorum medicamentorum vi eadem materia deturbata deturbata maiores in dies obstructiones fiant, qua de caussa doctiss. *Crato consil. 24.* scripserat

se

se multos melancholicos curasse vsu lenientium, quam ob rem doctiss. etiam *Martianus* rationem reddens cur hypocondriaci ab vsu catharticorum deterius habeant, ait id contingere quia naturalis calor imbecillior euadit; quod in nostra languente magis peragendum venit, quo languens nobis obijcitur, sat debilis, ac languida essem ergò contentus adhibere syr. ros. sol. D. Aug. melle ros. sol. vnà cum portione elect. Diacatthol. addita agarici portione, cum decocto epythimi, senæ seminibus carthami, rad. mechoac. &c. Nec ignoro huiusmodi morbum simplici purgationi obedire, cum adsit viscerum antipraxya, propt. vel pillul. elephang. de fumar; & agar. epycrasis seruanda, præmissa tamen blanda aliqua præparatione non ratione tenuium humorum, qui nullam exposcunt præparationem, vt optimè probat *Manardus*, sed crassorum humorum, & vstorum gratia, qui incisionem efflagitant; De sanguinis missione vel nulla, vel pauca dicenda; ea namque nullo pacto videtur posse commendari; primo quia cacochymum corpus curandum nobis obiectatur, secundo quia frigidis scatet humiditatibus, tertio quia languida, quarto quia Ieiunijs attrita, & quinto quia hydropis initia cernuntur; quam ob rem omnimoda sanguinis missione abstinerem; quibus præstitis euacuationibus, non ob id obstructionibus animus haud reuoluendus, qui aperientia desiderat, ideoque Ius galli veteris à te propositum nimiopere laudo, sine collo, pedibus, alis, in quo si ebullierit chinæ portio, cum ligno de visco quercino, saxafras, sandalis citrinis, vnà cum alijs herbis à te conscriptis maiorem vim habitura censerem, non explodendo tamen cort. citri; rad. asparag. petrosel; fænic. addita portione menthæ viridis, & absynthij pont. tum ratione flatuum excuberantium, tum quia ventriculus clanguit; absynthium enim maximis dotibus donat *Senner.* illud enim ventriculo amicum existit, & neque flatum in ventre multum fieri permittit, neque aluum exsiccari penitus, & vrinas cit, & coctionem probe adiuuat vt scribit *Ætius tetra. bib. 2. serm. 2. cap.* 10. qui sanè auctor huius solius vsu quosdam à melancholia liberatos esse testatur: sicut & non erit ab re vsus (vt scribitur) arom. ros. addita tamen portione spec. cyphoid. diacurcumæ, vnaque dialaccæ addendo trochis: de rhab. cum cons. ros. vel florum borrag. sicut pro roborando corde optimus erit vsus confect. Hyacinthi, mitridathi, & alKermes, inunctiones verò ex ol. de cort. citri, theriaca cum aqua aranc. animaduertendo quod notat *Septall. in suis animaduers.* ne ceù vtamur admodum calidis, ne subindè fiat spirituum vitalium dissipatio: Interim tamen extrinsecè hypocondrijs poterunt etiam vnctiones adhiberi, & fotus emollientes, vnaque discutientes; quinimo dummodo vel aliqua pulsatio in Arteria Aorta non existat, vel aliquis caloris sensus ibidem non adsit, non alienum esse putarim cataplasma adhibere conflatum ex stercore vaccino, caprillo, sulphure, melle, & aceto, addita portione anis: & fæniculi; hoc enim max. vi præditum est & flatus discutiendi, & aqueas humiditates absorbendi, quod si fortè id prohibeat calor in ijs partibus perceptus, adhiberi poterit ol. ros. cum portione ol. de absynthio addita portione vnguenti Martiat. ratione hydropis, qui maius negotium facessit; hic enim necessario perimit aiebat Senex noster diuinus; affectus autem hypocondriacus non nisi rarò interficit; Interim tamen non alienum puto Aquam Tettutianam quam ex arte probas adhibere, modò tamen vires sufficiant, illa namque vt benè *Baccius lib. 5. de Thermis* asserit aluum deijcit, lubricamque in posterum seruat; quinimo teste Sauana-

rola frigidis defluxionibus, inflationibus Ventris, & exindè factis doloribus perutilis; quemadmodum etiam & Kalibis vsus consonus vtique esset, ni obstructiones essent satis rebelles, & languens viribus effæta; quamobrem potius aquam iniungerem in qua Kalibus fuerit bis aut ter extinctus, pro quo etiam explendo scopo mirum proponam Sennerti medicamentum, estque huiusmodi: ℞. rad. cichor. borrag. scorzoneræ, polipodij quer. cort. rad. cap. par. ana. dr. 2. rad. asari drach. 1. fol. melissæ, beton. cerrach. fumariæ, capill. ven. chamædrios ann. m. s. centaurij minoris, absynthij pont. ana. p. 1. florum cord. p. 2. cort. citri drach. 2. 5. anis. fœnic. ana. drac 1. fol. senæ el. epythimi ann. drach. 4. passul. minor. vnc. 1. infundantur omnia in aquæ puræ lib. 3. in vas. clauso loco calido, & postea in B. ebull. colaturæ adde succi borrag. ros. fumariæ ana. vnc. 4. sacch. lib. 1. f. potio clara cuius dosis sint unc. 4. vel 5. quoad reliqua medicamenta, duo sanè videntur præ reliquis commendari vt putà & serum quod propositum intueor, & balneum aquæ dulcis, quæ tamen vt inutilia desero; quamuis non ignorem serum maxime esse ex vsu in hisce affectibus, quia tamen sumus in complicato pathemate potius illud relinquerem, nec ignoro *Hipp. in epid.* in obstructo distentoque hypocondrio serum iniunxisse, nec me latet Aetium in languido ventriculo commendasse, sed quià hydrops vel instat, vel eius rudimentũ saltem illucet, ab eo desistendum: Illud tamen quod dixi quodcunque sit tuo perspicaci Iudicio lubenter subijcio. Accipe ergò quæcunque dixi æquo animo, & quod tibi consonum esse videbitur lubenter admitte. Interim me vt assoles ama, dum ipse te æquo amore tuum amorem exsoluo Vale.

PRO ILLVSTRISSIMO DOMINO *Benedicto Mattaheo nobili Romano Affectu hypocondriaco lacessito.*

CONSVLTATIO XXII.

CAloris primigenij dignitatem agnoscentes ex auctoribus nonnulli, sed falsò, illum eundem cum anima celebrarunt, indèque essentiam vitalis potentiæ vocitarunt, facultatem nos gubernantem, animę substantiam, omniumque denique functionum auctorem; vndè *Gal. lib. de Marcore cap. 8.* eidem ascititio calori attractionem est elargitus, appositionem, agglutinationem, augmentationem, & denique partium omnium conformationem; Alij calorem vitæ principium sanè plasmarunt, adeò vt illi duntaxat sit exhibendum nostrę vitæ imperium, Vita enim *ex Arist.* participatio dicitur calidi in humido; proptereaque quoties vegetus est huiusmodi calor, toties nostra vita suam adseruat harmoniam; quod si idem dispereat, pereunt coctiones, indeque insurgunt apepsiæ, viscerum atonię, humorum profiliunt prouentus, ac denique omnium membrorum in medium prodit languor: Nil ergo miror nobilissimum quo de agimus languentem dum vigesimum quintum percurrebat annum primigenio calore, quasi viuifico suo nectare depauperatum, vel ob Iecoris incendium calorem Ventriculi enecans, vndè cibus coctione viduatur, qua de caussa benè asseruerat *Senex: Ventris torpor omnium confusio*: vel

ex se ipso *vt Auic.* asseruit, sed accidentaliter extinguitur propt. quod sit caussa sui ipsius materiam consumendi, sicuti lampadis flamma quæ extinguitur, quia suam consumit materiam; quamobrem sicut lampas duas habet humiditates aquam, & oleum, quarum vna eandem conseruat, altera verò enecat, sic calor innatus cum humiditate consistit naturali, & suffocatur, seu extinguitur cum extranea, & cum augmento extraneæ humiditatis, quæ prouenit ex debilitate digerendi: quæ quidem extranea humiditas dupliciter, eundem potest extinguere aut diminuere, vel suffocando, & tegendo vt idem ait *Auicen. lib. 1. fen. 1. doctr. 3. cap. 3.* vel qualitati obuiando: quę quidem humiditas phlegmatica est in casu nostro & frigida, nata quidem ex ipsius ventriculi imbecillitate vt dixi, è qua tanquam Creontis filiarum vasibus malorum ylias innascitur, omniumque symptomatum syndrome: vtputà erectionis imbecillitas, memorię lapsus, dorsi rigores, vel horrores, manus potissimum femorum, natium, & bracchiorum tremores, sitis absentia, labij procidentia, crurum debilitas vnàque frigiditas. Crurum quidem debilitas & frigiditas seu ναρκῆν, seu ναρκῶς hoc est torpor vel stupor à neruis emanat, vel in frigidam dyscrasiam adactis, vel oppletis, & consequenter ad spiritus animales suscipiendos ineptis, vel ex ijsdem debilitatis tum ratione diminuti caloris primigenij, tum ratione præsentiæ humoris frigidi, & humidi, vnde perenni fere crura sensatione laborant, ex qua pariter caussa tremores accedant, ni velimus eosdem referre ad motricis facultatis imbeccillitatem, seu ad facultatem motricem frigido humore pręter naturam oneratam, vel ad spirituum naturalium uitium, cum scil. non iusta copia influunt, ob eius diminutam generationem præstitam à cerebri frigida intemperie, vel ad neruorum, & fibrarum neruosarum in musculis malam dispositionem, aut in eorundem morbum organicum, vt censuit doctiss. *Senner. lib. 1. par. 2. cap. 25.* qua de caussa labii procidentia pariter innascitur, resolutis neruis qui labium gubernant à materia tenui, & frigida, aut a materia vt credo vaporosa sed crassiori, aliter enim haud posset tam citò resolui; ni velimus dicere id fieri ab ambiente frigido debilitante neruum, & relaxante; quę quidem materia non aliam agnoscit originem præter caput, & ventriculum; caput quidem quod ex *Hipp. lib. de gland.* sedes est frigidi, ac glutinosi, ventriculus verò qui ex Gal. est omnium cruditatum mater; vndè ob maximam quæ intercedit inter has partes synthimotia ad inuicem morbos faciunt, ventriculus euaporando, & congerendo materias eidem capiti obest, caput & transmittendo, & vapores densando, & denique ob læsam alteratricem congerendo ventriculo mala suppeditat, indèque haud miror anorexiam adesse; intus enim existens prohibet extraneum; vnde *Hipp.* & *hoc sanè intus manens alimento contrarium est, ipsumque violat*: ob idque pariter non raro spiritus malè olet, cum id dicente *Sennerto* ex cruditatum copia promanet quæ corruptionem nanciscuntur; caput verò obleditur tum recipiendo, tum ob materiæ retentionem, quę frigida, & humida existens ob analogam discrasiam memoriæ labilitatem facit, cum enim tam ingenium, quàm memoria ex cerebri duritie quadam, vnàque siccitate prosurgant, eodem plus, quam par est humectato impossibile est tam memoriam, quam ingenium stabilire; quod cernens diuinus *Platus in Thæteto* humiditatem stabiliuit tanquam memoriæ destructricem; quare iure cum Hip. dicere quibimus caput esse omnium morborum radicem, illud enim dum retinet morbos creat, dum transmittit multa generat mala, vt puta destillationes, fluxiones, quæ prout

in varias partes repunt, diuerſa quoque pariunt pathemata . ſicque haud mi-
ror ſi dum ventriculum infeſtat, ſitim non gignat, cum ſitis non ex pituitæ niſi
ſaltē præſentia gignatur, dum autem vlterius ſeſe inſinuat obſtructiones ſuo
lentore producat, & potiſſimum partibus hypocondriacis, vt videre eſt ex
manifeſtè lyenis, aliarumque partium aſpectabili meteoriſmo, è quibus &
ſubſultus arteriæ aortæ deſcendentis creatur, qui maior, vel minor cernitur,
prout maior vel minor eſt obſtructio, vel flatuum vbertas ab ijſdem frigidis
humoribus enata ad eandem arteriam magis præceps appellit, ſic enim de-
prauatur pulſatio vnaque increſcit, quæ quidem obſtructiones ac pulſatio-
nes videntur formare affectum hypocondriacum, non autem melancho-
liam hypocondriacam, cum mentem haud infeſtent, neque adſit metus, &
mæſtitia præter rationem; de affectu hypocondriaco patet ex eructationi-
bus acidis, ex arteriæ pulſu, ex viſcerum meteoriſmo, & denique ex borbo-
rigmo ſeù ex eorundem hypocondriorum ſonitu, non aliundè vt credo
pronato, quam ex flatuum tranſcurrentium vbertate, nec non etiam & ex ſe-
roſę humiditatis aggregatione facta ob incoctionem, vt volebat doctiſs. *Vall.*
quæ quidem obſtructiones nedum è pituiteo humore naſcuntur, ſed vſto à
lecoris feruidiori craſi pronato, vt videre eſt ex viſus rubore, ex volis ma-
nuum ac pedum calore, nec non etiam & ex calida aliquando capitis ſenſa-
tione; vt propt. haud mirer ſi ex antipraxia ſeu viſcerum inæquali dyſcraſia
& intemperie morbi oriantur tàm varij, tamq; difficiles, vbi namque conti-
nens eſt imbecillum, & contentum excrementitium continuò emergunt lan-
guores, ſicque patet cur illa imbecillitas innaſcatur, cum eadem vel ob labe-
factatum ſanguinem proſurgat, vel ob ſpirituum paucitatem, vel ob caloris
inopiam qui in puriori ſanguine, & ſpiritu ſtabulatur, vndè pariter macies,
non enim impurus ſanguis nutrimentum poteſt præbere proportionatum,
quæ in bracchijs potiſſimum & fæmoribus eò potiſſimum cernitur, cum eæ-
dem partes nimijs ijſque frigidis ſcateant humiditatibus, vndè ob id alimen-
tum nequeunt allicere, à qua pariter frigidorum humorum copia excremen-
ta corporis non benè exeunt compacta, ſed ſero diluta, ni hoc ad ſeroſæ hu-
miditatis copiam ob incoctionem progenitam redigere velimus, nec non
etiam & ob caloris inopiam, è qua penis erectio impeditur, huiuſmodi enim
frigidi humores muſculos ſphyncteres relaxando, & ſpirituum influxum non
admittendo & potiſſimum vitalium vt ait Sennert. eandem penis erectio-
nem impediunt, quamuis non ignorem ad illam requiri flatus ſecundum
quoſdam, ſed falsò vt reor; non enim denego flatuum vbertatem in noſtro
languente, vbi tot viſcera intemperata vnàque debilia comparent, qui ſi ere-
ctionem facerent, quaſi Priapiſmum configurarent, ni velimus aſſerere vir-
gam, & eas partes frigido intemperamento, & humido donari, & cum è ſicco
habeatur induratio, indè nil mirum ſi prohibeatur erectio, quicquid tamen
ſit, quoniam ſumus in inueterato pathemate, virium languor in dies aug-
mentum patitur, humorum adeſt copia, inæqualis eſt intemperies, nerui pa-
tiuntur, coctiones ſunt diminutæ, proindè ne in alium degeneret affectum
adhibenda medela; quę à multiplicem indicationem nobis obiectat, cum
enim adſit materierum copia, eà demenda, inęqualis intemperies eaque
corrigenda, fluxio capitis, quæ reuellenda, exſiccanda, & intercipienda, vi-
ſcerum debilitas eaque roborantibus reſarcienda, flatuum copia quæ diſ-
ſoluenda, & tandem obſtructiones quæ aperiendę.

Erit

Erit ergò non inutile vel præſenti Autumno ſi tempora mores haud mutent materierum copiam deturbare, prius aliquo minorante vt mell.roſ.ſol. ſyr.roſ.ſol.ad vnc. 2. pro ſingulis, & deindè eandem materiam prius tamen præparatam ſyr.de ſ.beton.de ſ.borrag.& mell.roſ.ſimpl.iterum deturbarem eodem ſyr.roſ.ſol.D.Auguſt.manna, & agarico, vt ſimul ſeroſitates, & materiæ craſſiores vnàque aduſtę euacuarentur, à fortioribus abſtinendum, non vt ait Senner.metuendum eſt ne fortioribus à longinguo, & toto corpore vitioſi humores verſus primas vias trahantur, & ibi cumulentur; quod ſi fortè fortuna medicamentum propoſitum nimis leue eſſe videatur, tunc addi poterit portio electuarii lenitiui, vel alterius quod magis ad rem facere videatur; neque enim arbitror ab vna ſimplici euacuatione huiuſmodi materias poſſe ſubuerti, cum ab intemperie vt dixi inæquali præſtò adſit tanquam à cauſſa generante humorum prouentus, ideoque poſt alia pręſtita alterantia pillulas de agarico, cocchias, & elephanginas iniungerem de mane per tres horas antè diem vt iubent *Card.* & *Septall.* ſic enim epycraſim *Galeni* ſeruaremus, & continuam humorum aggeſtionem prohiberemus, arduiſſimum enim eſſe crederem huiuſmodi humorum generationem protinus inhibere. De ſanguinis miſſione non loquar, cum eadem nullo pacto in vſum veniat, tum quia corpus magis debilitatur, magis refrigeratur, adſit præſentia materiarum frigidarum, & viſcera ſint debilia; quod ſi ad Iecoris incendium extinguendum hyrudines venis ſedis velimus affigere, ſummè erit ex *Galen.* proficuum; eoque magis cum non raró Natura eaſdem reſeret, vt ipſe vidi; Nec enim ignoro emiſſum humorem vt ait *Celſus* non ſanare, ſed curationi locum facere, propt.ad fluxionem eſt etiam animus reuoluendus, in morbis enim qui à fluxionibus fiunt, fluxiones primum ſedandæ, deindè id quod influxit, vt volebat Senex *lib. de loc. in hom.* & ſiquidem multum fuerit ſubdebat auctor euacuare, ſin modicum per diætam moderari ac componere; de euacuatione iam verba ſubneximus, reliquum eſt vt de eiuſdem reuulſione, & exſiccatione loquamur, pro qua molienda non alienum eſſe ſperarim chinæ decoctum aſſumere, vnà cum ſalſa, & portione ligni viſci quercini, vnàque ligni ſaxafras adiecta ſandal.citrin.portiuncula ad tollendam Iecoris offenſam; quod videtur ijs calorificis medicamentis obſiſtere, nec ignoro ſalſam ventriculo debili non commendari, cum eadem vim habeat eundem relaxandi, vt omnes ferè auctores ſtatuunt, tamen quoniam ſua habet correctiua non hęc poteſt mala inuehere, eſt enim vt ait *Senner.* ſalſa ſummè proficua cum tenuium partium exiſtens ob id ſudores promoueat, inſigniter exſiccet, putredini obſiſtat, nimiam humiditatem abſumat, & corpus laxet, ob idque idem auctor *lib. 6. par. 4. cap. 13.* ait nonnullos monere ſalſam raró ſolam iniungendam, ſed cum ligno guaiaco, radice chinæ, ligno ſaxafras mixta, exhiberem ergò hæc omnia ſed cum iure ebullita ob languidas vires, vtque viſcerum tonus adſeruetur, quinimò ſi ius Galli bimuli, aut magis veteris exiſteret, adhuc maiores vires inſumeret, nedum pro exſiccanda fluxione, ſed extirpandis pariter obſtructionibus, cumque in affectu hypocondriaco primas partes obtinere videatur; Poſſet ergò Gallus aſſumi, & aliquantiſper euerberatus iugulari, deindè deplumato, exenterato, ac reſectis collo, alis, ac pedibus poſſet impleri cichor.cum radic.meliſſa, borragine, bugloſſa, capill.Veneris, gramine, cetrach. agrimonia, additis cort.citri, menth.viridi beton.cum ſem.fænic.aniſ.& ſimilibus addendo chinæ rad.dra.1. ſalſæ paril.dra.5. ligni ſaxafras ſcr. 2. colatu-

ra sumi posset per multos dies; quod si eidem iuri frustum chalybis ignitum extinguere ter vellemus (non amplius ne deperdita parte Mercuriali & sulphurea potius adstringeret) non absonum esset, sic quoque pro intercipienda fluxione non inutile crederem ceratum affigere suturæ coron. derasæ, sed confectum ex trochis. de Kar. corall. rub. mastiche, & therebint. sic enim nec euaporationes ad caput traheret, nec caput impleret: sic quoque pro ventriculo roborando præstitis debitis euacuationibus ceratum ex tach mach summè probarem, addita laudani portione, & alijs quæ videri possent ex vsu, quemadmodum pro reuellenda fluxione inustiones commendarem tum cruri dextro ventriculi Iecorisque gratia tum bracchio sinistro capitis ratione, ambæ enim hæ partes vt & hepar sunt idiopaticè oblesæ, atque ideò præcipuam curationem requirunt, quamuis sympathiam inter se quoque cognoscant: quod si per hæc parum profecerimus non absonum crederem exhibere vinum absynthites, quod summis præconiis à *Gal.* donatur, tum pro deobstruendo, tum pro corrobando ventriculo, tum denique pro euacuando, cum supponatur præmissa euacuatio phlegmatis, quod in ventriculo stagnans absynthium videtur renuere. Sic quoque confici possent tab. præstitæ cum conf. ros. vet. sp. aromat. ros. Diarhod. Abb. trochis. de rhab. sacch. eu. sic quoque vsus aquæ Tettutianę optimus erit, cum eadem purgandi vi polleat, atque insimul roborandi; sunt qui Theriacam, mitridatum, aliasque confectiones commendent; quas nec ego aliquando improbarem, cum roborare possit, & insimul exsiccare nimias materias quibus refertur, quemadmodum pro roborandis crurib. fæmoribus, & brachiis vnàque resoluenda materia, quæ sensim à capite in neruos illabitur possemus easdem partes inungere, aquæ vitis portione cum ol. vulp. cost. de nuce myrist. & similibus, vel euaporationes celebrare, vel vinacea adhibere, arena, luta, balnea artificialia vt sulphurea, & aluminosa, sic enim sperarem posse nobilissimum languentem à tanta symptomatum syndrome arceri, hæcque paucula dixi vt eidem arridere viderer.

PRO ILLVSTRS. ET REVERENDIS. D. PAPIRIO *Siluestro Maceratæ Episcopo dignissimo affectu Hippocondriaco Lacessito.*

CONSVLTATIO XXIII.

VEntriculus quidem si vel leuissimo pathemate exerceatur, aut diuturna officij vacuitate reddatur ignauior tota corruit statim atque labascit naturalis œconomia, *qualis enim terra arboribus* dixerat diuinus *Senex talis venter animalibus*; vndè meritò *Q. Serenus* eundem Regem nuncupauit, vt facile sit agnoscere cur in Illustriss. nostro languente aciditates emergant, fiant incoctiones, anxietates subsultent, & alia mala prosiliant. Ventriculi enim facultates dum suo haud benè munere funguntur omnia hæc possunt conuocare pathemata, eoque magis si caput, & Iecur reddant ad oblædēdū consocialia, vt in nostro casu videre contingit, tunc enim noxam obeuntibus primis visceribus facilior negotio ad malum conspiratur, Iecur enim non aliter stabilitum

bilitum est, quam vt calore suo venarum εματωσιν promoueret, quemadmodum à *Gal.* dictum est ventriculum contegere, vt suo calore ventriculum foueret, primigenio tamen, sic enim ex eodem 4. *de vsu par. cap.* 8. ventriculus ab hepate calescit, cibaria verò ab eodem ventriculo calefiunt; vnde nil mirum si cruditates emergant, dum enim ventriculus ab hepate calorem aduētitium ascicit, primigenio sui calore viduatus cruditates producit; quamuis non ignorem vt bene doctiss. *Vannotius in suo tract. de aq. salmacina* ventriculum absque Iecoris incendio posse refrigerari, sicqne απεψιαν efficere, quæ omnes morbos apta est configurare, à qua si homines cauere possent vt idem asseuerat *Gal. lib. de bonit. & vit. succ.* morbis haud tenerentur; est autem cruditas ab alimento vbi crudum permanet, & alterationem quæ fit à particula iuxtà naturam uon assumpsit, ni velimus cum eodem asserere 4 *de sanit. tuen. cap.* 4. cruditatem esse humorem crudum, qui ob coctionis defectum perfectionem non est assequutus, in ventriculo quam assequi debebat, hanc autem cruditatem ventri[c]ulus producit, vel quia imbecillis, & lęsus in alterando, vel quia intemperatus, vndè morbi fiunt varij, vt puta vertigines si fiat αναθυμιασις seu ad caput euaporatio, ità vt circumrotando spiritus animale, vertigos innascatur; indeque doctissimus *Duretus in Coac.* dixit eandem fierì à turbulento motu, eoque pręstito à spiritu flatulento, sicque cernimus ventriculum capiti suum pręstare consensum, ita vt continuis euaporationibus ansam prębendo non raró vertigines ingeminet, aliquando dolores accersat, non raró animum turbet, & (quod magis est infensum) perennat bõbum, vel Echo pariter in auribus, cum is non aliunde promanet quam è spiritu flatulento, seu crassiore vapore, ex crassa plerumque & frigida materia resoluto, quamuis *Gal. 2. de rat. vict. in acut.* 43. dixerit huiusmodi sonitum fieri vel ob spiritum flatulentum in capitis partibus genitum, vel ob vaporũ multitudinem sursum latam, vel ob sensus acritudinem; *Leonardus Iacchinus in 9. Rhasis cap.* 23. dixit cum *Aris.* esse aerem quendam congenitum in auris cauitate, qui sane non motus sed quietus manens potest sonos omnes externos qui ex motione aeris externi fiunt percipere, motus verò vel ab infernis vaporibus caliditate, & tenuitate mobilibus existentibus, vel à flatuosis spiritibus ex materia in cerebro crassa, & viscida genitis, qui per arterias reuoluti ad aerem quietum deuenientes ipsum dimouent vnde sonituum caussæ; quorum diuersitatem nasci cognoscimus; primo ex natura congeniti aeris, secundo mouentis materiæ natura, nam ille vel turbidior est, vel crassior vel tenuior, sic materia illa aut crassi flatus naturam habet, aut tenuis vaporis vel exhalationis, ex crasso enim aere fragorem fieri sancit, vt ex flatu mouente, secus autem ex tenuibus, subditqne ex tenuissimo fieri sibilùm, ni velimus cum alijs ad duplicem caussam huiusmodi tinnitum redigere, nimirum ad facultatem audiendi & ad obiectum aliquod internum siuè materiam, à qua facultas illa eiusque organa moueantur; sicque nonnullos dixissé cernimus facultatis vitium in sensũ nimis exquisitio consistere, cum enim aer congenitus intus à validiore agitatione quiescat, si leuis aliqua impulsio siue à caussa interna, siue externa contingat, auditum acutiorem illã sentire statuunt; acris autem illius auditus caussam statuunt esse calorem partis modnm excedentem, quo aer congenitus facilè impellatur, *Auic.* huius fá[c]ultaris vitiũ in eius debitaté consistere autumauit, qua facultas ob δυσκρασιαν partis à qualitatibus omnibus siue primis, siuè secundis promptè afficia-

tur, atque ita etiam vel quodam leuissimo sono cum molestia & offensione percellatur; ni cum alijs dicere nobis arrideat id pendere ab humoris in capite inundatione, vnde fluctuationis cuiusdã sensus auribus offeratur; quicquid tamen sit nè longior quam par est videar, ad duo huiusmodi tinnitum referrem, nimirum ad auris facultatem nimis sensibilem, & ad obiectum vaporosum nempè, ex qua pariter uaporum exuberantia vertiginem non raro nasci statuendum; qui quidem potius ab infernis partibus emergunt, cum continuum haud creent affectum, sed interpolatum; ij namque dum in gyrũ circinant spiritus animales vertiginem pariter accersunt vt superius diximus quamuis à capitis idiopathiam non exploderem, cum videam sonitum esse pærennem aurium; vertiginem autem ab infernis partibus fieri non denegarem; vapores enim siue ipsi ab externa caussa motionis initium sumant, seu ipsi ex se sua sponte vt est vaporis natura moueantur, & humores simul moueant calidos, & tenues, seu vapores illi soli possunt huiusmodi motum in ipsis quoque spiritibus efformare; fit enim (ait *Iacchinus*) circularis motus, seu ad latera quod per vasa sursum lati, vbi ad solidiores partes peruenerint quibus motus sursum impeditur, necesse est in latera eos moueri; qui sanè vapores tunc maiores exiliunt, cum videl. maior materierum vbertas vel in capite, vel in partibus hippocondriacis substiterit, vapor enim ex *Gal.* sicut & flatus 3. *de loc. aff.* nil aliud est quam humor extenuatus, isque in nostro casu vel ab imbecilli ventriculi calore in crudam materiam agente pronascitur, vel ab immodico, & preternaturam Iecoris, vt propt. haud mirer in Illustriss. languente perennes persentiri sonitus, seu borborigmos à flatibus pariter pronatos, per innolucra, & hyppocondriorum amphractus transcurrentibus, quamuis ii non raro inter lienem, & ventriculum potissimum contineantur, atque ob id dixit *Auic.* 3. *collig.* 40. affectum hyppocondriacum sine lienis communicatione raro generari; ni huiusmodi sonitum seu fragorem in ichorositates redigere velimus ob incoctionem progenitas, easdemq; vel in septo transuerso stagnantes, vt docuit *Hip. lib. de virg. morb.* vel circa lienis, & ventriculi capedinem vt alij, vel in ramis venæ portæ, & arteriæ celiacæ, ac mesentericæ, qui ab hepate ac liene ad ventriculum, & vicina loca tendunt ut uoluit Senner. uel tandem ut uoluere alii in omento: hocq; uoluit *Iacotius* dum in *Coac.* dixit borborignum fieri à flatu cum aliqua humiditate coniuncto: quæ sanè ichorositates sunt etiam causę cur uidel. metuat, mæreatque præter rationem; quod quidem expressit *Senex p. de diæta tex.* 35. dum dixit hos plorare nemine molestante, formidare non formidanda, tristarique in rebus nihil ad se pertinentibus: hæc autem aquositatis vbertas vel à ventriculi incoctione promanat, indeque doctiss. *Senner. lib. 3. parte 5. sect. p. cap.* 4. hippocondriacos dixit aquosam hanc humiditatẽ congerere cum male cibos concoquant, nec in bonum chylum, vnde acidus ructus, cum ille videl. vel ob frigidam ventriculi intemperiem, ob quã cibi non benè concoquuntur, vel ob vitiosos humores in ventriculo, vel alijs partibus cumulatos, sicque putat Senner. aliundè frigidam materiam in ventriculum transfundi, & potissimum in hypocondriacis; *Pareda* existimat illum accidum ructum ab ichoribus fieri melancholicis ad uentriculum descendentibus, ut propt. reciproca quædam malorum generatio sit, dum lien prauum sanguinem nutriẽdo uentriculo suppeditat, atque ab eo sursum malum chylum accipit, ut proinde dixerit *Alex. Aphrodis: sect. p. problem. Areteus lib. p. de caussis, & signis chron.*

chronicorum & auctor *lib. de reſpir.* lienem eſſe ſanguificationis organum, in hoc præparari & excoqui venoſum ſanguinem, quamuis id à doctiſſimo Laurentio reijciatur: quamobrem nil mirum à liene affecto aquæ vbertatẽ prouenire, nam ſi verum eſt, quod Ariſ. aſſeuerat *lib. 3. de part. animal.* lienẽ trahere à ventriculo excrementum, illudque conficere, haud mirandum eodem laborante, minimeq; excrementum commutãte tot excrementorum fieri prouentum, è quibus omnia mala poſſunt emergere, vt putà caloris ſenſus, & obſtructiones; obſtructiones quidem cum eædem à craſſo, lento, viſcidoq; humore prodeant, hoc ab hepate feruidiori progenito, illo verò & à capite & à ventriculo nato, quæ quidem partes omnes idiopathicè læſæ cernuntur, cõgerunt enim excrementa, quæ partim tranſmittunt, partim & ob impotentiam retinent, & ob imbecilitatem, ac earundem ſynthimoriam recipiunt; nil mirum ergò melancholiam hypocondriacã fuiſſe productam, cum *Gal.* eandem rudimenta à crudítatibus habere ſtatuerit; Nec ignoro à *Zacuto lib. 7. cap.* 8. in dubium fuiſſe reuocatum an affectus hypocondriacus ab oſtructionibus conſurgat, ſiquidem *Diocles* eaſdem tantum cognouit in meſeraicis, nam ſanguis hoc loco craſſior factus, aũt quiuis alius humor terreſtris poteſt obſtruere, tunc enim pertinacius inhæret, & hoc modo à pylori calore flammeo durior redditus obſtruit, argumento eſt quod alimentum corpori non diſtribuatur, quare hippocõdriaci ſunt pallidi, decolores, extenuati, non enim nutriuntur, quia alimentum ob internas harum partium obſtructiones ad membra aptè non penetrat; Alij verò non ſolum in meſeraicis obſtructiones reponunt, ſed etiam in pancræis, meſeraicis, liene, hepate, & ſimilibus, è quibus etiã caloris ſenſus, ſubindè non raro ſentitur, prout illæ vel maiores, vel minores exiſtunt; Neque enim cenſendum caloris illum ſenſum è phlegmonoſo tumore prodire, ſed quodam feruore immodicoque calore, ideoque præfatus *Zacutus* dixit veteres ac priſcos illos auctores huiuſmodi calorem ſolitos eſſe inflammationem vocitare, ſubditque iſtum affectum eſſe quid inflammationi ſimile; quod ſi phlogoſim dixiſſet, ſatis magis rem expreſſiſſet, quicquid ergò ſit, proculdubio omnibus ad curandum arduus exiſtit, quia ex antipraxia manat pathema, & quia ex inæquali minera proficiſcitur, indeque dicitur à nonnullis in his eſſe intemperiem in viſceribus impreſſam, & ſatis radicatam, quam euellere ſtatuunt arduum eſſe: vnaque laborioſum, ſic ſubdit *Zacutus*: ſi calida applices, igneſcit Iecur; ſi frigida, tonus partium naturalium eneruatur, indeque maximo iudicio incedendũ eſſe dictat rei ratio; Cum ergò dixerim adeſſe viſcerum inæqualem dyſcraſiam, vnaque imbecilitatem, hancque congerere materias heterogeneas, vſtas ſcil. & humidas, e quibus fluxiones, & flatus innaſcuntur, & obſtructiones emergunt, & ructus acidi, ideò materia genita euacuationem indicat, viſcerum inæqualis intemperies, & imbecilitas alterantia monſtrat, & roborantia, fluxiones interceptionem, auerſionem, & exſiccationem, flatus ipſorum diſcuſſionem manifeſtant, & obſtructiones tandem aperientia, quibus omnibus ſcopis ſatisfacere non eſt admodum facile. Quicquid tamen ſit omnis lapis mouendus, vt ſanitas Illuſtriſſ. noſtro languenti procuretur, ob id ante omnia debito tamen accedente tempore euacuationem aliquam molirer ad deturbanda illa excrementa quæ in primis vijs ſtabulantur *Ventrium* enim *abundantia* dicebat *Hip. turbationes ferunt*, ideoque

Cur pallidi [illegible]

prima leniens aliquod medicamentum exhiberem, quale esse posset syr. ros. sol. D. Aug. mel. ros. solut. ad unc. 1. 5. vt subinde materia debitis apozematibus ex syr. de pomis, de s. borrag. & mel. ros. simpl. possemus denuò materias intimius stagnantes euacuare ijsdem syr. ros. sol. D. Aug. cum additione mannæ, elect. Diacatth. & Agar. trochis; sic enim materiæ crassæ, tenues, vstæ, & à capite, & ventriculo profluentes euacuarentur. De sanguinis missione ne verbum facerem, cum simus in sene excarne, macie cõfecto, pallore saturato, & melãcholico, ideoq. potius hyrudines venis sedis affigerẽ, eæ enim, & sãguinis fęcẽ deturbant, & reuulsionem à distantissimis apertib⁹ prestãt, & euẽtilationẽ faciũt, nullũq vel saltẽ exiguẽ afferũt viriũ dispẽdiũ, illud tamẽ adnotãdo vt & internis, & externis applicẽtur, vt videl. ramus hepaticus vnaque splenicus respiciatur; sic quoq. pro reuulsione materierum ad caput appellentium inustionem iniungerem dextro cruri, quamuis alteram sinistro bracchio adhibere non absonum esset, vt scil. caput, & sympathicè, & idiopathicè oblæsum inueniatur, quamuis non ignorem protopathicum languentis affectum Iecoris esse, deuterophaticum verò caput, ventriculum, & reliquas partes hyppocondriacas, cœterum quoniam nec ad dubitandum ex leuibus hisce pharmacis nihil nos vtilitatis expectatur, nisi ventriculũ roboremus, propt euacuatis humorib. ceratũ aliquod affigerem ex tach, mach, laudano, & similibus, sicut inunctiones, stillicidia, fotus, & alia; sic quoque vinũ absythites maximè commendarẽ, cum *Gal.* illud maximoperè comprobet in meth. sic ad obstructiones reserandas, & flatus discutiendos accedendũ, proindèque deuenirem ad ius galli veteris à quo essent relecta coll. alæ, & pedes, illũque varijs implerẽ, & quæ viscera roborent, & quę refrigerent, & flatus discutiant, vnàque fluxiones, si quæ sint, pariter exsiccent; adhiberẽ ergo borragineam, buglossam, flores cord. endiuiam, lupulos, fumariam, cichor. cum rad. capill. ven. gramen, tetrach, mentham viridem, betonicam, absynth. pont cort. citri, sem. fænic. anis. cum duobus caryophillis addita tamen chinæ portione, sic enim omnes adimplerentur scopi, & ego asseuerare queo multos me solo huius galli vsu in meliorem statum redegisse, quinimo si in eodem iure bis vel ter Kalybs extingueretur, optimum esse crediderim. est enim chalybs melancholicæ hypocondriacæ verum alexipharmacum; sunt præt. qui aquę Tettutianæ vsum probent, quam ego lubenter admitterem euacuatis tamen nimijs materijs; neque ignoro doctissimum *Claudinum* illas in hisce affectibus hypocondriacis improbare, eò quia siccandi vi polleant, hanc tamen exsiccationem in nostro casu non esse molestam autumarem, cum corpus scil curandum habeamus nimijs excrementis refertum; sunt præt. qui maximopere (vt *Possidon.* apud *Gal.*) laudant serum, alij verò balneum aquæ dulcis, quæ duo vt semper optima existimaui, ita in nostro casu laudarem, ni languor virium, pituiteæ materię illuuies, & ætas annosa nobis inhiberent, quamobrem potius medicamentis lenibus incederem quàm aliter, cauendo ne dum affectus eneruare intendimus necem Illustrissimo languenti accersamus; vnum tamen medicamentum propositum deserere nequeo, illudq; est sæpius adhibere mel ros. & oxym. simplex & quandoque dum non adsunt materiæ in ventriculo syrupum de cort. citri vel quod prę reliquis probarem esset oxym. illud à doctissim. *Zecchio in suis consilijs* paratum, quod est sequens: ℞. beton. menthæ virid. saluiæ, florum an-

thos,

thos,an.p.i.cariophyl.cinnamomi an.ſcrup.1.cort.citri rec.drach.2. miſ. & bull.in ſ.q.aq.beton.ad conſumptionem quartæ partis aquæ, deindè colentur, & cum aceto,melle,& ſacch.f.oxymel.ſ.à quo vtatur tribus dieb.continuis per tres horas antè prandium; hoc enim oxymel præter quam quod materias in ventriculo ſtagnantes incidit, roborat etiam caput vertiginibus obnoxium,& ventriculum;hæc ergo ſunt medicamenta quæ potui proponere plura tamen allaturus ni occupationes,quibus detineor, arcerent; Hæc ergo quæcunque ſint nil profutura ſpetarim,ni par victus ratio iniungatur, de qua nullum verbum affero,cum ſciam à doctiſſimo curante ad amuſſim iniungi,faxit autem Deus vt omnia ſuum finem experiantur; Vale: meque inter tuos minimos numera.

PRO DOMINO GREGORIO INTELuerio affectu Hypocondriaco preſſo. *Ad doctiſſimos Medicos Neapolitanos.*

CONSVLTATIO XXIV.

DVm noſtri *Galeni* dogma pluries prolatum mecum ipſe rependo, errores nempè in ſanitate commiſſos ad ægritudinem, in ęgritudine autem ad mortem viam ſternere; haudquaquam inhæreo ſtupori, dum noſtrum languentem ętatis triginta circiter annorum, pituitea veſtitum craſi intueor innumeris languoribus obnoxium,multis enim erroribus commiſſis tum in viuendi norma,ob eſum bottrorum multorum, fructuumque horatiorum,tum in Venere,tum tandem ob moram ſub dio, Natura reddita fatigata eundem in morbum conuectauit, & potiſſimum in vniuerſi corporis, & ſpatularum dolorificum ſenſum non aliundè pronatum vt mihi ſuaſum habeo,quam è capitis fluxione;*vix enim*(aiebat *Valleſ.*) *eſt vnquam vllum morbi genus quod non poſſit Venus nimia facere; nam facit malignas ſuccorum putreſcentias,& omnium partium principum debilitates,& neruos emollit, & fluxiones commouet & cruditatibus replet.* Fluxio autem hęc quamuis Venerem agnoſcere queat,exprimens tamen frigus illudque ambiens non explodit; caput enim dum nimia humorum excrementitiorum mole onuſtum cernitur, illam vel facultate expultrice exiſtente valida, vel eadem mole ſuppuncta, vel tandem ab ambiente calido,vel frigido colliquante illo, hoc autem exprimente expreſſa vt dixit *Hippocrat.*in infernas partes corriuans dolorem generare in variis potuit partibus.dolor enim ait *Hippocrat.* aut prop.valdè exſuperans,aut imminutum fit, qui quidem dolor quoniam ſuperficialem capitis partem vt *Fernel.*autumat obſidebat, indèque corporis peripheriam occupabat externos corporis artus per multum temporis interuallum anxit, preſſit,extorſit;proh dolor: At oblita mox natura illius itineris, intrò ſeſe recolligens,perque venas,& arterias,indeque per ęſophagum prolabente fluxione,& Iecur,& lien,omneſque partes hypocondriacę eodem humore excrementitio, & viſcido(à capite in frigidam, humidamque dyſcraſiam a acto ob ambiens frigus) imbutæ in molem proſiliere, indèque materiæ viam ſibi pręcludentes obſtructiones emerſere, vndè manifeſtus harum

partium aſpectatur meteoriſmus, indèque ſtypticitas emerſit validiſſima adeo vt naturæ ſatisfacere nequiret, orta ſanè vt credo primum à Venere, cum coitus ex *Hipp.3.epid.* ea quæ ſunt in ventre duret, *quoniam* vt ait *Valleſ. mixtio ſeu congreſſus venereus cauſſa eſt analoga nimiæ exercitationis, ſiccat enim, & commouet totum corpus, atque inſuper manifeſtam euacuationem coniunctam habet, ità fit vt ſiccet alui faces niſi tamen adeò ſit multa, vt deijciat facultates coquendi*: quod ſi ad Venerem ſimpliciter id redigere nolimus, eò quia continua ſit huiuſcemodi ſtypticitas, dicatur id ſanè contingere, & euenire, tum facultate expultrice læſionem ſubeunte, tum in obiecto vitio exiſtente, facultate quidem dum impeditur obſtructis inteſtinis à pituita viſcida, vel à Iecoris feruore in anguſtias redactis; obiecto vero dum humor eſt nimis viſcidus, & craſſus, & fortè bilis expers, à ventriculi languido parenchymate, & imbecilli primigenio calore genitus, vel quando fæces ſunt nimis duræ ob aduentitium hepatis calorem humidum excrementorum abſorbente, qui quidem calor non aliundè ſibi aſciuit originem, quàm ex obſtructione & Iecoris, & lienis, venarum meſeraicarum, & aliarum partium hypocondrijs adiacentium, cum ex *Theophraſti* antiquo dogmate aduentitium cauma è conſtrictione potiſſimum profurgat, non ignotans conſtrictionem eſſe ab obſtructione diuerſam, quamuis maximam inter ſe retineant analogiam; conſcius quoque & illam calorem quoque poſſe progignere, vndè & febris, ni velimus flammam illam à Venere fuiſſe conceptam, cum *Venus* dixerit *Hippoc. lib. de diata calefaciat, attenuet, & humectat*; calefaciat propter laborem, & excretionem frigiditatis, attenuet autem prop. euacuationem, humectet propter colliquationis reliquias in corpore pro labore vt dicebat idem *Hippoc.* indeque haudquaquam mirandum ſi febris emerſerit, tum ob Veneris vſum vt dixi tum ob obſtructionem naturalium artuum ſeù viſcerum affectu hypocondriacum configurantium; cuius non immemor *Senex lib. de loc. in homine* hæc dicit: *Febres porrò propt. fiunt, quum corpore ſuperinflammat carnes intumuerit, & neque refrigeretur quicquam neque humectetur, neque aliud quid ſubeat*; febrilis autem ille calor quo preſſus fuit noſter languens Tertianariam configurauit periodum, duplicem effigiauit Tertianam, cum quotidie accederet, vnaque fortè dies altera fortior eſſet, ortam ſanè ab humorum heterogeneorum vbertate vſto ſcil. & bilioſo, à Iecore pluſquam par eſt feruido genito, pituitoſo autem à ventriculo, capite humidis, vnaq; frigidis, ideoque nil mirum ſi diuturnitatem inuexerint, cum dicente *Gal.* morbus ſi ad pituitam pertineat, neceſſario diuturnus erit; & quamuis multa tunc temporis doctiſſimi huius Vrbis Medici adhibuerint, accerſitus ego vt omnium minimus febrem adinueni, obſtructiones rebelles, viſcerum imbecillitatem, plumbeumque colorem; vndè euacuationem reiterans ad obſtructiones animum dirigo, illasque iuribus alteratis cum Iecur refrigerantibus, roborantibus caput, & ventriculum, & obſtructiones reſerantibus dirimendas propono cum Kalibis extinctione, quibus adeò melius ſe habuit vt penè conualuerit, nec aliud per annum haud amplius paſſus fuerit: cæterum quoniam morbi ex paruis occaſionibus reuiuiſcunt, & magni diuturnique fiunt, propt. multis erratis commiſſis, nulloque in viuendi norma ordine adſeruato in morbum non ſemel impingit, manifeſtiſſimum obſtructionum, errorum in victu, & viſcerum dyſcraſiarum omen vt volebat *Gal.* quæ quidem dyſcraſiæ cum continuò congerant alterumque alteri vt

aie-

aiebat *Gal* quod superuacuum est à se pellat, indè morbus accedit, vt non sit mirandum *Hipp. lib. de nat. hum.* non in putredinem febres, aut mala redegisse sed in separationem; *Ægrotat* aiebat, *quum horum quid minus, aut amplius fuerit in corpore, & non per se steterit, necesse est enim non solum eum locum vndè secessit morbidum fieri sed etiam eum in quo stat, & in quem propter nimiam copiam diffusum est dolore ac morbo vexari:* quare nil mirum vomitum materierum crudarum vnàque viscidarum per tres horas a cibo excitari, vomitus enim præterquam quod in repletionibus excitatur, nedum humorum vbertatem indicat à ventriculo genitam, sed ventriculi vitium, & imbecillitatem, vna cum obstructionibus venarum meseraicarum, vt superius innueram, quamuis non explodenda sit cerebri synthimoria superfluos humores in ventriculum transmittentis, proindèque hic non admittam pylori clausuram, siquidem tunc temporis chylus quoque eijcitur, cum nequeat permeare vt benè adnotat doctiss. *Senner.* & cum eo *Anton. Beniuenius*, aut ventriculi malam conformationem, cum aliàs nunquam id passus fuerit, neque tumorem aliquem, sed solum venarum myseraicarum obstructionem, præter alias hepatis, & lienis, dum enim in distributione chylus existit, cum permeare iam nequeat inde præstita ἀναρρωπία viam versus superiora affectat, atque indè vomitum excit materierum viscidarum, quæ ob coctionis defectum perfectionem in ventriculo non sunt assequutæ; sed cruditatis & apepsiæ soboles facillimè morbos excitant: indèque non immeritò dixerat *Gal. 4 de sanit. Tuen. cap. 4.* huiusmodi exsuberante in nostro corpore humore plumbeo colore, palloreque languentem referri, nam vt alias dixit: color similis efflorescit humoribus, ni asseuerare cum *Iacotio* velimus sanguinem ex Iecore prodeuntem impurum in totum corpus comportari, ideòque colorem in cute illucere albicantem, subcitrinum, & pallidum, vt in nostro casu contingit, ægroti enim facies nullo vnquam rubore saturatur, sed perpetuo pallore refertur, plumbeamque refert imaginem, & non raro velut in cachexia tumet, non aliter vt credo; *ventris enim torpor omnium confusio* vt aiebat *Hipp* & vitium quod in prima coctione committitur, vix amplius resarcitur vt dixerat *Gal. li. de loc aff.* indèq; flatus emanant, cum ijdem & languidum vendicent calorem, & pituitæ vbertatem, quamuis non ignorem calorem maximum posse flatus progignere vt alias explanaui; coctiones ergo cum non benè fiant, sanguis labe fędetur necesse est ità vt sit nutricatui ineptus, indèque cum vitioso partes nutriantur sanguine bene sese habere, & rectè suum officium exequi nequire explanarat *Senner.* sed viscidas illas materias progignentes copiaque ventriculum vellicantes vomitum illum gignunt, & quod magis negotium facessit atro sanguini, & in grumes conuerso consocialem, qui quamuis indigena (vt doctiss. *Dureti* verbis vtar) ventriculi caussa esse possit anastomosi aliqua in eius venis existente, de aduena aliarum partium aut hepatis, cerebri, aut lienis non est minimum dubitandum; hepar enim vt ait Iacot. oppressum tum multitudine, tum crassitie sanguinis quem continet illum ad ventriculum expellit, indèque huiusmodi sanguinem manare ab ipsis visceribus posse non vererer, ex his enim locis sanguis ἀναρρωπὰς in venas quæ in ventriculi membranis inseruntur plerumque redundet, Iecur enim oppressum tum sanguinis multitudine, tum prauitate vt in nostro casu contingere crediderim tunc necesse est in aliquam propinquam partem perueniat, qui cum ibi constiterit, aut concoquetur,

aut

aut corrumpetur, in nostro languente corrumpi censerem cum niger illuceat,& in grumos conuersus; quamuis ratione nigritiei lien eundem possit transfundere, cum eius sit conditio nigriorem sanguinem subiectare; neque ob id à ventriculo tanquam caussa indigena eius emanatio est excludenda, quæ vel erosis à materia aliqua acri, vel apertis venis tussiendi impetu per uomitum erumpere queat; at cum nunquam sanguinis conditionem inspexerim non ità facile de uiscere undè manat pronunciare ausus fuerim; satis sit præsentem casum esse existimandum; *sanguis* enim ut aiebat *Aretæus omnium color, omnium calor, omnium alimentum, terroremque incutit sanguinem vtcunque ab ore manantem intueri*: proptereaque priusquam morbus ulterius sese insinuet extirpandus, eoque potissimum cum immineat hydrops insanabilis morbus dum confirmatus existit; proptereaque cum quattuor dixerim concurrere ad hunc morbum efficiendum, humor pituiteus & viscidus, fluxio à capite, viscerum ἀντιπραξία & obstructiones, quadruplex quoque insurgit indicatio, euacuandi materiam genitam, prohibendi fluxionem, prohibere materierum generationem, viscera roborando, & temperando, & tandem obstructiones reserando.

Quoad euacuationem eadem non vnica vice moliendà, idcircq. minorante aliquo medicamento non erit inutile eandem celebrare, vt melle ros. sol. ad dra. i v. cum iure, vt subindè præparata incisaq. materia oxymel. simp. syr. de s bet. & s. borr. denuò ad aliud pharmacũ possimus deuenire, vt ad species hyeræ simpl. Gal. Diacatthol. vnàq. mannæ portionem; cæterum quoniam hæc non satis prodesse crediderim, ni caput tanquam fluxionis originem respectemus, propt. illud pillul. de agar. elephang. & aggregatiuis repurgarem; sic & errhina, & apophlegmatismata commendarem, Vomitus hic proficuus esse posset, quamuis vomitu laboret, quoniam vt aiebat Hippoc. per similia morbus fit, & per similia morbo adhibita curatur; quia tamen caput prohibet, & periculum est ne nimis ventriculus alioqui imbecillis relaxetur, tutius erit alio præsidio incedere; neque interim alienum erit ad exsiccandam materiam à capite descendentem chinæ radicem adhibere cum cort. ligni guaiaci, sand. citrinis, & modico ligni saxafras ratione ventriculi imbecillioris, quibus si addatur sandalorum citrinorum portio non erit absonum, dummodo hęc eadem in iure aliquo bull. addendo in fine ebullit. borraginis, endiuiæ, melissę, beton. menthæ, cort. citri an. parum; sic quoque pro intercipienda materia ceratum adhiberem in syncipite: Pro auersione autem inustio esse posset ex vsu vel in occipite, vel in bracchio, quemadmodum si aliam in crure gestaret ratione partium naturalium non esset absonum: Interim ad roborandum ventriculum, atque insimul expurgandum Tettutij aquam maximè commendarem, quemadmodum vinum absynthites, vt & mitridathum, & theriacam; Gal. laudat diatrion pipereon, vel loco illius poterunt præscribi tabulæ ex sp. arom. ros. Diarhod. Abb. plyris Arcot. trochis. de rhab. sp. trium sand. cum conf. ros. & sacch. q. s. pro qua etiam explenda ventriculi roboratione ceratum aliquod adhiberem, aut stillicidium ex rebus roborandi vi præditis, nec ob id obstructionum immemores esse debemus, pro quibus delendis iniungerem ius paruæ pullæ cum rad. cichor. gram. capill. ven. cetrach. aspa. rag. fænic. assaro. sem. carthami, borrag. melissa, buglossa, & quatt. sem. commun. maior. adiecta portione menthæ uirid. & beton. cum sem. anis. fænic.

ad-

addendo ſyr. capill. ven. de pomis & de duabus radic. vel poterunt formari
ſyr. magiſtrales cum iiſdem herbis addita portione agar. polipod. & ſenæ,
quod ſi per hæc parum proficere videamur non alienum erit chalibe præ-
parato vti. vt ℞. ſp. arom. roſ. Diarhod. Abb. ſp. trochiſ. de rhab. an. ſcrup. I.
limaturæ chalybis prepar. & in tenuiſſ. puluerem redacti ſcrup. ij. ſacch.
albiſſ. in aq. ſcolopendr. diſſol. vnc. ʒ. ſ conf. in tab. quarum dra. I. detur per
tres horas antè cibum; quod ſi has tabulas nolit aſſumere, poterit & forſan
melius adhibere ſtillatitium chalybis: ſolent duo alia maxima præſidia in
hiſce caſibus proponi, vt ſerum, & balneum aquæ dulcis, quæ quoniam
multa contraindicant, ideo eadem miſſa facio: hoc vnum aduertendo vt
optima victus ratio ſeruetur, proindeque victus ſit tenuis, facilè coquantur
quæ aſſumit, & quam minimum flatuoſa, quinimò ſi pro lymphando vino
aqua ex coriandro, vel ligno viſci quercini vteremur, optima eſſe poterit,
atque hæc ſit ſatis dixiſſe.

PRO DOMINO ORATIO ROMITO *affectu hypocondriaco preſſo. Ad Dominum Cæſarem Scarnatum, & Scipionem Tophanum Medicos eruditiſſimos.*

CONSVLTATIO XXV.

TAm manca fuit relatio, quam ad me miſiſti, vt quid proferre, quam ferè
non habeam, nihilominus ex paucis his quæ vidi, tria mihi videntur
in hoc morbo exiſtere quæ præſenti morbo anſam ſuppeditant, viſcera
nempè intemperata inæqualiter, heterogenei humores, vnàque flatus, &
tandem viarum anguſtia à craſſis lentiſque humoribus pronata vnàque a-
ductis, his à Iecoris feruore congenitis, illis autem à ventriculo, & capite
vt flatus à diminuto partium calore, atque ex crudorum præſentia, qui ſanè
dum in varias partes corriuant, dum commeatum habere nequeunt ten-
ſiuum dolorem producunt, & per interualla maiorem; quamuis perennis
ille doloris ſenſus fixam aliquam ſupponere poſſit materiam, & potiſſi-
mum vſtam, vnàque pituiteam, quæ obſtructionem fortiorem in liene
fouens dolorem pariter ibidem conſeruat, vnàque perennat, nil enim ait
Valleſ. magis facit ad citam iudicationem, quam libera habere hypocon-
dria; & quamuis in noſtro languente ſiniſtrum videatur oblæſum, non
ob id tamen moleſtiæ tollitur ſenſus; non enim bene *Ariſtot.* 3. *de part ani-*
mal. dixerat non niſi ex euentu lienem eſſe neceſſarium; vndè *Eraſiſtratus*
eandem fruſtrà conditum eſſe promulgauit; non inquam, ſiquidem
Alex Aphrodiſeus ſect ſecunda problem. Aretæus libro primo de cauſſis, & ſignis
chronicorum lienem adeo fuiſſe neceſſarium dixerunt, vt ſanguificationis of-
ficinam eſſe crediderint, quod tamen à multis reijcitur, & potiſſimum a
Gal. qui lienem ad fæculenti ſanguinis expurgationem à natura fuiſſe con-
ſtructum cenſuit; proptereaque hunc ex aduerſo hepatis locauit, vt craſ-
ſa, ac lutulenta ſuccorum illuuie hauſta per ſplenicum ramum inſignem à
portæ trunco, & cauis hepatis purior ſanguis redderetur, vndè cum idem
craſſior euaſerit, & impurior, lien obſtructionibus, & ſcirrhoſis tumoribus
pre-

prehenditur, vt ait *Gal.* non ratione substantiæ: subdit *Andr. Laur. Rara enim est, & fungosa instar solidioris spongiæ aut leuioris pumicis non ratione vasorum, amplissima enim sunt, ergo ratione contenti humoris, qui si tenuis esset, obstructiones, & scyrrhos non pareret,* hocque docuit *Gal. 13. meth Iecoris* (inquit) *substantia scyrrhis maximè est obnoxia, vt pote quæ naturaliter lutorum quidpiam continent, lienis verò rarior est substantia, quàm Iecoris, sed scirrhosis tumoribusque sæpiùs affligitur ob alimenti speciem*: vt non immerito cum *Hip. Salius dixerit 4. de morb. tex. 14.* caput scil. & lienem esse maximè morbis obnoxia, hæ enim partes tum ex alieno, tum ex proprio ægrotant humore; etenim præter id quod ipsa sunt caua, venæ ad has partes tendentes sunt amplæ, & crassæ, vndè leui negotio nō tantum proprias, sed & alienas materias in se ipsas aut recipiunt, aut recondunt, à proprijs autem tum ægrè habent, cum plus quam opportunum est, huc accesserint, ab alienis autem cum hæ admixtæ partes familiari humori eundem à propria natura immutauerint, indeque has partes prauè alterauerint, sicut in nostro casu contingit, vbi nedum humor crassus, & fæculentus lieni negotium facessit, sed ille humoribus pituitosis, atque à capite descendentibus admixtus, non tamen ob id portionem eorundem à ventriculo transmissorum denegare debemus, hi namque humores sunt ij qui aditum præcludunt, atque obstructiones producunt, quæ nedum in liene existunt, sed alijs partibus hipocondriacis, vt puta Iecori, mesenterio, & alijs, ità vt affectum æmulentur hipocondriacum, vt patet etiam ex rugitibus, acidis ructibus & alijs; quicquid tamen sit quoniam ex Auic. dolor est de maximis prosternentibus virtutem, propterea & dolori demulcendo, & caussis tollendis est animus reuoluendus, quæ cum tres potissimùm sint, triplicem nobis præbent indicationem, humor enim excrementitius sui ablationem indicat, intemperies alterationem, obstructiones apertionem, & denique dolor qui sui ablationem desiderat: flatus dissoluendo. Scio quoad primum explendum scopum de euacuatione eandem multoties à doctissimis viris summo consilio fuisse celebratam, cæterum quoniam adest inæqualis intemperies quæ se habet vt caussa generans, propter epycrasis seruanda, vndè quamprimum eundem, materijs, quibus scatet repurgarem præmissis tamen syr. vt subinde ad aliquod alterans, quale esse posset ius aliquod alteratum, vel pipionum, vel paruæ pullæ, vel galli veteris, quo ego fateri possum vicisse vel contumacissimos morbos eneruatos, Tria alia solent commendari pro hoc affectu nempè balneum aquæ dulcis, serū, & chalybs; quæ si obstructiones nimis rebelles; & vires, non prohibeant poterunt administrari; De sero videtur esse maior difficultas, lien enim dū potissimum afficitur videtur omne serum respuere, cæterum illud respuitur ab homine à natura lienoso, quod *Hip* etiam declarauit *lib. 2 de morb. mul. tex 12.* vbi habet: *si verò natura fuerit lienosa, aut flatuosa, & exanguis neque serum, neque lac bibat sed purgantibus infernè vtantur*: sic cernimus *Hip* decisse *in epidem.* vbi ait *Si hypocondrium distentum fuerit, comprimere manu, & lauare aqua recedentis à lacte octo cotylas bibendas dare*; quamuis ego dicerem *Hipp.* in lienis affectionibus improbasse serum ad alterandum, non autem purgandum; sicque videmus in hoc casu Hip. commendasse octo cotylas, dat enim magnam quantitatem vt purget; sed vt ingenue fatear nunc à sero abstinerem in nostro languente, cum simus in actuali dolore, venter multis turgeat humiditatibus, flatus exsuberent, vires langueant vt scribitur, quod si

hæc omnia mitigari videantur, tunc sane poterit serum administrari sed refractum cinnamomo, & similibus; sicut chalybs, & balneum; quod tamen mihi nunc temporis videtur posse prodesse esset vsus hyrudinum venis sedis, modo vires permittant, & inustio in crure, quoad dolorem sedandum possent fieri fotus anodini, inunctiones, & similia quæ breuitatis gratia sileo; victu interim vtatur tenui, facilis coctionis, vinum bibat bene limphatum, optima enim diæta poterit fortè si non conualescere, saltem melius habere.

PRO PERILLVST. ET ADM. REVER. D.D. CAROLO DE PETRIS *Affectu Hypocondriaco aliјsque symptomatis lacessito, Ad Dominum Liberatorem Chiotam Medicum eruditissimum.*

CONSVLTATIO XXVI.

IN multo naturam semper contristari, in mediocri autem gaudere dixit ad miraculum vsque *Sanctus Isidorus*, ex hoc enim natura multas morborum sortes profligat, ex illo multa mala experitur; vnde meritò dixit *Gal.* nimium quod est reprehendo semper: sicque ex mediocri euacuatione *Hipp.* dixit & potissimum sanguinis hemorroidalis homines non tentari neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagædena, neque furunculis, neque therebinthi formam habentibus, fortasse neque lepra neque alijs: ex immodica dixit *Æt. tetrab.* 4. *serm.* 2. *cap.* 3. ægrotantes de vita periclitari cum ob excedentem euacuationem perfrigeratum hepar aquam intercutem operatur: quod deprompsit à *Gal.* qui 3. *de natural. fac. cap.* 8. dixit ex hæmorroidibus immodicè profluentibus ad extremam frigiditatem deuenisse ægrotantes ac sæpe in aquam inter cutem incidisse; quod fieri ait *Senner.* si affluxus modum excedat; sicque meritò doctiss. *Iacot. lib.* 4. *Coac. sect.* 2. *coac.* 21. dixit: *etenim cum fieri incipit, hemorroides prosunt, quia a superficie & centro corporis melancholicum, & atrabilarium humorem in venas recti intestini deriuant, cum verò facta est, & penitùs infixa hemorroidum fluxio morbi malignitatem sequitur potius, quam naturæ expellentis robur*: vt in nobili nostro languente contingit, primo enim morbi insultu harum venarum apertio à natura præstita prodesse iam poterat, cum nimia sanguinis exsuperantia euacuaretur, at crescente euacuatione omnium symptomatum quibus ingemiscit, caussa esse iam potuit; ob idque fortè dixerat *Gal.* 4. *aphor.* 25. non esse assuefaciendum ei quæ fit per hemorroidas euacuationi, vt potè quæ immoderatam habeat vtramque immoderantiam, siue in totum supprimatur, siue in totum excernatur, quod ab initio potuerit prodesse iam patet, quia sanguis ater euacuabatur: vndè doctissimus Duretus ansam dicendi desumpsit euacuationem hanc posse prodesse donec euacuetur sanguis niger, vnaque fœculentus, alias verò euacuationes esse periculosas; & merito, dum enim sanguis niger emittitur signum est metaptosim fieri, quæ est laudabilis, vbi verò alius humor epygenesim indicat, quæ fit primis visceribus intemperatis, vnaque talem fluxum perennantibus; ob idque dixerat *Iacot.* vt hemorroides aliquid vitiosæ materiæ educant, affectum

tamen ſanare haud quaquam poſſunt, manente totius mali fomite, hinc *Duretus in Coacis* p. 219. 10. dixit: *Sed & hemorroides per metaptoſin obortæ vacuando, retrahendo, & detrahedo rheuma concitatum atque conſiſtens, ipſamque morbificam cacochymiam & impuritatem vaſorū expurgando propugnationem & ἐπανωρθωσιν, affert hemoptoicis, peripneumonicis, pleuriticis, melancholicis, fanaticis, nephriticis & varicoſis, vt vitia lienis, & cutis prætercam*; ſed ea lege tamen vt μεταπτωσιν idest tranſitum, vel ſua ſponte ſe prodant, vel artificio Medici, nam quę per epygeneſim, & ſympathiam feruntur tantum ab eſt vt aliquid opis afferant vt grauioribus damnis augeant, quid mirum ergò ſi nedum euacuato atro ſanguine ſed etiam rubeo, & per longiſſimum temporis interuallū omnes partes ſint redditæ imbecillę, vnaque aliquam ἀτονιαν ſortitæ, è qua tanquam è Pandoræ vaſe omnia mala proſiliunt, vt puta corporis pallor, debilitas, rugitus ventris, incoctio, flatus, & cachexia? dum enim viſcera deſtituuntur proprio genio calore nempè viuifico, qui in ſanguine & ſpiritu manet totam corporis machinam ſubuertit neceſse eſt; eoque potiſſimum ſi ſanguis rubeus, in quo maximè calor conſiſtit; qui vt à doctiſſimo viro dicitur ſemper in noſtro languente ſubſequutus eſt ad atrum; non alia ratione vt credit *Iacotius* niſi quia contingit aliquandò, vt eo humore, qui prauus eſt, excluſo, ſanguis vtilis & naturæ familiaris ſequatur, vbi vena tempeſtiuè non clauditur, ſed diutius aperta manet; ni velimus aſserere cū *Rondoletio* & aliis duplices eſse hæmorroidales venas externas, & internas; has humorem melancholicum, & atrum reiectare, illas ſanguinem magis excoctum; *Curtius* in hæmorroidibus per vtraſque venas ſanguinem excerni perſuadet rarò tamen per ramos venæ portæ, qui hi non propter expulſionem ſed propter attractionem fabricati ſunt à natura, hoc tamen reiicit doctiſs. *Pereda* qui videri poterit; quicquid tamen ſit ego cum *Iacotio* aſserem huiuſmodi ſanguinem rubeum euacuari, & eſse ſuccedaneum atro, quia depleto hoc, ille neceſsariò ſuccedit; vel ob copiam, vel ob qualitatem, ob copiam ſicque fit anaſtomoſis, quę potuit in noſtro caſu contingere tum ob inordinatam victus rationem, tum ob vitam ſedentariam, ob qualitatem ab humoribus prauis congeſtis ſicque fit diæreſis: ob idque crediderim *Hip. lib. de hemorroid. tex. p.* dixiſsæ: Hæmorroidum morbus hoc modo fit, cum bilis aut pituita ad venas recti inteſtiui decubuerit, ſanguinem qui in venis eſt calefacit, caleſcentes autem venę ex vicinis venulis ſanguinem attrahunt, et vbi replentur interna ſedis pars intumeſcit, et capita venarum ſupereminent, & partim dum, à ſtercore exeunte comprimuntur, partim dum à coaceruato ſanguine coguntur ſanguinem eiaculantur, atque hoc maximè quidem vna cum ſtercore, aliquando verò etiam ſine ſtercore, quamobrē ſi bilis & pituita hūc morbū facere poſſunt, ſic quoq. viſcerū inęqualē atteſtātur intēperiē vt in noſtro caſu cōtingit, ventriculum nempè refrigeratum, & Iecur nimis feruidum, hoc & primigenij ventriculi calorem abſorbens, & vſtos humores progignens nedum hemorrhoidum fluxui anſam ſubſternere potuit, ſed & obſtructionibus, ſicut ventriculus, exuberans multis humiditatibus iiſque, & craſſis, vnaque ad partes hypocondriacas demandatis & flatibus & iiſdem obſtructionibus anſam dare potuit, cum illi à debili calore, nec non etiam & à frigidis materiis ortum ducant, hæ à craſſo, lentoque humore gignantur; è quibus pariter reſultat calor ob conſtrictionem, vndè & pulſatio ſi rectè memoria recolo Arteriæ

Aortæ descendentis, adde quod ab eodem calore diminutus emergit primigenius nedum ventriculi sed hepatis, vndè & sanguis emergit serosus, qui facillime defluit,& multis serositatibus progenitis cachexia consurgit, sicut prauus color ob sanguinem labe fædatum;sicque duo videntur in nostro casu negotium facessere, & venarum hemorroidalium anastomosis, & affectus hypocondriacus illa ab anastomosi venarum orta quæ incipiens delitescere non adeo nos sollicitat; hic ortus ab obstructione vt dixi partium hypocondriacarum, sed potissimum hepatis, quod obstructum clarè videtur ex manifesto eiusdem meteorismo; ideoque ex diaphragmatis compressione consurgere potest illa anhelitus difficultas, quamuis aliqua possit è capite destillatio eandem fouere; præt.id pariter patet ex ructibus acidis, ob ichores vt aiunt nonulli melancholicos ad ventriculum descendentes, qui pariter lædere coctionem videntur, quod tamen ego ad incoctionem ventriculi redigerem ob eius frigiditatem prestitam,sique non rarò circa hypocondria percipitur caloris sensus, id non cum *Pereda in adnot. Paschalij* referendum est ad humorem melancholicum in venis ventriculi obstructiones facientem, vnàque putrescentem, quem dicit præfatus auctor Dioclem nomine inflammationis, vocitasse, sed posse fieri absque putredine, ex simplici obstructione.

Quicquid tamen sit,cum inæqualis eaque antiquata adsit intemperies, viscerum reperiatur fere ατωνια, principium cachexiæ, & malus corporis habitus, vnaque immineat hydrops, protine morbus hic in hydropem degeneret,ad curationem veniendum; quæ multos nobis proponit adimplendos scopos,primò euacuandi materiam genitam, secundò prohibendi nouam generationem, tertiò reserandi obstructiones, quartò fluxum hemorroidum reddere; ideoque quoad euacuationem summopere commendarem præ reliquis minorare materiam in primis viis stabulantem melle ros. sol.syr.ros.sol D. Augustini ad vnc.1.ſ.pro singulis; vt postmodum possimus præparare materiam nouæ euacuationi destinandam; darem ergò syr. de ſ.beton. de eupat.de fumar.cum pauca portione decoctionis vt sit vehiculum,& deindè vterer manna syr.D. Aug.cum portione Diacatthol. agar.& rhab.inf.in aq.cichor.valet enim summè rhab.nedum ad deobstruendum, sed ad compescendum hemorroidum fluxum; habet enim quandam vim stypticam,qua potest corrigere fluxum,vnaque bilem euacuare, quam Auicen.in hemorragijs purgandam esse cupiebat, quod sane per hanc euacuationem morbus tollatur,tūc vterer rad.mechioac.& sc alappæ cum iure in quo bullierit cinnamomi parum.Quoad sanguinis missionem cum multa, siat,quæ illam prohibeant vt virium languor,cachexia & hepatis refrigeratio,ab ea abstinerem, & si ratione reuulsionis eundem mittere velimus ad vnciam mitterem non amplius; Interim ad prohibendas intemperies, nec non etiam & ad obstructiones reserandas, atque insensibiliter euacuandum vterer iure vel paruę pullæ, vel pipionum, vel tandem galli veteris in quo bull.mentha,vir.beton.cort.citri.sem.anis.fænic.borrag.bugloss.cich. cum rad.capill.ven.& similia, à nimis attenuantibus medicamentis cauerem, quippè cum immineat fluxus, & sanguis sit redditus admodum serosus,non videtur posse frenari ab vsu nimis attenuantium; quod si ventriculi ratione velimus adhibere lignum saxafras in pauca tamen qnantitate non improbo vt Tu quoque commendas vir doctissime, quod tamen præ

alijs laudarem, esset vsus chinæ, quæ videtur ratione tenuium partium quibus donatur vt ait *Petronius* reserare obstructiones, & insimul fluxiones, ac serositates exsiccare, sicque etiam medebimus hemorroidalium venarum fluxui; cuius pariter est habenda cura, non enim nec constringendus, nec dilatandus venit, sed naturę negotium committendum; cernimus enim historiam Eudemi in larissa cui cùm fuerint curatæ hemorroides intempestiuè vt ait Valles. mors accessit; sic de Alcippo 4. *epid.* dicit *Hipp.* eundem habuisse hemorroidas, prohibebatur curari, curatus insanijt, febre acuta superueniente cessauit: subdit Valles. Tantoperè reformidat *Hipp.* hemorrhoidum curationem, vt dicat aphor. 12. sect. 6. Hemorroidas sananti diuturnas, si non vna seruata fuerit, periculum est tabem, aut hydropem accedere, & sanè meritò timet. nam in omni euacuatione supprimenda periculum est redundantię eius quod solebat euacuari, hac verò solet euacuari deterrimus, & feculentus sanguis, maximum ergò periculum erit, *vtpote ex pessimæ materiæ detentione*: ego tamen cum *Galeno* semper animaduerterem an vires labantur necne, siquidem si virium lapsum intueamur, curandum esset supprimere etiam si restent superfluitates, sin minus cauendum ab euacuationis, & potissimum consuetæ suppressione, atque ob id lib. de hemorroid. *Hippoc.* nullam relinquit, quia supponit inconsuetam esse euacuationem, in lib. aphoris. vnam relinquit ob assuetudinem; quicquid tamen sit in nostro casu naturæ negotium vt dixi committerem, quippe cum euacuatio incipiat quoquo pacto frenari; Quoad reliqua medicamenta quæ à Te doctissimo viro proponuntur nempè quoad balneum aquæ dulcis, serum, & chalibem; quamuis non ignorem hæc omnia esse antidota affectus hypocondriaci, nihilominus quoniam plura sunt quæ contraindicant, quam indicent, propt. ab eorum vsu abstinerem, ni vires recreentur; obstant enim multa vt virium languor, viscerum *atonia*, serositatum, non ichorum vbertas, principium cachexiæ, ventriculi imbecillitas, & tandem iteratus fluxus per venas hæmorroidales, quamobrem potiùs roborantibus incedendum quam alijs, sicque ego post omnia supradicta adhibita medicamina, si color ille cachecticus vna sequatur, ad Tabulas deuenirem ex sp. cyphoid. Diacurcumæ, trochis. de rhab. cons. ros. vet. additis sp. arom. ros. sic quoq; inunctiones ex ol. de absynth. amygd. dulc. stillicidia, & quod præ reliquis est ceratum affigerem orificio ventriculi ex tach mach. vel mastiche; interim uiribus reassumptis ad aquam Tettutianam confugerem; quæ quamuis à doctissimo *Claudino* improbetur in affectibus hypocondriacis ob siccandi uim qua pollet, in nostro casu haud uidetur improbanda, cum scilicet egeamus aliqua exsiccatione ob serositatum ubertatem. Hæc ergo mi Chioca habui quæ dicerem in Tui confirmationem, interim tuę sunt partes de uictus ratione uerba subnectere cum sciam à Te ad amussim seruari; Vale hac die 20. Maij 1647.

PRO

PRO NOBILISSIMA MAtrona Aquilana affectu hypotondriaco cruciata.

CONSVLTATIO XXVI.

NIl vtique æquè perniciosum nostris corporibus potest vnquam contingere quam non habere hypocondria ab omni labe immunia, cum eæ namq; partes pręcipuæ existant in nostro corpore, sequitur vt ijs aliqua caussa oblęsis graues consurgant affectus; quod cernens *Hippocrat.* dixit *lib. de nat. hom text.* 19. *Morbi qui à fortissima corporis parte fiunt, grauissimi existunt, etenim si isthic vbi initium sumpserint, permanserint, necesse est fortissima corporis parte laborante totum corpus laborare confluxio enim vna* (alias dixerat) *conspiratio vna, consentientia omnia*; proindeque haud mirandum nobilissimam nostram languentem tot affectibus lacessiri, cum enim ipsius hypocondria non leui materiæ infarctu fatiscant, eaque crassa à ventriculo debiliori congenita, vnaque vsta ab eodem Iecinore procreata vias præpediendo obstructiones produxit, dolorosum genuit pathema non flatuum expers, ijsque obortis tum à frigidis materiis, tum à calore naturali debiliori reddito à Iecoris feruidiori calore, ni hunc met caussam efficientem declarare velimus, agentem tamen in materiam crassam; cum enim venter nequeat superior materiæ fieri flatum gignit, hocque voluit *Hippocrat.* cum *lib de affect. text.* 44. dixit: *Quæcunque quidem venter superat, ea neque flatum exhibent, neque tormen, si verò venter non superarit ab his & flatus, & tormen, & alia huiusmodi fiunt*, quod confirmasse visus est *Gal.* 3. *de Nat facult* inquiens: *Ventriculus enim cum pro sua natura se habet, ac constrictoria virtute vtitur, quamuis exiguum sit quod in se continet, totum id vndique complexus nullum vacuum relinquit locum; quum imbecillis est quacunq parte complecti assumpta non valet, ac proindè laxum quoddam spatium efficit, permittitque ea quæ in se continet humida ex alio in alium locum transire ac fluctuationum sonitus edere*, *Amatus Lusitanus in 4. cent.* sibi difficultatem tritam proponit; nam si à meseraicarum inflammatione morbus hic fit, quomodo flatus oriuntur, quia flatus à diminuto calore oriri solent, sed in inflammatione ingens, & consumens reperitur, ergo: Respondent nonnulli quod dum viget inflammatio, non adsunt flatus, sed in inflammationis fine, quia tunc calor paruus est, in cibaria, vel chylum agens à quo flatus eleuantur, exemplum est quod vere, & autumno venti plures quam æstate, vel hyeme sentiuntur, quia vere, & autumno calor diminutus est, qui vapores eleuat, sed non consumit: hanc responsionem reijcit *Amatus Lusitanus*, primo quia *Gal.* negat hunc morbum fieri ab inflammatione, sed asserit fieri potius à calore excessiuo & immoderato venarum meseraicarum earundemque obstructione à sanguine crasso, ex quo sanguine & chylo saltem per contactum hærente fumi ad ventriculum, & inde ad caput ascendunt. Secundò quia non est verum quod in fine inflammationis vigeant, cum omni tempore probentur; Respondet ergo *Amatus Lusitanus* cum *Gal* ab atra bile fieri euaporationem, quæ humor est, non autem carbo ignitus, cui cibaria si non commiscentur saltem hærent, ex quorum miscela fumi eleuantur atræ bilis naturam sapientes ad quos consequuntur accidentia melancholica sed

præ-

præcipuè præcordiorum fluctuationes; cæterum Lusitanus nimis laborat in re nimis clara, quid enim inhibet calorem vel inflammatorium posse flatus gignere? nonne cernimus in febribus mille flatus erumpere? quid inhibet quin ex nimio calore attenuentur humores & potissimum crassi? quod videns *Iacot. in Coacis* dixit: *Cum enim humor crudus, & crassus vel in capite, vel in medio corpore continetur, à calore quidem valdè infirmo in spiritum flatuosum solui minimè potest, à vehementi exactè attenuatus in vaporem abit in insensibiles meatus; ab eo autem qui nec vincit, nec vincitur. vt à calore febrili concalescit primum, deinde in flatus vertitur turget, atque effusus feruet*. fit enim in feruore partium attenuatio: quare à nimio feruore coniuncto cum materiis crassis fieri possunt flatus, qui transcurrentes per hypocondria borborigmum faciunt, indeque emergunt illæ fluctuationes, vnaque flatulentæ eructationes, hæ namque perpetuò cruditatum sunt soboles, vt *Gal.* dixit 3. *de sympt. causs.* per hæc verba: *Iam verò solet flatus in ventriculi spatiis oriri, quum vel humores pituitosi illic contenti, vel cibi in vapores ab imbecilli calore soluuntur*, quod perbellè confirmant *Vetruuius lib. 6. cap. 6.* & *Vegetius lib. 3. cap. 3.* dicentes boues cruditate laborantes sæpe eructare; Hoc igitur flatulentum excrementum si per os excutiatur dicebat *Gal. loco cit.* ructum efficit; qui pariter nedum in affectu hypocondriaco qualis est hic nostræ languentis solet videri, sed in affectibus hystericis, proptereaque dixerat *Senex*: *Plurimæ hystericæ passiones flatus, signum ructus &c* hi enim videntur omnia mala congerere, vt iure dixerit *Hippoc. Is enim & vitæ & mortis solus est auctor*: quid ergo mirandum si nostra languens tàm sæpe doloribus elangueat flatibus istis vberrimis existentibus, qui dum vstas, vnaque crassas materias in eorum met consocialitatem trahant faciliori negotio dolorem intendunt, tum grauando partes hypocondriacas earum materierum crassitie, tum easdem tendendo flatuum impetu, tum obstructiones augendo, quæ è sui natura dolorem sunt apta facere; propt. *Gal. 7. aphoris. 52.* hepar aiebat intensè nimis nonnunquam dolere ob eiusdemmet partis obstructionem, quamuis id non rarò contingat ob eiusdemmet Iecinoris nimium excedentemque calorem, ob facultatem alteratricem, quę scil. intensè calfaciendo sanguinem, & pituitam sanguini commixtam obstructionem fouendo dolorem pariter fouet; quod pariter à debili expultrice non rarò consurgit haud valente quod sibi est infensum expellere, atque ex hac caussa etiam consurgit calor, dum enim calor diffundi nequit, sed intus conclusus, constrictus intenditur, vel quia vt vult Senner. ibidem nimirum in hypocondrijs sint conclusi humores feruidi, & calidi, non ità tamen vt inflammatio indè consurgat, hoc enim ab *Auicen* reijcitur *fen. 1. lib. 3 tract. 4. cap. 9.* in quo *Theophili* opinionem citat, sed phlogosis nunc in vna, nunc in alia parte, non enim puto huiusmodi affectum semper easdem partes infestare sed modo has, modo illas; quamuis *Mundinus in sua Anatomia*, vbi de mesenterio agit dicat huiusmodi affectum ex melancholia aggerata fieri in mesenterij glandulosis carnibus: *Amatus tamen Lusitanus centur. 4* dixit hunc morbum aliquando fieri in miseraicis venis, quandoque in ipso liene, nonnunquam in ipsius ventriculi pyloro; propt. si è doloris situ sedes affecta non rarò dignoscitur dicendum nostram languentem laborare affectu hypocondriaco, sed oblęsis hepate potissimum, liene, & ventriculo, cum circà has partes doleat, sicut videre est ex symptomatis quoque mutatis nimirum ἀνορεξία, ἀπεψία, ructu acido, & similibus, quam-

quamuis non ob id reliquas partes explodam.

Quicquid tamen sit cum dolor ex *Auic.* sit de maximis prosternentibus virtutem, isque ex primariorum viscerum nedum dyscrasia, sed obstructione pendeat, propt. antequam vlterius serpat affectio, vel in deteriorem morbum commigret cachexiam nempè vel hydropem, medelæ incumbendum, quamuis non ignorem cum *Celso* longum morbum quem penitùs insedit, quoad difficultatem pertinet acuto par esse; auspicabimur ergo curationem ab euacuatione, quæ in omnibus prima esse debet, sed potissimũ ab obstructionibus quę diuretica omninò seiungunt antè euacuationem; ideòque cum adsit oris amarities quæ ex *Gal.* bilem inę ventriculo ominatur, antè omnia eandem leniente aliquo deturbarem, & potissimum syr. ros. sol. cum portione mellis ros. sol. vt subindè iniunctis syr de s. borrag. lupul. & acetosi simpl. possimus deuenire ad tale pharmacum ℞. syr. de polipodio, ros. sol. an. vnc. 1. sel Diacatthol. d v. i. rhab. el. inf & expres. in aq. lupul. agar. trochis. pariter inf. & expres. an. dra. 1 dec. cor. cum sena q. s. mis. f. pot. cap. quoad sanguinis missionem, *ait Sennert.* cum humores morbi caussę in venæ portæ ramis consistant, si eæ eodem modo vt venæ cauæ rami passim in corpore aperiri possent, commodissimè per eas cum sanguine vitiosi humores euacuarentur, verum ea commoditas non datur, nec vllus venæ portæ ramus ad extrema corporis pertingit, nisi hęmorroidalis ad intestinum rectum pertingens, hic ergo si aperiatur affectum hunc felicissimè curat. quicquid sit venis hemorroidalibus hyrudines adhiberem, cum simus in muliere satis annosa, atque admodum languida: Quo præstito medicamento ad obstructiones deuenirem vnaque ad intemperies eneruandas, pro quibus scimus prodesse summoperè diuretica, sic apud *Hippocrat.* legimus in epid. Bionem habentem splenem in giberum elatum, & durum, quiuè cum abundè minxisset superstes fuit, & quamuis *Galen.* dixerit nullum esse iter à liene ad vias vrinæ, inuenit tamen vt vult *Hippocrat.* Natura sibi vias, quas Medicus reperire non potest; vterer ergo sequenti syruppo per octo dies vel plures, cum mulier sit satis in accipiendo delicata, ac respuat quæ nauseam faciunt: ℞. fol. borrag. capill. ven. cuscutæ cetrach, acetosæ, agrimon; lupul. fumar. buglossæ melissæ, cort. rad. cappar. ana parum, sem. melonum mundat. dr. 1. absynth. pont. par. sem. anis. fænic. ana dr. 1. flor. cord. p. 2. mis. coquantur in aqua pura ad lib. 1. in colatura clarificata dissolue sacch. q. 5. bull. ad syr. consistentiam, cuius sumere poterit vnc. 1 5. superbibendo aq. scolopendr. capill. ven; lupul. ana vnc 1; quod si iura amet, eadem maximè laudanda cum fiunt medicamenta in alimento, poterit ergo sumere vel iura pipionum, vel paruæ pullæ vel similium, cum supradictis herbis, sunt qui laudent syruppos, vel iura magistralia confecta cum diureticis, & euacuantibus, quæ quidem, quia motus contrarios operantur, eadem haud possum comprobare, cum quæ per secessum euacuant, reuellant à vijs vrinæ, & quæ trahunt ad vias vrinę reuellant à vijs per secessum; quod si per hæc parum proficiatur, quoniam ad sunt ichores mordaces, quos puto in hepate dolores quoque validissimos producere, non alienum censerem serum adhibere sed destillatum vnaque correctiuis adhibitum, vt cinnamomo, sic enim ventriculũ præter modum languidum haud relaxaret; & corpus refrigeraret, balneũ port. aquę dulcis non potest non commendari cum omnes indicationes

explicat;

expleat; quod si ad nullum horum persidiorum cedat, non alienum erit ad Kalibem vt ad sacram anchoram confugere; quamuis nonulli ab eius vsu horreant, cum calidus sit, & siccissimus, quod quamuis verissimum esse dixerit *Senner.* tamen experientia diutina ait, & multa constare ad affectionem hypocondriam vtilissimum esse, sic *Claudinus* de ingressu *ad infir. in appendice sect.* 2 scribit in curatione melancholiæ hypocondriacæ medicamēta chalybeata sibi nullum par habere; vnde *Mercatus* vt est apud eundem *Sennertum* tantàm ait esse vim chalybis, vt magnosetiam lienis, & vteri scirrhos persanasse sit visus cur autem sit in hypocondriacis tantæ efficaciæ explicat Senner. quia ferrum, & chalybs peculiarem cum humoribus melancholicis, & adustis cognationem habet, atque idcircò eos seu attrahit, seu imbibit, aut cum ijs vnitur subdit: & atram bilem, vt & ipsam melancholiā vitriolatę nature participē, aut certè ei cognatā esse, & ferruginei quid sapere nemo facilè negauerit; quicque analogiam Macrocosmi, & Microcosmi explicant, scribunt quod Mars metallicus maioris mundi, respondet Marti Microcosmi, & custos sit valetudinis eius membri, cui cælitus videtur esse destinatus, quicquid tamen sit si dandus chalybs in nostra languente stillatitium commendarem, facilius enim permeat, & non ità ventriculum obledit, De thermis hic non loquor cum mulier occasionem non habeat, easque pariter respuat; quod tamen præ reliquis commendo est inustio in crure dextro vt scil. & reuellatur materia, & euacuetur quæ in dies cumulatur. De victus ratione non loquor cum eadem benè instituta inspectetur; hæcque sunt quæ potui in hac breui temporis intercapedine dicere.

PRO ADM. REVERENDO DOMINO D. FRANCISCO GONERIO Melancholia Hippocondriaca lacessito.

CONSVLTATIO XXVIII.

Metum, & męstitiam preter rationem duo esse melancholię hyppocondriacæ perpetua omnia explanauit non semel *Gal.* 3. *de loc. aff. cap.* 4. quod Hip. expressit *in aphor.* aiens: *Si timor, & mæstitia longo tempore perseuerent, tale melancholicum est.*: dicebat enim *Arist.* 30. *par. probl.* p. Fit sæpænumero vt angamur, & animo succumbamus, sed cur ità nullam reddere caussam habemus, alias contrà, vt securitate animi gestiamus, sed quamobrem minimè constat; plurium tamen accidentium caussas exponere difficile non esse putauit *Gal.* sic metum, & męstitiam ipsemet *Gal.* reiecit ad atræ bilis colorem, dum mentis sedem tenebris similem reddit. *Hip. lib. de morb. sacr. tex.* 16. dixit: *Si verò terrores, ac timores accedant à cerebri transmutatione id contingit*, cerebrum enim ex eodem *Hip.* plurimam in homine vim habet, ni velimus id ad sanguinem è sua compage dimotum referre, quod intuens idem *Hip.* dixit: *Sanguis qui est in homine maximam partem ad prudentiā confert, quidam dicunt totum; cum ergò bilis commota ad venas, & ad sanguinem ingressa fuerit, sanguinem ex consueta compage, ac motione dinouet, & seorsum facit, ac calfacit*, quod alias cernens dixit huiusmodi symptomata pēdere ab igus-

dum.

dum superatur ab aqua;quicquid tamen sit sicut sanguis purus,& decoctus, lucidus, & diuino quodam præditus colore sicut ex Platonis auctoritate testatur *Gal.4.de vsu par.cap.4.* lætitiæ est caussa sic melancholia sua nigredine,& opacitate tristitiæ, & mætus auctor est cur ille splendore, & lumine oppositarum affectionum origo,& principium non creditur, sic *Auicen.* melancholiam ait fieri permutato spiritu splendido ad tenebras: hincque subdit *Zacutus lib.7.cap.8.* de melancholia ad hanc symptomatum generationem non esse necesse colorem,aut opacitatem agere, sed sufficere spiritum suo lumine, & perspicuitate priuari, tenebrosumque fieri ad hoc vt mens deprauatè moueatur;nam sicut spirituum debitum temperamentum, calidum nempè,& humidum,& eorum splendor atque tenuitas ad lætitiam parat,sic crassitudo,turbulentia,& obscuritas per se procliues ad timorem, & mæstitiam homines reddit,quod probat *Auic.lib.de viribus cordis cap.4.* sicuti enim frigidum siccum temperamentum è diametro humanæ naturæ est oppositum,ità quoque instrumentorum animæ crassitudo, opacitas, seu nigredo naturali tenuitate,spendorique decenti contraria est, proindè ait dictus *Zacutus* meritò naturæ etiam ita erit inimica vt timorem, atque mæstitiam inducat,gaudet enim anima conuenientibus,disconuenientia, aduersatur,& fugit:& quamuis color vt aiebat *Auenr.* non simpliciter actiua qualitas dicatur ait tamen *Zacutus* eundem agere,afficere & immutare, potentemque esse actionis organa vitiare; *Petrus Salius com.2.de morb.* hanc intuens fortè difficultatem dixit: quod sicuti per consensum in eius inflammatione procellitur ex euaporationibus calidioribus & indè delirium continuum incurrit, pari ratione eo ab humore atrabilari deprehenso cerebrum ab atrabilarijs non dicam euaporationibus,sed fumis (fumus enim propriè est is qui ex materia adusta attollitur non euaporatio perculsum) in symptomata incidit melancholica;nam cum horum fumorum qualitas essentiam,& qualitatem humoris ex quo eleuantur cerebro impartiuntur, hinc cerebrum, ac si humore melancholico occuparetur melancholica incurrens accidentia hominem absque ratione mærentem,ac timidum reddit; distinguit tamen duplicem melancholiam,vnamque esse veluti fæcem sanguinis admodum spissi,fæci vini haud absimilis, nullum saporem insignem sibi asciscentis,alteram verò multo tenuioris essentiæ,quæ & vomentibus & olfacientibus apertè acida percipitur,& quæ ratione tenuitatis,& inæqualis essentiæ terram fermentat; sicque à prima melancholiæ forte timidos quidem fieri patientes ac mærentes,attamen segnes, & ferè stupidos; à secunda autem præterquam quod mereant, ac reformident anxios esse, ad quamcumque occasionem expauescentes,desperantes,horribilia,& tremenda imaginantes; subiungit rationem *Salius* quia à prima melancholia quæ ferè naturalis est,vaporationes attolluntur frigidiores, ex secunda quæ aliquem exustionem est passa , & omninò preternaturalis euasit, eleuantur fumi acriores, turbidiores,& tetriores, cuius ratione deteriora ex hac, quam ex illa symptomata emergunt: hacque vltima melancholiæ specie nostrum languentem scatere verendum haud est,dum timet,plorat,omnia reformidat, phãtasmata,& somnia habet horribilia, palpitationes sæpenumero experitur, pulsationem in arteria aorta persensit, ructus habet acidos, & alia experitur symptomata; quæ quidem melancholia, seu vstus humor Iecur nimis feruidum vt sui originem agnoscit, quod nedum ydiopaticè oblęsum esse

Q vide-

videtur, cum congerat, sed aliarum partium & potissimum ventriculi tonum tollendo reliquas partes ad faciendum hunc morbum facit consociales, dum enim ventriculus à Iecore contectus suum nimium probat cauma, fieri haud potest quin sui probet ruinam, multus enim ille aiebat *Arist. in problem.* exiguum ad se rapit; quo primigenio ventriculi dempto calore multæ insurgentes cruditates obstructionibus parant principium, vnaque terminum; hepar enim vel ob imbecillitatem ait Sennert. materiam facilè suscipit, vel ob angustiam vasorum facilè retinet, vel vi caloris attrahit; quod contingit in nostro languente, feruens enim hepar & congerendo vstas materias sibi iter præcludit, & alias à ventriculo, alijsque partibus repetendo ad intendendas obstructiones redditur aptum; ex quibus caloris emergit sensus, sicque *Gal 3. de loc. aff. cap.* 7. scribit hanc affectionem ob alteram caussarum ortum ducere, vel quod sit plus caloris, quàm debet habere, in ijs venis quæ alimentum à ventriculis excipiunt, vndè sanguinem in his crassiorem fieri contingit, vel quod ventriculi os quod intestinis continuatur inflammetur: & quamuis in nostro languente adsit ructus, & flatus, nam vt ait *Auic.* calor extraneus, & aduentitius, qualis est in taliter affectis facit exhalare & calidum innatum, & ipsum debilitat, hincque fit vt superius dixi, vt calore naturali coctionum opifice labefactato sequantur cruditates, ructus flatuosi; sicque vt benè adnotat *SchenKius* pulsatio illa quam maximè manifesta, quæ subter præcordia persentitur, ab eadem calida intemperie ortum trahit, nam temporum arteriæ per febres maximè pulsare docet *Gal. 4. de differ pul. cap.* 1. cæterum idem *Schengius* aliam à se excogitatam vt ait annumerat caussam huius pulsationis. *In mesenterio*, inquit, *plurimas glandulas reperiri omnes consentiunt quas Vesalius vnà cum alijs Anatomicis in hunc vsum fabre. factas à natura scribunt, vt scil. vasis quæ per mesenterium copiosa disseminantur fulcimentum quoddam, ac firmamentum essent, ne scil in magnis, atque violentis motibus disrumperentur; Fallopius* hunc alium ipsis vsum adscribit, vt scil. obstent quominus vasorum ductus comprimatur vel à repletis intestinis, vel à prono decumbente animali, vel compresso abdomine aliquo aliomodo, *Scherghius* ait vtrumque vsum præstare posse, cum spongiosiora, rara, & leuia corpora sint, at si humore aliquo crasso qualis melancholicus est repleantur earum cauitates, fit vt potius comprimant vasa, atque distributioni succorum impedimento sint, replentur itaque in hypocondriaca affectione vt testatur *Mundinus in anatome cap.* 13. cui adstipulatur etiam *Corpus* huiusmodi glandosa corpora humore crasso, atro, & melancholico, assato scil. sanguine, qui in vasis multiplicibus quibus abundat mesenterium continetur ob calidam eius partis intemperiem, verum cum in centro mesenterij grande, glandosum corpus reperiatur, insigniores, ac primas vasorum dissectiones suffulciens, hinc fit vt ibidem arteria magna quæ iuxtà venam cauam per dorsi medium versus sinistram partem perrepit, crasso humore glandoso hoc corpore oppleto, ac reliquis etiam glandibus circumiacentibus eodem modo ex humore melancholico turgentibus comprimatur, sicque nedum ratione calidæ intemperiei, sed etiam ratione compressionis vehementius pulsare in sinistro hypocondrio persentiatur; quæ sanè opinio mihi admodum arridet, videmus enim arterias compressas fortius pulsare; *Gal.* tamen refert in calorem earum partium, quem nec ego exploserim natum ex obstructionibus, sicque *Marcellus Donatus lib. 4. de histor. morb. cap.* 8. resoluit quæ-

stionem

ſtionem cur melancholici multo ſero abundent, Iecinore enim phlegmone obſeſſo, protinus venas quæ in meſenterio ſunt phlegmone laborare neceſſe eſſe dixit *Gal.lib.13.meth.in calce cap.14.* & è contrà etiam malè affectis meſeraicis hepar quoque malè affici non eſt dubitandum, quinimò *Gal.5.de loc.aff.cap.7.* ſcribit meſentericas venas habituali intemperie affectas facilè poſſe hepati, præcipuè partibus ſimis eandem intemperiem communicare; quare cum ſtatuerimus intemperiem calidam præternaturalem in hac affectione in meſenterio reperiri, ex qua naturalis eiuſdem calor debilitatur, indè eſt vt eadem communicetur hepati, vnde ſequatur eiuſdem temperamenti vitium, ſicque lędetur ſanguificatio ità vt aquoſior ſanguis plus iuſto gignatur, præterquam quod & offenſa ventriculo quoque impartiri poteſt vndè cruditates multæ generentur, malèque complectente ventriculo in illo fluctuent, & in inteſtinis etiam, in quibus quoque concoqui alimentum in tranſitu per ea facto teſtis eſt *Gal.4.de vſu part.* vndè pariter flatus, qui ſeroſitatibus combinati, dum in varia inteſtinorum inuolucra traſcurrunt, bombilant, ac velut aquæ fragorem borborigmum vocitatum effigiant. ijdemque flatus dum vlterius appellunt, nimirum ad cordis arterias non raro producunt palpitationem; quam ſitam eſſe docuit Mercatus non in actione facultatis nocuum expellere conantis, vt multi falsò ſunt arbitrati, ſed in motu quodam cordis & arteriarum interturbato, & aberrante à flatu effecto, qui diſtendens & mouens præternaturam cor & arterias ipſas ab eodem corde ſic commotas palpitationem; & inordinatum motum facit haud ſecus quam ex ſolo flatu in muſculoſis partibus contingere ſcimus, credendum enim eſt motum hunc quem in cordis regione palpitationi ſimilem conſpicimus non locum eſſe à flatu factum eſſe tamen palpitationi ſimilem effectum à flatu intertubante motum naturalem cordis, & arteriarum, cum ſeſe mouent ad dilatationem, & compreſſionem faciendam: quicquid tamen ſit quoniam huiuſmodi melancholia diuturna & pertinax eſſe ſolet; quamuis *Auenzoar lib.1.tract.9. cap.de Melancholia* dixerit hanc ſoli cerebro propriam facilem habere curationem, ſi ater humor in arterijs, veniſque cerebri coercitus nondum ad cerebri ſubſtantiam diffundatur, difficiliorem, ſi non modo vaſa, ſed vniuerſam cerebri molem occupet; ideò curatio eſt adhibenda, ſolet enim eſſe contumaciſſimus morbus, milleque ſymptomatis combinatus, quę non rarò ad deſperationem deducunt, adeòque imaginationem deprauant vt maniam gignant; quotne enim videmus ea melancholię feritate ingemiſcere vt alij putarint ſe eſſe è butyro confectos, alios nolle mingere ne orbem ſubmergerent, alios Atlantes eſſe, alios ſerpentem deuoraſſe, bufones, ranas; ſic *Schenghius* mulierem ſe vidiſſe ait, quæ ea imaginatione vexabatur, vt medium manus ſuæ digitum conſtringeret, tanquam in ipſo totum geſtaret orbem, plorabat autem verita ne quando digitum ſuum inflecteret, & totus orbis corrueret, ſic apud *Horat.epiſt vlt.lib.2.* Argiuus quidam credidit in vacuo theatro tragædos ſe audire, ope vero cognatorum ſanatus, queſtus eſt extortam ſibi voluptatem iucundiſſimam, ademptamque mentis errorem gratiſſimum; ſic cuidam (narrat præfatus Scheng.) perſuaſum erat naſum ſibi excreuiſſe in immenſum, atque prodigioſam longitudinem exporrectum ſic vt elephantis probo[scidem] eidem circumferre viſus ſit, qui nuſquam non eſſet impedimento, adeò vt ſub [...]è patinis, vt illi creditum eſt innataret; ſic idem narrat quendam

septem dierum interuallo noluisse comedere, cum arbitraretur se esse mortuum; & ego nobilem Virginem Aquilanam vidi, quę per multos dies nil gustare voluit, sed se esse mortuam, & in inferis sepultam prædicabat, quinimò si quem manuario tormento ludentem cerneret Plutonem illum esse affirmabat, *Lemnius lib. 2. cap. 6.* alium narrat qui opinatus est ex vitro sibi conflatas clunes, sic vt omnia sua negotia, atque actiones stando perficeret, metuens ne si in sedile se inclinaret, nates confringeret, ac vitri fragmenta hinc inde dissilirent; sic alios cernimus putantes se esse Imperatores, alios Cypri Reges, alios esse Deum Patrem omnipotentem; sic ego dum Romæ essem ad visendos apud stultorum Xenodochium dementatos, quendam vidi, qui mirabatur, quomodo alios audiret esse Verbum, cum ipse quamuis Pater nunquam eundem generasse meminerit: qui plura cupiet adeat *Schenghium* nam multas dinumerat; caussam horum accidentium referre est difficile, quamuis nō ignorem alios id ad proprietatem humoris melancholici redigere, sic videmus *Iacotium in Coac.* dixisse, in melancholia contrahi qualitatem quandam ineffabilem, *Zacutus* ait multas phantasias ad occultam melancholiæ proprietatem referendas esse; ego tamen cum *Saxonia* dicerem id contingere quidem ex melancholia, verùm ex frequenti, & assidua alicuius rei cogitatione, vel ex inordinata appetentia, corporis affectu, caussa extrinseca, ex spirituum animalium inordinato motu, vel eorundem impuritate; cæterum quamuis omnes hæ caussę possint varias melancholicorum phantasias peragere; quando agitur de imaginatione deprauata circa vnum obiectum dicerem eandem semper pendere ex continua cogitatione, & diuturna in habitum mutata, sic *Iacotio in Coac.* dixit cum *Aretæo* melancholiam esse animi angorem in vna cogitatione defixum, atque inhærentem sine febre, demum furoris, vel manię initium. subdit *Iacot. Cum tamen semel aliquid apprehensum est in reliquis ferè iudicium constat, quod in furore, aut mania non fit.* Ex frequenti ergo illo actu intentionali sequitur habitus qui est qualitas difficilè mobilis a subiecto, quæ quidem qualitas eò magis radicatur in subiecto melancholico, quò species impressa magis retinetur; hæc ergò sint obiter dicta, ob id redeundum vnde discessimus, solent enim huiusmodi morbi varium habere metaptosim, ac in alios deteriores morbos commutari, sic *Phylosophus* dixit Aiacem & Bellerophontem varia ex hoc morbo incurrisse mala, illum ad insaniam prorupisse, hunc loca persequutum esse; vnde est illud *Homeri*:

Ast hic quando etiam grauior Dijs omnibus
In campis erat solum latos, inquam auia rura,

Ipse suum cor edens hominum vestigia vitans, indeq; tollenda est occasio, & eneruāda caussa; quod *Gal.* respiciens dixit *li. de mel. ex Rufo, & Possid. Oportet autē incipiente morbo mederi, nā inueteratus, & acutus medentis manus respuit*; quod volens confirmare *Alexander Tral. li. 1.* dixit: *Si morbus inueterauerit, & imaginatio in habitum abierit, nil adeò magnum aut ratio, aut aliud quoddam artificium, & ægrum iuuari poterit*, quomodocunque sit ad curationem deueniendum, & potissimum hoc tempore quo ver instat; & quia multa supponimus genitas easque heterogeneas materias, inæqualem intemperiem, flatus palpitationem obstructiones & imaginationem deprauatam propt. euacuanda materia prohibenda alterantibus intemperies, discutiendi flatus, corroborandum cor, & cerebrum, aperiendæ diureticis obstructiones, & remouenda

Ima-

Imaginationis quantum fieri potest deprauatio.

Quoad euacuationem summè laudo syr. de polipod. syr. ros. solut. & mel ros. sol. pro minoranda materia, sicut pro præparanda optimi erunt syr. de s. borrag. de pomis, lupul. addendo dec. commune, quibus assumptis denuò ad purgationem deuenirem, nimirum ad prædictos syr. de polipod. rosat. sol. mel ros. sol. addita manna, & conf. Hamech; sine Scammonio vt vult *Mercatus* interim de sanguinis missione est cogitandum, quę quamuis à multis collaudetur, mihi tamen potius arridet hyrudinum vsus venis sedis; quinimò doctiss. *Mercatus* nedum his venis illas applicat, verùm ventriculi venis, iisdem tamen liuescentibus; sic enim fit euacuatio ab eadem parte; quod si sanguinem è bracchio detrahere velimus, non malum erit, cum omnia hypocondria calore exæstuent, sed in pauca quantitate, tum ratione flatuum, tum ratione serositatum; nec interim ab inustione horrerem præstita in crure dextro, vt scilicet partis rectitudo seruetur; interea de tollendis obstructionibus, intemperie inæquali, & flatu cogitandum, pro quo explendo scopo Mercatus laudat syruppum factum ab *Altomar.* quem quia video multis rebus calidis constare missum facit; ac sequentem syruppum maximè probo. ℞. rad. cichor. gran. capill. ven. scariolæ, cuscutæ ana, m. 1. agrimoniæ, absypth. an. p. 1. sem. melonum, cucumerum, an vnc. 5. sem. fænic. anis. an. dr. 1. cariophyl num. v. coquantur omnia in s. q. aquæ ad tertiæ partis cōsumptionē colaturę adde sacch. q. s. vt f. syruppus, quem capiat de mane per tres horas ante cibum; quod si sura alterata malit assumere, poterit illa cum pipione domestico, vel veteri gallo parare, pleno iisdem herbis quibus supra; & quoniam hic multas serositates adesse diximus; non alienum erit chinæ portionem iniungere, vt in eodem iure chalibem extinguendum imperare; quinimò his omnibus prestitis ad duo potissimum remedia confugerem, serū nempè, & chalybem, quinimo balneum aquæ dulcis etiam præ reliquis commendandum; sero enim *Possidonius* multos persanasse dixit; chalibem *Zacutus* in hisce affectibus multis de caussis commendat, quinimo ait nullum est medicamentum quod melancholiæ flatuosę magis conferat quam chalybs, nam cum ex diuersa natura prodeat hic affectus, exigit medicamina quæ variam habeant, & diuersam operandi vim; hoc enim medicamentum subdit de obstruere calida igneaque vi nam omne metallum igneę est substantiæ, & quò impurius, eò amplius ab infarctu liberat, compescit vomitum, appetentiam concitat, huic, ait, necesse est permiscere roborantia, de obstruentia, cardiaca; cæterum vt liberè fatear ego stillatitium chalybis potius exhiberem, quod facilius permeare posse crediderim; quod si nec hoc prodesse viderimus ad duo confugiendum, nimirum ad balneū aquæ dulcis, & ad aquas thermales, sunt qui passim commendent aquam Tettutianam, quam cum exsiccandi vi polleat, non probat *Claudinus*, ego tamen illam admitterem per spatium quattuor dierum ante & post assumptionem aquæ Nucerianæ, vel Sancti Philippi; interim cordis non immemores esse debemus quod ob flatum palpitat; ideoque præter epythemata satis temperata ne spiritus cordis dissipentur vt notat Mercatus nimis calorificis, vteretur aliquo condito, vt ℞. conf. Hyacinthi dr. 1. el. de gemmis sine speciebus dr. s. margarit. præp. lapid. bezaart. an. dr. v. i. sandal. citrin. scr. 1. cum syr. de pomis f. elect. additis folijs auri. sic syr. de cort. citri, &

de

de pomis, cum anisis, vel ℞. conf. rof. vnc. 1. conf. AlKermes, Hyacinthi an. dr. 1. lapid. bezaart. scr. 1. margarit. pręp. gr. v. i. syr. corr. citri q. v. misc. f. electuarium; quoad deprauatam imaginationem, nempè quoad metū, & mæstitiam, cum non eò deuenerint, vt illam deprauarint penitus, & rebus exhilarantibus, & solitudinum fuga, & suasionibus contrarijs incedendum est, sic enim multos vidimus nedum melancolicos, sed & maniacos versutijs Medicorum liberatos; atque hæc paucula volui dicere in confirmationem eorum quæ dicta sunt à doctissimus viris. Possem multa circa victum dicere, quæ quoniam doctissimus vir curans optimè instituit, omnia silentio contumulabo. Vale.

PRO QVODAM SENE AQVILANO MANIACO.

CONSVLTATIO XXIX.

EX vno animi pathemate omnia mala posse prosilire autumauit diuinus *Plato*, vnde noster *Hip.* animā à curis calescere, & siccari promulgauit, e quo, & melancholicas per vstionem pręstitam passiones emergere, & ab illis maniam dixit *Gal.* nam maniam dixit esse melancholiæ intensionem ad maiorem feritatem; vt propt. haud obstupeam nostrum languentem ob mercaturarum amissionem multis ab hinc mensibus melancholico pathemate correptum, tandem eodem reddito intensiori in maniam prorsus incidisse; facilis enim est huiusmodi morborum commeatus; solet equidem aiebat *Trallianus* huiusmodi morbus è melancholię maiori sæuitie innasci; quamuis cum Sennerto non ignorem dari non rarò maniam absque melancholię præexistentia, quæ cogitationes quidem, verbo, & opere malancholicorum deliramenta imitantur, sed citra timorem, vel metum, immò cum audacia, iracundia, iurgijs, & mentis perturbatione tanta, vt ægri tanquam immanes bestiæ obuios quosque inuadant, immò nec sibi ipsis sæpe parcant, quod crediderim fieri prout humor magis dirus existit; sicque aiebat Senex *lib. de mor. sacr. tex. 16. quia à pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur, neque tumultuantur, qui verò a bile vociferatores sunt, & malefici, & non quieti & semper aliquid intempestiuum faciunt*; hi enim humores dum sanguinem è sua compage dimouent rationem, atque prudentiam tollunt, quod explanauit idem *Hip.* dum *lib. de flat. tex. 20.* dixit: *opinor inter omnia, quę in corpore sunt nihil magis ad prudentiam conferre quam sanguinem*; *hic ergo cum in constanti habitu persistit consistit & prudentia, sanguine verò permutato concidit simul & prudentia*, quæ omnia fieri dixit dum cerebrum transmutatur, transmutatur autem ait *lib. de mor. sacr.* dum calescit, quamuis *lib. de virg. morb. 1. 2.* dixerit esse cor; *sanguis cum meatus vteri fuerint conclusi, præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum, quibus repletis cor fatuum fit*; itaque duas partes videtur *Hip.* sancire ipsius maniæ cor nempè, & cerebrum; sicque contrarietas innascitur ex verbis etiam *Hip.* qui *lib. de morb. sacro* dixit: *Ad intelligentiam verò internuntius est cerebrum*, & *lib. de cor. tex. 8.* dixit: *Mens enim hominis in sinistro cordis ventriculo insita est, & reliquæ animæ imperat*, quod quia explanaui *in lib. mearum epistolarum* non est vt vlterius diuagetur oratio, ni velimus cum doctiss. *Marinello* assere sedem animæ in corde esse, sed opera-

tio-

tiones ipsius per cerebrum manifestari; ob hancque fortè causam *Senner. cap. de Mania* dixit quod quamuis sit verum delirij huius caussam proximam esse in cerebro, esse tamen vero valdè consentaneum cor simul affici, quod affectus illi, & perturbationes animi vehementes audacia, ira, temeritas, & animi pathemata monstrant, quę etiam ad maniæ pertinent essentiam, illa tamen à corde proueniunt, quod pariter patere ait, quia maniaci qui in claustris, & domunculis publicis custodiuntur, hybernum frigus, & quidem sæpæ nudi multos annos sine corporis læsione, & iactura ferunt, ac quod mirandum si tangantur, non frigere partes, sed calere vt videre est apud *Forestum lib.* 11. *& obseru.* 20. qui calor in vniuersum corpus nisi corde affecto vix diffundi potest, & credibile est ait idem *Senner.* non solum spiritus animales, sed & vitales feruidos, & quasi igneos euasisse, sicut de ijs qui vino inebriantur accidit: quod pariter videtur probare *Auic.* dum ait (vt refet *Mercatus*) *Non est mirum, non est nouum, non est longinquum si cordis complexio primum corrumpatur, & sequatur eam cerebrum & cor rumpatur cerebri cõplexio, & sequatur eam cor, & corrumpatur complexio spiritus in corde, & fiat syluestris & iuuet cerebrum ad se corrumpendum* sic *Gal. lib. artis med.* inquit cor nimis calidum furere, quos quidem spiritus ignescere crediderim vel à cerebri feruida dyscrasia, vel ab humoribus calidis, sicque dixit *Mercatus cap de Mania* præter cerebri calidum & siccissimum temperamentum, etiam in vasis ipsius cerebri interioribus humores eiusdem naturæ vel semper adesse, (vt in his qui perpetuo delirio premuntur) vel ex innata cerebri intemperie in dies aggregari & copia sufficienti congesta in furorem laborantem agere, donec vi caloris proprij dissoluantur, & subsidente affectione resipiat aliquo modo laborans, donec iterum fiat idem humoris accessus, quo mens iterum, & eodem modo turbetur; ideoque inferius addit *Mercatus* Maniam prodire à proprio temperamento violato cum improba humorum exustione, qua in atræ bilis naturam prorsus mutuantur, eam tamen non æquam in omnibus, sed aliquibus maiorem, aliquibus minorem *Platerus* preter has caussas occultam aliquam addit qualitatem, vnde impossibile esse existimat vt tam grauia symptomata quæ in ęgris ac si veneno perciti essent se se proferunt, & non breui tempore; sed sæpe multos annos durant, à manifesta caussa & solo calore prouenire possint; pro quo videatur *Senner.* quicquid tamen sit si verum est *Hip.* dictum desipientiam nempe fieri cum sanguis transmutatur, dicendum id posse dupliciter fieri, vel cum scil. propria substantia sanguinis redditur feruida, & quasi ebulliens, vel cum ex hoc calore assatur, vel denique cum bilis atra in eundem sanguinem immittitur, aliundè vt ab hepate retorrido, quod putarim fieri in nostro languẽte, qui prius pustulis, scabie, oris siccitate, alijsque symptomatis lacessebatur, ijsque nunc temporis delitescentibus, earundemque vsta materia vel in vniuersas venas, vel eas quæ cerebro, vel propè ipsum insunt demandata in maniam incidit cum furore, ob atræ bilis sæuitem; quod doctiss. Iacot. pariter voluit, dum triplex maniæ genus posuit, vnum tamen ex puro sanguine vbi incaluit, aut nescio quid ineffabilis vitij contraxit, quod accidit quibusdam verginibus mensibus diu suppressis; viduis enim & senioribus ea ratione magis melancholica mania illa fere cum risu; quæ à bile ferina magis est, & crudelior: quæ ab atra bile iam furiosa est; hęc autem mihi videtur negotium facessere in nostro ægroto, qui continuis

vigilijs

vigilijs eandem potuit congerere, vt propt. dixerit *Aretæus Vigilia cruditatē facit, alimentum subtrahit, laborem affert, corpus contristat mentem labefactat, ideoque hi facilè furore, & atrabile vexari consueuerunt:* quid mirum ergo si in furorē agatur noster lāguēs, cū p multos mēses vigilijs lacessitus, mœrore cruciatus, cerebrū è sua crasi dimouerūt, inq. feruidissimā intēperiē detulerūt, vt patet ex omniū partiū palatiq. siccitate, & nulla expuitione, signū sanè nedū affectū esse essētialē in capite, sed sympathiā agnoscere à partib⁹ infernis, & hypocōdriacis, quę quamuis nullo meteorismo referātur, possūt tātū modo ob earū intemperiem maximam phlogosim redolere atque affectum æmulari hypocondriacum citrà obstructiones; non ob id dicendum tinnitum illum aurium perennem non à capite essentialiter pendere affectio, siquidem vbi in parte continuatur affectio ibidem residet ydiopathia; qui quidem acutus existit ob idque non βωμβων æmulatur, sed ἦχων strepitum, in vtroq; enim ait *Iacot.* soni incerti sunt & deprauata auditio non ablata, vel imminuta, verum in βωμβῳ graues sunt, in strepitu acuti; Alij ità distinguunt (vt est apud eundem *Iacot.*) vt ὁ τρισμιὸς sibilus ex flatu tenui exiliter illabente fiat; ὁ βωμβος tinnitus ex illius cursu interrupto, ὁ ψόφος sonitus ex crassiore plenius erumpente: ὁ ἦχος ex impulsu valido, quibus interdum coniungitur fluctuatio ex humoris iactatione; quicquid tamen sit strepitus vel acutus ille sonitus à multis potest pendere, sed potissimum à facultate audiendi, & ab obiecto aliquo interno; sic *Mercatus cap. de aurium tinnitu*, ait in hoc vel facultatem esse nimio sensu præditam, quo facilè persentit, & alteratur à rebus, quę alioqui difficulter auditu percipi ab alijs possunt, quo fit vt etiam ab his quæ intrà idem corpus mouentur tinnitus persentiatur; sicque *Gal. 3. medicam secund loc.* auditum oculis assimilat, quippè his qui exquisita fruuntur cernendi potentia non rarò apparent antè oculos imagunculæ quædā. cæterum *Mercatus* putat ad exquisitum hunc sensum semper necessariò requiri motum illius aeris in auribus implantati; exquisiti autem huius sensus caussam nonnulli vt refert *Senner.* referunt in partis calorem modum excedentem, quo aer congenitus facilè impellatur. verum quicquid sit nisi adsit obiectum proportionatum, ego certè crediderim non posse huiusmodi fieri tinnitus nam esto quod adsit, & acutus sensus & calor partis, quis nam mouebit aerem illum implantatum? non calor nisi materiam extenuādo, & in vaporem aut flatum conuertendo; quamobrem hoc obiectum seù hæc materia flatulenta erit illa quę sonitum edet non calor, nec aliud nisi valdè remotè; qui quidem flatus à capitis feruidiori dyscrasio fiet; nam vt aiebat *Holler in Coacis: excitata sursum bile cum sanguine necesse est ea perturbatione spiritus gigni, qui cum ferueant & exitum sibi quærant aurium anphractibus inclusi resonantem strepitum mouent, qui ἦχων dicitur;* cæterum quoniam semper non est eadem intemperies, aut nonnunquam deficit spiritus ille flatulentus propt. ex inconstanti caussa pendens huiusmodi tinnitus, non videatur ab eadem posse perennari; ideoque doctiss. *Senner.* in continuato per multos annos tinnitu ait vix fieri posse illum à vapore exitum per auditus organum sibi quærente fieri posse, ideòque continui illius sibili caussa inuestiganda in arteriola, quæ aurem subit, si illa copioso, & calidiore spiritu impleatur.

Quomodocunque tamen sit, cum nulla dementia ex *Gal si tuta 6 aphor. 53.* sitque morbus contumacissimus, ità vt dixerit *Hippocrat.* atram bilem sedes diu-

diuturnissima facere, cumque inueterata sit affectio in nostro languentẽ, ac multis expertis remediis in dies increuerit, proindè nobis difficilior reddetur affectio, ac non nisi morte terminanda, potissimum id continget, quia sumus in Sene in quo quamuis aduentitius ille calor mitescere queat, tamen facultatum debilium ratione à quocunque obiecto calido deprauabuntur; quicquid tamen sit tentanda curatio, vt si quid fieri possit videamus; multa ergo diximus ad hunc affectum concurrere, feruidam scilic. ac igneam materiam, vnaque analogam intemperiem in cerebro existentem, propt. triplex mihi videtur consurgere indicatio, euacuandi materiam, reuellendi eandem à capite, & tandem intemperiem debellandi; Euacuatio dupliciter fiet & sanguinis missione, & purgatione; sanguinem mitti vult Mercatus & si vberioris copiæ signa non adsint parciùs tamen aut partitè, sic ego quoque in nostro casu efficerem, habemus enim languentem & imbecillum, & senem, sicque primò aperirem mediam venam dextri bracchij, mox verò sinistram; sic *Platerus* vt refert *Senner.* ait se multos ab alijs Medicis derelictos sanguinis missione fuisse sanatos à quibusdam Chirurgis, vel aliis qui ex professo hisce malis sanandis operam nauabant; qui vigesies, & sexagies venas tundendo penitus insanos curarunt; *Senner.* secat quamcumque venam magis obuiam in bracchio, & præcipuè in sinistro, deindè in manibus saluatellam, in pedibus maximè fẹminis saphenam, varices si appareant in cruribus, venas etiam in fronte in pertinaciore malo, vel narium, vel ani; Ego tamen non omnes has euacuationes celebrarem sed primò bracchii venas, deindè ani hyrudinibus, tandem narium vel propè aures; atque interim dum hæc fiunt, non absonum erit materiam præparare, sed multis syrupis, vt ℞ aq. borrag. nimph. buglossę an. vnc. 2. syrup. borrag. viol. nenuph. an. vnc. 1. s. mis. cap. quibus assumptis summè laudo Mercati consilium qui scil. exhibet cassiam aqua lactis dissolutam, serum lactis cum foliis senę & violis feruefactum, vel syr. ros. sol. ad alia non deuenirem fortiora, nam quemadmodum *Hippoc.* improbat vsum medicamentorum vel purgantium caput febrientibus quia insaniam faciunt, ita in insania vitanda medicamenta valida qua de causa præfatus auctor dixit: *Purgandum tamen minus, rariùs, & lenioribus pharmacis*; ideoque soleo non sæpe mirari eos, qui ad helleborum aduentant, pro molienda earundem materierum reuulsione frictiones commendo, cucurbitulas, ligaturas, & præ reliquis inustionem in crure dextro; Alius denique remanet scopus alterandi scil. & tollendi intemperies, pro quo explendo scopo laudo serum lactis præcipuè, & balneum aquæ dulcis; sunt qui pariter laudent ptyssanæ nucum extractum decoctione capitum papaueris; vt nempè somnus concilietur, qui in hoc morbo omni arte procurandus; propt. sunt qui laudent capitis lotiones, inter quas illas quam proponit *Mercurialis*, mihi summè arridet. ℞. fol. lactucæ, semper viui, solatri an. m. 1. s. fol. nympheæ m. 1. cap. papauerum n. x f. decoctio, qua caput perfundatur; postquam perfusionem adhibeatur sequens inunctio ℞. ol. de nymphæa vnc. 1. succi semperuiui, maluæ, lactucæ an vn. 5. ol. ros. omphac. vnc. 5. cum cera f. linimentum, & quoniam diximus in hoc casu cor etiam pati, ideò illud refrigerare hoc epythemate. ℞. aq. ros. nympheæ, borrag. acetosæ an. vnc. 2. flor. ros. rub. sem. ocymi, sandal. citrin rub. an dra. 5 camphoræ gr. v. 1. addantur etiam vt seruetur tonus cordis sp. cord. temper. dra. 2. sic parati poterit pro eodem explendo scopo se-

quens vnctio. ℞. vng. rof. ol. viol. nymph. an. dra. 2. pul. rof. rub. fandal. citrin. rub. an. fcrup. 5. camphorę gr. vi. mif. f. vnguentum quod optimè à Sennerto defcribitur: quoad tinnitum, quoniam fupponitur nimius feruor, ego folo ol. amy. dulc. effem contentus, hic enim tunc profligabitur, quum videlicet caufam eneruabimus. Hæc ergo funt quæ potui afferere pro debellando hoc morbo fatis contumaci, qui folet vt plurimum nifi morte terminari. Vale.

PRO PERILLVSTRI DOMINA IVLIA *de Aliferis Patritia Aquilana memoriæ diminutione laceffita.*

CONSVLTATIO XXX.

MEmoriam quam *Cic. 2. de orat.* rerum omnium thefaurum, *Plato in Theæteto* Mufarum matrem, aliique Iouis amafiam, Imaginationis conceptaculum, fcientię lumen, & cuiufque ingenij decus indigitarunt, vndè *Plinius lib. 7. cap.* 24. bonum affeuerauit humanę vitæ permaximè neceffarium; quamobrem non immeritò *Quintilianus lib.* 11. omnem difciplinam memoria conftare concredidit; *fruftra namque* (fubdit, docemur,) *fi quicquid audimus præterfluat, eft enim fcriba intus manens vt habemus apud Stobæum*, vel fignatarum rerum veftigium vt dixerat *Cic.* quam benè *Valerius Max.* exultare inquit animum magnorum virorum memoriam perluftrantem; & tamen proh dolor; quamuis tantam memoria energiam obtineat, eadem nihilominus adeò labilis eft vt aiebat *Pli. loc. cit.* vt maximas ruinas vel à minimis quidē cauffis experiatur; fic apud *Schenghium lib.* 1. *obferu.* 123. *& Plin. lib.* 7. *naturalis hift. cap.* 34. narratum accipimus quendam è fublimi lapfum tecto, in matris, & affinium obliuionem incidiffe; fic apud *Rondeletium* legimus ftudiofum quendam Monfpelienfem ex vulnere, ità rerum omnium fuiffe oblitum, vt infantum inftar Luteriam egredi, & prima pueris tradi folita elementa difcere opus habuerit; atque ita natura factum eft, vt qui olim memoria excellebat nunc obliuione prematur, quę nil aliud eft, vt apud Stobæum, quam eiufdem memoriæ vtique exitus; indeque nil miror nobiliffimam noftram languentem acri ingenio præditam, nec minori memoria infignem in rerum obliuionem incidiffe, fed non omnimodum, dum non ità immemor eft, vt non amplius recordetur, fed non raro incipiat effari, & quafi in media voce refiftat ob memoriæ lapfum; neque infcitiæ crimine fum puniendus dum nobiliffimam mulierem, & ingenio, & memoria infignem reddidi, contrà illud Phylofophi axioma, qui memoriam habent, non admodum ingenio pollent; fiquidem ex eodem *lib. de memor. & reminifc.* hæc habentur: *Memoria magis valent, qui hebeti obtufoque funt ingenio, reminifcentia verò magis vigent, qui acuto docilique ingenio excellunt*; idque ideo vt ait *Senner.* quia cum memoria per quandam impreffionis vim celebretur, in molli cerebro facilius figuræ imprimuntur, in duro difficilius; ad fpecies verò firmiter retinendas neceffariam effe cerebri duritiem, & ficcitatem ftatuunt, quod ceræ exemplo declarare contendunt, quamuis *Scaliger exerc.* 307. 5. 28. id non admittat,

fat

ſat ſit ergò reminiſcentiam dicere cum optimo Ingenio poſſe coexiſtere, cum ambo & ſiccitatem, & cerebri duritiem prærequirant; vt proindè noſtram languentem non ea, qua prius reminiſcentia polleat, cum cerebrum nimijs exundet humiditatibus, ſeroſa illuuie, ac pituiteo humore, à cerebri frigida humidaque dyſcraſia genito, vndè & memoriæ imminutio conſurgit; operationes enim animi vt ab optima cerebri craſi perficiuntur vt volebat *Gal.* ſic imminui dixit ab eiuſdem intemperie, vt 8. *de Plac. Hipp. & Gal. ca.* 10. indèque *Plato loco cit.* humiditatem ſanxit memoriæ deſtructricem; vndè doctiſs. *Scaliger exerc.* 307. *ſect.* 28. hæc dixit: *Et in humide cerebro multi ſpiritus commeantes, ſeſe tanquam circuli in aqua ſecant, & humido cerebro multa inter intellectum & ſpecies ſeruatas interponuntur, quæ ſi fuerint craſſa fit obliuio, ſi mobilia dilatio recordationis, atque ibi reminiſcentia cum remouentur intercedentia impedimenta*; è qua humiditate in nobiliſſima noſtra languente memoriæ defectum proſilire ſatis patet ex continuo oris madore, ex perenni excrementorum affluxu à capite deſcendente, ex tumore in dextra gena progenito, ex capitis vacuo ſenſu, quinimo & ex ipſa obliuione quam adducit *Gal. lib. Art. Med.* humidioris cerebri notas ſignificare; cerebrum enim in alterando læſum, tum ob morborum continuitatem, (cerebri namque calor primigenius ex morbi diuturnitate labefactatur, vnaque diminuitur, ſicque humidius conſurgit) tum ob animi pathemata, tum ob Iecur feruidius, quod deſtillationes producit, tum ob vteri offenſam, multa congerens excrementa memoriam diminuere poſſe ſtatuendum; cerebri enim ſubſtantia aiebat *Ariſtot. libro primo de mem.* vel nimis parua, vel coinquinata, alienoue humore ſcatens huiuſmodi morbum gignit, vndè *Gal.* 2. *de ſympt. cauſſ.* 7. eis in peſtilentia à Thucitide relata quibus in cerebro facti ſunt abſceſſus, immemores euaſiſſe dicit, tranſmiſſa humorum colluuie in cerebellum vt puto ſecundum communem opinionem; quandoquidem vt nonnulli aſſeuerant poſterior cerebri pars tanquam cęteris durior ſpecies retinere ſatius valet, cuius ſententiæ vt refert *Saxonia* Arabes extitere; vt puta *Auenr.* 2. *coll.* 2. *Auicenn.* 6. *natural.* inter latinos *Albertus* 2. *de anim.* inter græcos *Aetius* 2. *Tetrab. cap.* 2. quod etiam colligitur ex *Galen. primo in primum Prorhet.* 27. & 4. *de loc affect.* 2. qui omnes cenſent Phantaſiam in anteriore, ratiocinationem in media, & memoriam in poſteriori cerebri parte, ſeu ventriculo collocari; Ego tamen *in meis epiſtolis* demonſtraui omnes animæ facultates eſſe in toto cerebro, ac chimericum eſſe aſſeuerare eaſdem diſtinctas vendicare ſedes, cuius quoque opinionis extitit *Valleſ.* 2. *controuerſ. cap* 23. *Sennert libro primo cap.* 13. *de ſenſibus internis*, & doctiſſim. *Maſs. libro primo ſuæ pract. cap.* 21. *de melancholia*: quinimò id *Galen.* viſus eſt voluiſſe 2 *de motu muſcul.* aiens: *Si itaque inſignes impreſſiones rerum in imaginationibus acceperit, conſeruat perpetuò, quod ita interpretati ſumus confirmari memoribus interim dum ſit fortis imaginatio*; quod non video (ſubdit *Valleſ.*) quomodo fieret niſi memoria, & imaginatio eodem loco operarentur; quicquid tamen ſit cum id obiter dixerim poteſt enim videri ſextus liber mearum epiſt. prima cum memoria cum quadam ſiccitate proſurgat, vnde eſt illud Heracliti à *Galen. lib. quod animi mores cap. quinto* recenſitum *ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus*, ideſt ſpiritus calidi & ſicci, nil mirum ſi cerebri ſubſtantia nimiis humiditatibus ob congenerem intemperiem exundante diminuatur memoria, quamuis non ignorem *Hippocrat. lib. de mor. ſacr.* ab hac intemperie memoriam originem trahere di-

xiſſe. *Galen. 3. de loc. affect. 5.* eandem ſemper ex frigida minui dixiſſe, quandoque ex humida, quando ſicca & frigida ſic idem *Gal. 3. de loc. affect. 5.* quendam enarrat ex nimiis ſtudiis factum obliuioſum, ſicque multi cenſent ex calida, ſiccaque intemperiē multos memoriam perdidiſſe, quod Sennert. ait contingere eò quia huiuſmodi intemperies inordinatum ſpirituum animalium motum faciunt, vt teſtatur *Gal. loco cit.* vndè *Scaliger* ſcribit in ſiccis etiā cerebris ſi ſint bilioſi propter ſpirituum mobilitatem memoriam lædi; In noſtra languente tamen dicendum memoriæ imminutionem non aliundè pendere, quàm ex frigida humidaque intemperie, quæ continuò humiditates congerendo, eaſque nimio profuſè, & obliuionem facit, & eandem reddis immemorem; vnde cum continuus ſit affectus in capite ydiopaticus ibidem ſupponitur, & *σευσπαθικῶς* quamuis prothopaticus in hepate vteroque exiſtat, cum ex illius feruore, & ex iſtius cacochymia ſeu *πλεονεξία* omnia hæc originem habuerint hepar enim ac verſus ad caput euaporando illud maximè repelent, ſicque & illud in intemperiem adigunt, & vna quoque replent; proindeque *Duretus in coac. p. 571.* aſſeuerant cerebri temperiei conſeruationem à Iecore pendere fonte alimenti, & caloris nutricatui conuenientis quod ſi illud intemperatum fuerit caput & intemperat, & humorum vbertate donat; vnde & cerebri ſordes enaſcuntur, quæ in infernas partes demandatæ, & potiſſimum genarū tumorem olim produxere, nunc autem temporis retentæ, vel in maiori copia congeſtæ imbecillitatem faciunt, memoriamque diminuunt; caput enim vt aiebat *Andr. Laur.* eſt velut quidam totius corporis caminus, & cucurbitulæ inſtar vt ait *Hip.* continuò trahit, ſorbetque expirationes partium inferiorum. Quamobrem vel antequam penitus deperdatur memoria, vel aliud ſuperaccedat pathema Apoplexia, Epilepſia, ſeu Paralyſis vt *Aetius* innuebat, eſt ſuccurrendum, eoque magis quo hic morbus contumaciſſimus eſſe poteſt in noſtra languente tum quia caput habet imbecillimum, tum quia materiæ viſcidiſſimæ ad ſunt, tum denique eſt inueteratus, quod faciemus primo nimiam materiam euacuando ab humida intemperie cum frigiditate coniuncta; ſecundo prohibendi intemperiem, tertio tandem torpidos ſpiritus concitando, ſeù caput roborando; antequam tamen ad euacuationem accedamus preparatione vtendum ſyr. de ſ. beton. de ſ. borrag. & melle roſ. ſimpl. cum decocto in quo bullierint beton. lilium conuall. pæon. meliſſa, borrago, cichor. endiuia, & ſimilia, illud vnum animaduertendo ne nimis calidis vtamur, ne Iecur ſeruidius pluſquam par eſt accendatur, quibus exhibitis ad purgans medicamentum deueniendum; ſunt qui laudant Rufi hyeram, inter quos fuit *Aet.* ſed is à multis improbatur, cum agat nimis violenter, quamuis doctiſſ. Saxonia illam tantoperè commendet vt dicat eandem ad drach. 2. exhibitam corrigendi vi pollere humidam totius corporis, & cerebri intemperiem, ſicque *Actium* enarrat eandem quotidie exhibentem ad ſcrup. 1. quod ſi hæc minus placeat, quoniam ſumus in languente delicatulo ad pillulas de agaricocchias, & aggregatiuas confugerē; quibus alias aſſumptis melius habuit, nec interim ab affixione hyrudinum venis ſedis deſiſterem, cum in corpore ſimus plethorico, hepate feruidiori, quamuis non ignorem in humida materia, in frigida intemperie, & in læſa memoria ſanguinem haud eſſe mittendum, niſi aut quandò ſit factus aliquis abſceſſus, aut ſanguis in toto

cor-

corpore exuberet, in hoc enim casu *Christoforus à Vega 3. de Art. Med cap. 10.* solus sanguinis missionem proponit; quod si hyrudines affigendæ veniant, vel in paucissima quantitate sanguis mittendus; Interim materia in capite existens & inustione bracchio præstita reuellenda, non in occipite, ne vt asserit Mercur in partem affectam trahatur, quod non fieret in mea opinione, & chinæ radice exsiccanda in iure ebullita, cum ligno de visco quercino, sandal. citrin. & rad. pæoniæ, liliorum conuallium, borrag. beton. maior. melissa, & fumar; nec inferioris vsus erunt errhina tantopere à præfato *Christophoro à Vega* proposita, qualia esse poterunt ex ol. amygd. dulc. aqua mulsa, & similibus; ad grauiora non accederem, ne agitata nimis materia vt notat *Mercatus* apoplexiam accersant; nec ob id caput satis imbecillum haud roborandum, pro quo explendo scopo *Saxonia p. 35.* proponit sequentes rotulas: ℞. nucis musc. num. 2. cariophyill. non 8. cinnamomi drc. 5. facch. dissol. in aq. maior. q. f. mis. f. conf. in rotulis cap. *Senner. l. 6. p. par. 2. cap. 5.* laudat lilium conuallium, atque melissam, quæ memoriam roborare, ingenium acuere, animi tranquillitatem vnaque hilaritatem prestare, & ad pellendas curas optimam esse conclamauit; sunt pręt. qui confect. anacardinam probant vt Arabes, & *Auic.* de hac tamen scribens *Ianus Huartus in scrutinio Ingeniorum cap. 22.* vt est apud *Senner.* dixit hanc vt puta nimis calidam, & siccam intellectum, & memoriam perdere, & si imaginationem acuat, veruntamen in ijs, in quibus feruida sunt membra eaque magis præcipua, nullo pacto huiusmodi confectio exhibenda, potius theriacam, mitridathum, confectionem ex Diambra, Diamosco dulci, & acoro melle condito probarem, propt. Ferestus ad memoriam vi Apolexiæ lapsam sequens comprobat electuarium: ℞. acori veri, seu galangæ minoris conditæ, conf. florum beton. anthos, an. vnc. 1. florum herbæ paralypsis vnc. 5. cubebarum, nucis musc. cinnamomi pulueriz. an. drc. 1. cum syr. de sthæcade f. elect. cæterum quoniam hæc ingredientia sunt nimis valida, & nobilissima languens calidiori Iecinore refertur, propter huiusmodi electuario omisso sequentes tabulas adhiberem: ℞. sp. plyris Arcot. arom. ros. Diarhor. Abb. an. scr. cinnamomi, cariophill. an. scr. 5. s. p. triumsupa. dr. 5. conf. ros. vet. beton. an. vnc. 1. facch. fini dissol. in aq. pæonię q. f. mis. f. conf. in tab. cap. nec minoris vsus erit adhibere lotiones capitis, ijsque potissimum vterer, quæ calfaciendi, & siccandi vi pollerent, vt ℞. vini odor. lib. 20. fol. beton. saluiæ, anthos an. m. i. myrth. ros. sicc. cupp. gland. nucum cupressi. ana p. s. calami arommatici vnc. 2. bull. simul ad consumptionem tertiæ partis, deindè facta colatura abluatur caput sunt præt. quæ à proprietate prodesse putantur, vt cerebrum gallinæ comestum, semen ormini, eboris limatura, & alia, hæcque sunt quę potui currentissimo calamo scribere.



PRO-

PRO PERILL. DOMINO IVVENE NEAPOLITANO *Catharro laborante.*

CONSVLTATIO XXXI.

CApitis symptomatum doctiss. *Fernell.* duplicem caussam asciscere statuit *lib. 5. de part. morb. & sympt. cap.* 4. intemperiem scil. simplicem, & humoris vitium: vnde superius insinuauerat destillationes omnes à capitis imbecillitate, & frigida intemperie pronasci; propterea que idem nec immeritò irridet censentes cum *Auic.* destillationes exurgere a feruidiori Iecore, cum inde multi suscitentur vapores, qui deindè cerebri frigore in aquam versi, protinùs relabantur, quod confirmauit *Gal. qui 3. de loc. aff.* dixerat eos qui hepate sunt feruidiori esse maximè destillation ibus obnoxios, quod *Hip.* ante ipsum expresserat aiens *lib. de morb. Hunc fluxum maximè exhibet caput, vt potè quod cauum est, & supernè situm, quum enim ab inferna aluo fuerit calefactum, pituitam de corpore in se ipsum trahit vbi verò attraxerit; & in ipso collecta fuerit rursus reddit aceruatam, & crassam*; vt cunquem tamen sit subdit *Fernell.* vel eos qui Iecore sunt temperato esse destillationibus obnoxios: & illas à capitis imbecillitate, & frigida intemperie fieri, quæ quamis ex se, & ab erratis promanet, non rarò tamen ab ambiente frigido fieri potest; indeque crediderim *Senem lib. de loc. in hom.* dixisse: *Fluxiones ex perfrigerata valde carne, & percalfacta fiunt*, vt mirandum non sit nobilissimum nostrum languentem dum venationibus operam nauaret in frigidam destillationem impegisse cerebro in frigidam dyscrasiam adacto, indeque nedum materias gignente sed easdem ab infernis partibus recipiente, & rursus in easdem partes transmittente, vndè bene *Hip.* asseuerat cerebrum maius esse alijs glandulis, illudque morbos maiores, vel minores facere, vt *lib. de gland. tex.* 7. quum in infernis corporis partes redundantiam, ac superfluitatem suam ablegarit: destillatio namque cerebri sordes, ac purgamentum extat vt eodem *lib. tex.* 8. ideoque *Fernel.* ansam dicendi sumpsit vnum hominem prę cæteris animantibus his malis idcirco obnoxium esse, quod amplo sit cerebro, eoque sublimi: *quum enim corpori* (dicebat *Senex in epist.*) *velut cucurbita medica incumbat, contingit vt ipsum omnium eorum, quæ ingeruntur superfluitates attrahat, & tenues humores*; omnes dixerim humores, potissimum ventriculo, & hepate ob eorum αντιppαζιαν suppeditatos quos cũ attraxerit in catharroicum pathema conuertit, fluxionem promouendo, vel quia imbecillum, vel quia à copia impulsum quem impulsum à copia habere potest, vel ab expultrice valida, vel à frigido externo exprimente, vel à calido colliquante, vt proinde à frigido expresso rheumate tanquam cerebri sorde vt dixit *Hipp.* per infundibulum, seu peluim in infernas partes demandata & potissimum in thoracicam spaciositatem per guttur vtpote non contectum vt dixerat *Senex* diutinum inuexit catharrum, tussimque perennem; quam sanè perennitatem ait *D. retus in Coac.* capitis efficit repletio, repletionem autem faciunt vapores, & humores qui sursum feruntur, & refluunt, ni velimus cum *Valles. in epidem.* ad cerebri propriam intempe-

riem redigere, non autem ad multitudinem excrementorum vel in toto, vel in cerebro, itàut non tam excrementa intemperiem faciant, quam ipsa intemperies excrementa, vt contigisse ait idem auctor *Calligeni 7. epid ab Hipp.* enarrato, quicquid tamen sit haud negandum vtraque concurrere in nostro languente, frigidam scil. humidamue dyscrasiam, & excrementorum vbertatem, quæ perenniter in spiritus vias fluentia tussim illam generant; siccam quidem, vel ob intemperiem partium vt asseuerat Valles. vel ob materię tenuitatem, vel eiusdem cruditatem; Tenuis enim humor dixerat *Gal.* cum subleuatus est inter tussiendum à spiritu diuisus refluit, quod autem à cruditate manet, haud dubitandum, cum id expresserit *Gal* aiens: *Nihil omninò expuere. sed tussim tantummodo siccam habere, tale quidam est, quale in vrinis extremè crudum*; vnde 4 *aphoris.* 54. de siccis tussibus verba subnectens sic loquitur: *Fiunt autem aliquando ob intemperiem instrumentorum, quæ obseruiunt respirationi, aliquando faucium asperitate, vel aliquo tenui, & pauco humore destillante*; quicquid tamen sit non est posthabenda huiusmodi destillatio, sunt enim fluxiones vt dixerat *Senex* affectiones quædam naturę; eoque magis si in aliqua ex præcipuis partibus decumbant; *Destillat enim* (aiebat *Celsus*) *interdum in nares quod leue est, interdum in fauces quod peius est, interdum in pulmones, quod pessimum est*: propt. cum simus in diutino catharro, materia in thoracem fluat, vel pulmonem posse conflauescere, vel aliquam exulcerationem ascisscere posse vel tandem in hemophtoidem commigrare posse crediderim; & quia vt aiebat *Aretęus* in longis morbis dilatio medelæ mala est, num ob curationis cunctationem in insanabilia mala prolabuntur; proindè citissimè est adhibenda curatio, quæ à multis desumi potest indicatio, siquidem cum simus in cacochymia vniuersali, & particulari capitis, ea vniuersalem indicat euacuationem, hæc particularem; deindè quia materia irruit in partem principem, ea reuellenda, & intercipienda, præt. caput læsum in alterando redigendum ad suam crasim, & tandem materia iam influxa indicat expectorationem: Quoad vniuersalem euacuationem aluum prius lenirem manna, cassia, ac deindè vterer syr. de beton. de s. borrag. cum decocto communi additis cæphalicis, vt possimus eandem repurgare sequenti medicamento: ℞. syr. ros sol. mell. viol. sol. mannæ el. an. vnc. I. ʒ. el. Diasebest. simpl. drach. v. i. agar. trochis. drac. ʒ. dec. cord. q. s. mis. f. pot. cap. vt dixi. materia communi sic euacuata ad caput deueniemus illud pillulis de agar. cocchijs, aggregat. & similibus purgando, quas si opus fuerit in morbi successu repetere non alienum erit; easque non de sero assumendas iniungere vt est communis Medicinam factitantium vsus, sed de mane per tres horas antè diem, sic enim non perturbabitur coctio vt aiunt *Septall. in suis animad. & Card. lib. de malo med. vsu*; Interim de venæ sectione cogitandum, de qua potest in catharro maximè dubitari, *Gal. enim 4. de sanit. Tuen.* in affectibus frigidis venæ sectionem damnauit, indeque *Auic.* asseruit catharrum non egere phlebotomia, & si quandoque indigeat non grandis esse debet; *Mesues* tamen in triplici casu si memoria recolo visus est in catharris sanguinem misisse, in salsis nempè, præcipitibus, & cum febre; doctiss. *Sennert.* eandem opinionem obseruauit aiens in materia impetu fluente, copiosa, & ab vniuerso corpore manente, (cum ij potissimum qui hepate sunt feruidiori catharro ingemiscant) etiamsi sit frigida destillatio aperiendam esse venam, parcè tamen sanguinem mittendum; vnde doctiss. quoque *Pereda*

Medi-

Medicos quasi suppungit vt in catharris sanguinem mittant, indeque sic ait: *In destillatione facta ab intemperie frigida cerebri, non audent practici venam secare, opus autem est vt audaces fiant, potissimnm in remedio adeò vtili; Mittendus ergò sanguis est vt reuellamus humorem ad partem fluentem, & simul ex cerebro aliquid excrementi euacuemus, quod commodè præstabimus secta media vena dextri bracchij, quæ caput, & partes inferiores respiciat;* interim quoque haud immemores esse debemus fluxionis à capite vt dixi fluentis, nam vt aiebat *Hipp.* morbos à principio curare oportet, & siquidem à fluxionibus fiant, fluxiones primum sedare, deinde id quod influxit: propt. & eandem fluxionem interciperem cerato aliquo capitali suturæ coron. affigendo: neque ignoro *Gal.* olim adhibuisse ceratum ex thapsia, id enim peregit mat. ria aceruatim fluente vbi suffocationis periculum imminebat, quamobrem ipsos quoque vitupero qui vel vessicantia capiti imponunt, tanquam medicamenta metasyncritica, & à centro ad cutem euocatia, & inustionem syncipiti potissimum in materia graui, & copiosa, nam præterquam quod nihil educunt, vix credi potest ait *Septallius* crassiora illa excrementa ascendere posse, ascensa veró per suturas permeare; neque est vt dicamus sic intercipi materiam, nam vt idem asseuerat id ridiculum est, quomodo enim suspendi queat quod graue est nullo retinente, ne mentem quidem concipi potest, cum verò hic nec occlusio adsit vasis alicuius, neque deligatio, aut compressio, neque etiam humor intercipi dici potest, quinimò nec huiusmodi inustionem vt reuulsionem idem auctor accipit, cum nulla fere sit distantia, neq. vt deriuationem, cum hæc ad latera fiat, quinimò ex hac inustione in syncipite dicerem materias magis calore liquari, quamobrem si inustio adhibenda, vt certè est necessum, vel in bracchio, vel in occipite facienda; neque ob id ad exsiccandam fluxionem non probarem chinam, vel salsam cum iure refractam tamen sand. citr. & herbis tum cæphalicis tum attemperantibus; sic pro sistendo catharro optima erunt eclegmata parata ex rebus modicè narcoticis, & incrassantibus, inter quæ posset præscribi sequens medicamentum: ℞. sacch. viol. vnc. 1. diadraganthi vnc. 5. boli armeniæ scr. 2. phyolnij pers. scr. 5. syr. iuiubini q. s. mis. f. eclegma. Ad narcotica autem hæc remedia non tam facilè deuenirem, nisi cum fluxio vel est nimis præceps, vel nimis tenuis, vel nimia tussis, vt periclitentur ægrotantes de venæ alicuius ruptura; vnde ob id præfatus *Septall.* illos increpat Medicos qui ijsdem vtuntur vel ante purgationem, vel reuulsionē, potius ergò in nostro languente vterer Diacodione cum bolo arm. subtili, & infus. papauerum; hæc enim cum sint temperata nequeunt vel cataphorica accersere symptomata, vel nimis incrassando languentem pręfocare; sunt quoque medicamenta alia in hunc finem destinata, vt ℞. trochis. de spodio, de Kar. de Terra sigill. ana drac. 5. sp. arom. ros. gumm. Dragant. arab. an. scr. 2. corall. rub. præpar. dr. 1. sacch. fini infusi in infus. ros. q. s. mis. f. confect. in tab. vnc. 5. sing. pendentes cap. pro quo pariter vsu saccharum rosaceum cum dormitum proficiscitur commendari poterit; sunt quoque quæ ore detenta solent fluxiones prohibere vt sunt pillulæ bechicæ, vel quod à Pereda probatur, & est sequens: ℞. thuris, masticis, cyperi ana drach. 5. boli arm propter succi glycirizæ ana drach. 1. gummi draganthi, arab. ana scrup. 1. passul. contus. drach. 2. cum syr. de Iuiubis f. trochisci ore detinendi. Neque interim pro reuulsione sunt omittendæ

pari-

pariter cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ &c. illud tamen aduertendo quod admonet *Auic.* nec scil. in catarrhis cucurbitulas dorso affigamus, sed potius occipiti, ne fortè materia ad thoracem trahatur, atque eadem est ratio vessicantium, inustionum, & similium; quoad materiam coniunctam existentem in pectore varia pararem eclegmata ex syr. de liquir. de hybis. cum sacch. cand. aq. scabiosæ, & similibus; sic quoque pectus inungerem ol. viol. butyro, amygd. dulc. & similibus, vel vt vult Holler. fol. brassicæ sub cineribus calidis ductum, ac butyro, & melle inunctum pectori adhiberem; Possent innumera præscribi quæ breuitatis gratia sileo: Multa enim dicebat *in epid. Hip.* de quocunque præcipi possunt, multa eadem, multa non eadem: quæcunque tamen proponantur, ni comparem victus rationem obtineant nihil profutura sperarim; quæ quamuis ab initio tenuissima esse debeat ità vt scribat *Heurnius* se triduo à potione abstinuisse, ac sic destillationem protinus sanasse, in longis tamen morbis, qualis est noster tenuis victus periculosus vt dixerat *Hip. in aphoris.* vinum pręt. in catharris obesse videtur, quia materiam colliquat, vndè *Valles. Hip.* admiratur qui in Scopo ex coryza vinum dedit; *mirum tamen subdit quod in febre ex catharro, & siticulosa vinum dederit, quod calidum cum sit febres augere, vt sitim natum est, & cum facile diducatur fluxiones augeat, quod facile efferatur, caput repleat, & cum multum penetret, tentet neruos, quibus de caussis cum paucis affectibus febriculosis sit vtile, catharrosis maximè sit noxium*; Verùm idem *Valles.* admittit vinum oligophorum, & præsertim cum deturbati à superioribus partibus succi vias vrinæ, & alui tenere cœperint, ideoque fortè *Saxon.* ait vt circà statum vinum cõcedatur, loco vini exhibeatur aqua hordei, quæ quomodo parari debeat ad monet doctiss. *Mercurialis* ex sententia *Auenzoaris lib. 1. tract. 16. cap. 6.* vt scil. accipiantur duæ partes aquæ, & vna hordei, hordeum verò sit purum, sit integrum, nõ contusum, & si cùm abstersoriam amemus, non decorticatum; adnotandum præt. vt quotidie renouetur, nam vt adnotat *Septall.* hec quam citissimè putrescit. De victu non loquor cum optimè obediat, optimaque victus ratione vtatur hæc ergo pro nunc sit satis, &c.

PRO PERILL. DOMINA SOPHONISBA BARONE *Destillatione laborante.*

CONSVLTATIO XXXII.

TRiplici pathemate caput premi solere explanauit *Duretus in Coac. comm.* paraphorico nempè, cataphorico, & catarrhoico, hocque vltimo nobilissimam nostram languentem extorqueri nemo est, qui ambigat, id enim patet ex tussi, ex anacatharsi materierum humidarum, & ex alijs accidentibus; Tussis enim illa non aliundè prosurgit quàm à capite dilabente humore, eaque non est illa, quam chernon vocant hoc est desiderium, & cupiditatẽ tussiendi, hæc namq; fieri potest ex simplici intemperie, sed est tussis cum materia, ideoque aiebat *Mercatus* ex intemperie vexari plurimum naturã, atque sic tussim moueri, quamuis non ignorẽ siccã tussim dupliciter posse moueri vt adnotauit præfatus auctor, vno modo quatenus nihil excernitur ob eius ineptitudinem, alio uerò quatenus nihil in via est quod

excerni poſſit, atq. id cõtingere credere cũ adeſt ſolũmodò in parte intẽperies, quę cũ nil materię in via ſupponat tuſſim creat penitus ſiccam; at cũ aliquid adeſt & nihil expuitur id aliundè procedit, & potiſſimum ex materia, & ex obiecto, ſic *Gal. lib. 2. de ſympt. cauſs. cap.* 4. dicebat tuſſim eſſe motum facultatis naturalis, quæ cogitur à cauſſa morbifica, vndè *lib 2. prognoſt. cap.* 43. ait principalem cauſſam eſſe materiæ vitium, quod irritat expultricem; in tuſſi enim propellitur materia vias obſtruens, quæ quidem materia ab *Auic.* ſub nomine cauſſæ corporeæ nuncupatur, eaque non rarò tuſſim facit etiam ſiccam, nam vt ait *Iacchinus*, quamuis per motum hunc intendat natura expultrix noxas pellere, fruſtratur tamen ſæpe fine ſuo, quia materia eſt rebellis, contumax, non cedens impellenti, vt cum viſcida nimium eſt, & hæret, aut craſſa, quæ non facilè per minores arterias præterlabi poſſit, vel quia à ſpiritu diſſipatur, dum impellitur ob tenuitatem, quod accidit in aquoſa, ac tenui deſtillatione, vt etiam in nobiliſſima noſtra languente videre eſt, tuſſim enim perennem habet, eamque admodum ſiccam, quæ noctu magis exacerbatur, quoniam fluxiones vrgent magis ad noctem, refrigerato capite, & humiditatem exprimente, quod quidem caput refrigerari ab initio potuit ob moram diutius tractam in loco frigido, atque inſimul intemperari, cuius gratia multa progenita materia partim ob eius irritamentum, partim ob partis robur ne dixerim, aut imbecillitatem & ſuſcipientis habilitatem nata eſt deſtillatio, & tuſſis, ad quam non rarò ſubſequitur quædam febricula, quæ noctis tempore aduentat; ſiquidem catharro laborantes magno comitari ſolent quædam febriculæ non adeò magnæ, ſed quotidiè veſperi increſcentes, quod ſomno, & nocte creſcat capitis repletio, vt perbelle aſſeruit *Valleſ. 5. epid. tex.* 102. quę quidem febricula erroneum typum ſeruat, prout inconſtantia ſunt quæ in humidis fiunt, vt dixit *Hippoc.* vel prout materię indifferentem locum obtinent, & non ſemper in venas irrepunt, quamuis non ignorem erroneas febres fieri ob focorum diuerſitatem, humorum heterogeneitatem, vel eorum in alios commutationem; eaque febris non rarò ἱδρώσιν ſeù ſudatiunculam ſecum fert, (eſt autem ephydroſis vt benè dixit *Duretus in comm. Coac.* capitis, & ceruicis) quæ partium affectarum ſignum eſt, nam vbi eſt ephydroſis ibi & morbus, quod ex eo procedit vt vult *Duretus* quia vel oppreſſæ ſint partes humore morbifico, vel exolutæ ſua vi retentrice, quod non ſuccedere in noſtro caſu credam, ſed ſolum ob nimiam humiditatem, ideòque benè dixerat. *Hipp. Sudor multus in ſomno factus multam ſignificat humiditatem*, quæ nedum è capite manat, & in thorace ſtabulatur, ſed è ventriculo partim progignitur, partim ſuſcipitur; vnde ad inuicem ſic morbos faciunt, indèque ανωρεξια proſurgit, quæ nimis exuberans agnoſcit, vt volebat *Ariſt.* appetitus enim cum munus ſit ventriculi, inappetentia eiuſdem affectus eſſe innoteſcet; natus è materiis in eundem ventriculum illabentibus, ſcimus enim ex *Ariſt. 2. de anima* famem eſſe appetitum calidi, & ſicci, quæ quidem materiæ partim intemperando vniuoca intemperie, partim replendo, vel ſua frigiditate os ventriculi ſtupefaciendo inappetentiam faciunt, ſcimus enim appetitum fieri vel quia non euacuatur corpus, nec vlla fit reſolutio, vel quia non fit ſuctio oris ventriculi, vel quia ſi fiat non percipitur, vel quia calor læditur, vel tandem ob alias cauſſas quas adducere non eſt pręſentis inſtituti; Hæc autem inappetentia in noſtra ægrotante nedum orta eſt ob iſtas cauſſas,

sed quia vixit vitam sedentariam, motus enim appetitum, ocium verò inappetentiam excitat, indèque dicere solitus erat Socrates, dum ambularet sibi famem obsonare; labor enim ex *Hippoc.* siccat, & consequentur euacuat, sicque benè asserebat *Duretus. Vacuatio caussa est suctionis, suctio digestionis, digestio ingestionis*: quicquid tamen sit, cum caput vt mandans habeamus, thoracem vt suscipientem, materiæ affluxum vt caussam materialem, eiusque crudit., caput vt imbecillum, ac intemperatum producens, thoracem vt aptum è sui natura, & ob imbecillitatem materiam vtputa vel impulsam à capite, vel tractam à partibus infernis, vel quia calidæ, vel quia dolentes, vel quia vacuę, propt. morbus diuturnus erit, & ex consequenti diuturnitate in alium commutari; quæ metastasis antequam fiat prohibenda, possent enim pulmones vel conflaccescere ex perenni affluxu, vel vlcerari praua qualitate, atque sic tabes fieri; indèque quam primum curatio est procuranda; cum ergo multa hic adesse dixerimus, caput mandans, quia intemperatum, & plenum, & quia à ventriculo adiutum ad malum, fluxionem materierum tenuium, nec non etiam & thoracem suscipientem materias. vndè tussis & febris, quatriplex consurgit indicatio, primò euacuandi tùm vniuersum corpus, tùm caput, secundò fluxionem sistendi, tertiò & pectus corroborandi, & illud à materijs repurgandi, quartò tandem febriculam eneruandi; quæ quamuis inconstans, non ob id posthabenda, quia dixerit *Senex: Febres inconstantes non sunt medicandæ quousque constiterint*.

Quoad primum nempè euacuationem, cum primas vias supponamus nimijs materijs ijsque crudis scatentes, ego quam primum ad mel rosf. sol. ad vnc. iv. deuenirem, vt subindè exhibitis nonnullis syr. ex s. de beton. de liquir. & melle rosf. simpl. deuenirem ad exhibitionem medicamenti: vt ℞. mellis viol. sol. mannæ el. an. vnc. 1. s. el. Diaseb. simpl. drac. v. agar. trochis. inf. & exp. rhab. el. inf. & exp. an. drac. 1. dec. cord. q. s. misf. pot. cap. neque postmodum alienum erit exhibere ad repurgandum caput pillulas de agar. cocchias, & similes; quamuis erhina eiusdem pariter sint vsus, apophlegmatismata improbo, cum maiorem materiæ copiam trahere possint; sic quoque commendo quæ & insensibiliter euacuant, & fluxionem exsiccent, vt chinæ decoctum, vel salsæ, cum iure tamen, adiectis rebus refrigerantibus, & corrigentibus, vt sand. citr. fol. borrag. melissæ, scabiosæ, lupul. farfaræ & similibus; sic enim & febriculę illius erroneæ ratio haberetur pro qua pariter eneruanda non alienum erit duas hyrudines venis sedis affigere, & non multum sanguinis haurire, cum vires langueant, morbus sit diuturnus, & frigidæ materiæ vbertas non permittat; sic quoque ceratum capiti adhibitum non improbarem, vt nec inustiones in occipite, vel bracchio, frictiones partium extremarum, cucurbitulas &c. Post hæc adhibenda est cura vt spiritus itinera depurentur, quæ anacatharsim promoueant, mihi tamen videtur ex vsu eclegmata parare ex syr. de hybisco, de liquir. cum aqu. scabiosæ, farfaræ, &c. sic eiusdem vsus est Diatraganthum cum succo farfaræ, & ad sistendam fluxionem Diacod. in tab. cum bolo arm. sacch. rosf. antiquum, & similia: sic thoracem inungerem ol. amyg. dulc. viol. butyro; quod si nec hæc quidem proderunt, ad abstergendam materiam in pectore, resarciendas vires, & prohibendam maciem succum ptyssanæ multis diebus adhiberem, cum portione sem. melonum, & polycres. nil enim video quod id possit prohibere. Interim optima victus ratio instituenda, ab-

ſtinendumque eſt à cibis vaporoſis,craſſis,dulcibus,& ſalitis, vinum bibat benè dilutum,carnes comedat veruecis,pulli,gallinæ,oua recentia,& ſimilia,quod ſi aquæ pro diluendo vino addatur portio paſſul.liquir. hord. optima forſan erit.Hæcque ſunt quę mihi videntur ex vſu.

PRO PERILLVSTRI DOMINO FRANciſco Balduccio Poetarum optimo,deſtillatione, & raucedine laborante.

CONSVLTATIO XXXIII.

THraces illos Euphorum, Orphæum, Thamyrim, Muſæum, & Eumolpum priſcæ olim muſicæ operam dediſſe, vnàque primos Poeticæ illius harmoniæ tyrocinia in medium attuliſſe vir doctiſs.apud Strab.lib.10. perbellè quidem accipimus; mendacem tamen illam ætatem tunc temporis ſuperbientem, ac poeſis nouitate luxuriantem vniuerſa ſapientium cohors,& noſtra irriſiſſet æuitas,nec nouitatis tributum Thraciæ dediſſet nationi,Siculæ tamen tributaria eſſet inſpecta,è qua Palladis inſtar è Iouis capite manaſſe vidimus doctiſſimum Balducium; vt propt. eius doctrinam vniuerſus veneretur orbis, ſed nunc Romana potiſſimùm maieſtas eundem præ reliquis nutriat,colat; At proh dolor:ò inuidam vel ipſius naturæ conditionem, dum altiſona Muſarum auis velut Phylamon carmine vocali vndique reboat, vocem eidem raucisonam reddit; pautans fortè tanti oloris ſublimem vtique cantum,inhians Apollini tantum eripere Cycnum, vnde Arionis more mercibus ditiſſimi eundem in obliuiorum mare vocis raucitate proijcere anhelat; ſed incaſſum,nam ſi Arionem ab vndoſo vtique ſalo Delphynus ſonitus ſuauitate illectus tranſuexit ad lictus; ipſe periclitantem non Arionem, ſed Balduccium, non carmine ſed raucisono meæ linguæ ſonitu non ab Aegeo, ſeu raucitate queritabo Delphini more pro viribus eripere,vt iam contexta dulcia carmina mente, eadem ore ſuauiloquo ferat ad auras,quæ ſanè raucedo quam ardua appareat,vt tollatur, explanauit *Senex* aiens:*Raucedines, & grauedines in valdè Senibus coctionem non admittunt*;quamuis id in noſtro languente non verificetur,cum non ſimus in homine admodùm annoſo; poteſt tamen dici annoſus cum *Mercurialis in ſuis conſil.* cum horum affectuum vetuſtas extremæ ſenectuti equipollere poſſit; ita ut annoſa raucedo vel in primo ſenio difficilius queat eneruari, quàm recens, aut minus priſca in decrepita, ut proindè hanc prouinciam ſumptam longè meis humeris imparem agnoſcam; quicquid tamen ſit,non verebor ſub pondere gemere, modò tuis ſatisfàciam optatibus; quis ergò ignorat raucedinem hanc è pituitoſa illuuie à capite deſcendente manare? quod cernens *Duretus* hoc nos *in Coacis* edocuit aiens,raucedinis auctorem eſſe catarrhum,quare *Hippoc.lib.de vet.Medic.tex.33.* fluxiones in fauces delabentes raucedines efficere dixit,idque contemplans *Iacot.in Hipp. Coacis* dixit:*Vocis enim mutatio aut deſtillationem de capite ſequitur, vt in tabidis, aut virtutis infirmitatem,aut ſiccitatem vocalium partium*:quod *Gal.* ſancire eſt viſus *lib.1.de*

morb.

*morb.vulg.*12.vbi destillantem humorem vocis instrumenta irrigua reddentem raucedinis caussam statuit ; hęcque instrumenta non ab omnibus eadem annumerantur;sed à *Zenone*(qui ob id a Stoicis in Cœlum fertur,quem *Diogenes Babylonius* primus omnium citauit) cor statuitur tanquam præcipuum vocis instrumentum , vtpotè cum eadem vox in medio hoc nostro mycrocosmo sedem asciuerit,vnde omnium principium habita fuit,id tamen acriter à *Gal.*reijcitur *lib.de plac Hipp.& Plat.ca.*4. *nam si demonstrationem aliquam* (subdit *Galen.*) *super hac re nos doceant,libenter audiemus , si vero à positione,ac situ tantum sibi progrediendum censent,illud quidem vitio non vacat , cum eadem ratione tum pulmonem tum asperam arteriam vocis originem esse possimus asserere atque eò etiam probabilius, quo hæc vocalibus instrumentis quam cor viciniora esse constat,siquidem proprium, ac primum vocis instrumentum est guttur ; quod eo argumento patet,quod si infra ipsum asperam arteriam incideris vocale animal amplius non erit*;vndè meritò doctiss.*Duret.in Coac.Raucitatem* , inquit , *ex tunicæ arteriam succingentis asperitate fieri,eiusque catarrho primùm acri,& tenui, mox glutinoso,& salso imbutę*;cui arridens *Holler.in eodem comm.*ait : *Aspera enim arteria interiori parte membrana leui humiditate irrigata inducitur , quæ si nimio humore imbuitur raucedó fit,asperior quædam vox si exarescit,clangor , est autem ea vox subrauca, sed acuta ferè , quanquam interdum grauis , vtroque modo non aspera, sed potiùs lenis,non obscura, sed sonora,quibus distinguitur à raucedine* ; a quo sensu haudquaquam recessit laudatus *Valles.*dum 6.*epid.sect.*7 sic ait : *Quibus per raucitatem vox omninò intercipitur plurimum succi imbibitur in ipsam asperæ arteriæ membranam,quę pars non facilè commouet sua excrementa , sed sustinet, vsque dum paulatim discutiantur,quin etiam vidimus horum plurimos multum temporis voce carere, & in posterum toto vitæ tempore manere,durata, & indissolubili facta passione* ; *Andr. Laur.tomo* 1.*p.*139.laryngis corpus. ait, ferè totum est cartilagineum , tum quia organum est spirandi, (debet itaque ingredienti , & egredienti aeri semper patere)tum quia vocis est instrumentum , at quod sonat, leue idest positum esse oportet,& solidum,quia vox est aeris percussio,non frangitur autem vox nisi ad solidum,durum,ac leue;à *Gal.*tamen epyglottis ereditur vocis instrumentum , cum huius cartilaginis dixerit idem *Laur.* duo illuceant potissimum vsus , quorum primus vt laryngem operiat , ne videl.in epulando potus cibique in arteriam,pulmonemque ferantur , alter vt aerem à pulmonibus vi,& impetu pulsum ad vocis modulationem percutiat; Dicat ergo *Gal.*& meritò 8.*de vsu part.cap.*6.vocem,sonumque id ipsum esse,vocemque vel aerem esse percussum,vel aeris quandam percussionem, nihil enim interest modo vnum hoc duntaxat constat, motum qui percussione fit quasi vndam progredi oportere ; vndè variæ de voce extitere sententiæ ; *Plato* namque eandem definiuit esse emissum ore spiritum , cogitationis imperio ad aurem impulsum,qui per aures,& cerebri neruos in animum vsque peruenit, propriè verò subdebat *Plato* hominum loquutio impropriè quoque aliorum animantium sonitus , & mutarum etiam rerum crepitus vox appellatur, *Epicurus* vocem asseuerat atomorum fluxum, qui è loquentibus sonantibus aut aliter strepentibus prodit,has autem athomos ad sibi similes primum effluere , sibi similes ait *Gal.de hist. Phylosophica* appellat quæ sunt eiusdem generis,vt rotundę rotundis,triangulæ triquetris, demum auribus impingentes vocum sensus isthic committere,colligi verò quod dicit tum ex vtribus cum musto pleni efflant,tum ex infectoribus qui

vesti-

vestibus insufflare consueuerunt; *Democritus* aerem quoque dicit in similes atomos scissum vnà cum uocis atomis ad aures vsque conuolui, nam vt in prouerbio est, graculo graculus adstat, & similia Deus semper coniungit: *Stoici* non ex atomis compositum, sed per totum continuum aerem esse, neque inter spatium vacuum habere contendunt, pulsus igitur aer à spiritu fluctuat in gyrum, non aliter atque stagnum solet iniecto lapillo, illud tantum interest, quòd aquæ superficies subindè maiores circulos committit, aer autem vndique totus in orbe exundat; *Anaximander* vocem oriri putat cum aer spiritum repercutit, & eum ad aures vsque retorquet, quomodo conficitur per quam nominamus Echo: verùm *Pytoagoras Plato & Aristot.* incorpoream vocem arbitrantur, neque enim aerem ipsam esse, sed aeris superficiem certo quodam oris impulsu figuratam, quod *Stoici* non admittunt corpus eandem esse defendentes, omne namque quod agit corpus est, vox autem cum in nostris auribus resonet agere quidem videtur; quinimo nedum agere, sed facere cum in sensu quod percipiamus relinquat; Præt. omne quod mouetur, corpus probant *Stoici*, vt in voce contingit, si quis enim intrà pyramides semel inclamet, quater aut quinquies subinde eadem vox remittetur; cęterùm, fateor longè recessi ab eo quod incæpi; ideoque illuc redeat oratio, ideoque quicquid sit illud vnum dixisse sufficiat vocem ex *Gal.* esse aeris percussum, siue quandam aeris percussionem, non omnem tamen aeris percussionem putat *Gal.* 7. *de vsu part. cap.* 7. vocem posse figurare, sed oportere symmetriam quandam ac conuenientiam esse substantiæ rei percutientis simul, & roboris quo aliquantisper aer resistat, neque primo statim impetu ac coitione virtus deijciatur, hanc autem symmetriam cartilaginem adeptam esse promulgat, cum molliora quam pro ipsius natura præ imbecillitate aerem ipsum remissius percutiant, duriora autem facilè ipsum euertant, adeò vt maneat amplius, neque resistat ad percussionem excipiendam, sed subducat se, atque aufugiat, & fluere potius, quam percuti videatur.

Dicendum ergo cartilaginosam arteriam laryngi pręparare quidem, ac concinnare vocem, quæ cum ad ipsam peruenerit adaugent eam, & palatum velut ἠχείων quodam idest vocis refractorium, & γαργαρεων quasi plectrum, nec ob id quod crediderim cum *Gal.* laryngem esse principalissimum vocis instrumentum, nam reliquæ partes concurrunt ad efformandā vocem, vt puta epyglottis, & vula; Epiglottidem namque *Gal lib. de anat. viuorum* primam vocis cannam vocitauit, vltam verò secundam, quamuis *lib. de decret. Hip. & Plat.* linguam adiungat. dicat ergò *Iacot.* & merito: *Caussa vocis efficiens, & prima facultas est animalis & motrix in cerebro, instrumentum totus larynx ex tribus carthilaginibus cum suis musculis & neruis moderatè aperientibus & committtentibus glottida siue rimulam, ad unctis neruis recurrentibus; materia proxima exsufflatio idest multi spiritus extra animal per guttur affatim facta emissio, materia apparatus, & motus ab intercostalibus musculis, & neruis à spinali medulla sub ceruice, qui vehementius contrahendo thoracem affatim spiritus foras excludunt; Materia remota expiratio, quæ quiescentibus intercostalibus fit ab alijs musculis contrahentibus thoracem, vt sex superius neruos habentibus in ceruice, & à septo transuerso, quibus fit vt amissa voce respiret interdum animal; via per quam effertur exsufflatio aspera arteria cum glottide, cui supereminet epyglottis*, quod crediderim *Iacotium a Gal.* deprompsisse, dum *p. de loc aff. cap.* 6. dixit exsufflationem

vocis

vocis quidem esse materiam, quam contracto thorace efficere dixit intercostales musculos, vnde larynx totus potissimum afficitur, tres cartilagines, & qui eas mouent musculi, quibus accedunt nerui à cerebro demissi, ac pret. ligula Greci Epyglottida vocant, hæc maxim è proprium vocis instrumentum est, hæc enim quum à musculis (ait *Gal.*) moderatè & aperitur & comittitur, vocem efficit: quod si he partes ab auctoribus, & potissimum *Gal.* vocis formatrices fiunt, easdem necessariò dicendum est oblędi debere in raucedine, nam vt aiebat *Auerroes* actio à partium fit temperie, destruitur autem ab earundem intemperie, sicut contingere est in nostro casu in quo cernimus maximum Poetam raucisonum redditum esse, non ob aliud vt reor quam ob earum partium intemperiem ob humiditatum affluxum à capite prouentium, proindeque *Gal. 6. de sanit. Tuen. cap. 9.* dixit *Ergo is larynx ab ijs quę capite decidunt madefactus principio quidem raucam vocem facit, procedente verò tempore paruam: si verò longius etiam procedit malum, totam etiam adimit*, quippè cum larynge arteria quoque ipsa vna humectatur, unde doctiss. *Mercur. in suis consil.* hoc à *Gal.* depromens dixit destillationem à larynge ebibitam uocem raucisonam reddere, larynx enim madidus redditus, habitumque frigidum, & humidum adeptus uocem rectè formare nequit, cum in ipso aer minimè percuti, atque sonum eum edere possit qui claræ uocis sit essentia, hocque crediderim comparasse nostrum languentem studijs laboribus, unaque assiduis curis, in quibus Phylosophus cerebrum multo humidius reddi uoluit, ob idque *Holl in Coac. Comm.* dixit: *Raucedo fit fluxione irrigata, asperataque interiore tunica asperæ arteriæ, quam leuem, & modice humentem esse conuenit, vt vox laudabilis exeat*; cæterum quoniam vox nostri languentis rauca quidem sed acuta potius percipitur, ita vt quasi clangosa nuncupari valeat, non alienum crederem cum *Gal. 3. de morb. vulg.* fateri eandem vel à siccitate vocalium organorum fieri, quemadmodum raucam ab humiditate, vel quia vt dixerat *lib. de voce, & anhelitu* epyglottis plus constringitur quam deceat, tuncque aer qui exit ab epyglottide erit paruus, & tunc erit minor percussio, sicque vox parua fiet, vox enim ait *Gal.* non potest crescere, nisi crescant illa duo quibus fit, aer scil. & percussio cremento proportionali, ni cum *Dureto* asseuerare velimus huiusmodi raucitatem ex asperitate tunicæ arteriam succingentis imbutę catharro primum acri, & tenui, mox glutinoso & salso: quod crediderim in nostro casu contigisse, cum satis constet nobilissimum languentem hepate feruidiori à natura fuisse donatum, cuius caussa & humorum fit salsedo, ratione scil. serosæ, biliosæ humiditatis admixte, & fluxiones exprimuntur, ob continuas euaporationes quarum Iecur est origo; vnde & fluxionis ratione humectantur partes, sed humiditas illa est pituitea cum siccitate coniuncta, quia salsa, nitrosa, salisque vt *Chymicis* alloquar nonnihil particeps; cæterum fateor (vir doctissime) cum mihi nulla fuerit præstita morbi relatio, quęcunque dico obiter, & quasi per transennam, vt dicitur, profero; quicquid tamen sit non ignoro huiusmodi morbos chronicos iam factos, non nisi summi Numinis ope eneruari valere, proptereàque mihi potius curatio *Harpocrati* tradenda quam *Hippocrati*, nam qui se dicit scire quod nescit temerarius est, dicebat *Augustinus* verùm cum audacia principium sit actionis vt *Democr.* asserebat, cumque tutioris audaciæ sit tentare, ijs enim paratior est venia vt innuebat *Quintil. lib. 12.* propt. non audebo huiusmodi pro-

nun-

uinciam assumere, cumque dixerim huiusmodi morbum à destillatione pronasci eaque tenui, & salsa à Iecoris feruore genita in fauces, epyglottidem, ac laryngem illapsa; ideò triplex videtur consurgere indicatio huiusmodi raucedinem profligandi, & primò quidem auersione, interceptione, & exsiccatione, secundò Iecoris attemperatione ac humorum, & tandem organorum recipientium aliqua humectatione anacatharsim potissimùm iuuando; Neque hæc omnia fieri posse concrederem ni prius corporis vniuersitas heterogeneis humoribus oppressa defæcetur, idque leuibus quibusdam pharmacis; vndè ob id te repurgarem cum syr. ros. sol. viol. solut. Diasebest. simpl. cum modico rhab. & agar. el. infus. in aq. viol. præmissis tamen syr. de s. beton. capitis ratione, de liquir. pectoris causa, & de s. borrag. Iecoris habitato respectu; quinimò si antè hæc omnia electuarium aliquod leniens non erit malum, vt Romæ consulitur; quod si vniuersali præstita euacuatione ad pillulas capitis ratione accedere velimus, non erit absurdum per tres horas antè diem, cuiusmodi esse possent pillulæ de tribus cum rhab. de agarico, & similes; De sanguinis missione hic non loquor cum simus in viro admodum annoso, quod si velimus duas hyrudines uenis sedis affigere ad euentilandum, haud erit malum. Interim ad intercipiendam materiam quæ sensim, & paulatim prolabitur, ceratum aliquod ex mastice, & corallis suturæ coron. derasæ affigendum proponerem; quemadmodum pro auertenda destillatione non erit absonum cauterium affigere sinistro bracchio, vel si illud sit factum, alterum affigerem cruri dextro vt & *ἀντίσπασις* seruetur, & reuellantur materię vnàque euacuentur à Iecore genitę, sic quoque cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ erunt ad rem, quemadmodum pro exsiccanda materia non alienum crederem chinæ radicem in iure ebullitam cum sandalis citr. ligno de visco quercino, beton. liquir. borragin. endiu. melissa, & similibus iniungere: à ligno Indico penitùs horrerem, cum illud vim hostilem pectori habere prædicarit *Petronius*; & doctis. *Iacot.* in hisce fluxionibus salsuginosis, ac tenuibus maximum dixerit afferre detrimentum, eo quia fluxiones attenuando easdem adauget, & exsiccando ità pituitam crassam indurat, vt eandem reddat in tophos peruiam; Neque inutile erit nonnunquam assumere cum it dormitum tab. ex sacch. ros. antiquo, quemadmodum pro incrassanda fluxione Diacod. in tab. ab omnibus sanè probatur; *Doctis. Mercur.* præ aliis laudat aquarum thermalium, & potissimum Lucensium stillicidium quibus semetipsum raucedinem habentem optimè persanasse promulgat; sic quoque pro materia in fauces & laryngem illapsa incrassatione, & attemperatione vterer cum eandem dixerim, & salsam, & tenuem; proindèque *Gal. de dynamid.* in huiusmodi casibus summis laudibus effert Diapenid. magnum, quinimo 3. *lib. de medicam. paratu facil.* ut uox canora reddatur tragacantha uino madefacta, & in potum assumpta probatur, fabulentur quantum velint Poetę Zamen fontem ebibitum canoras pariter configurare voces, nam non mendax erit syr. qui à *Matthia Lobellio* de erysimo paratur: ℞. erysimi totius recentis, m. i. rad. helenij, tussilag. succo adhuc prægnantium, glycirizæ an. unc. I. borrag. cichor. capill. uen. an. m. i. florum cord. anthos, beton. an. p. s. sem. anis. dr. I. passul. maind. vnc. 5. coquantur omnia in s. q. aq. hordei, hydrom. & succi erysimi unc. 3. ad lib. I. uel lib. 2. colaturæ adde sacch. q. s. mis. f. syr. A doctis. Senner. in huiusmodi fluxionibus commendantur frigida, incrassantia, & lenientia,

tia,

tia, vt diatrag. frig. conſ. roſ. viol. Diacod. in tab. ſyr. de papau. ſyr. viol. de iuiubis, & ſimilia; ego autem maximoperè laudarem ſyr. de althæa, cum aqu. ſcabioſæ, & tuſſilag. neque abſonum crederem adhibere pillulas ex therebint. cum ammon. cum eædem, & abſtergendi, & emolliendi vires obtineant; ſicut pro eadem materia in pectore abſtergenda maximas habere poſſe vires crederem vſum ptyſſanæ hordeaceæ, nam hæc eſt moderatè humida, abſtergit, & temperat ſalſas materias à Iecore genitas, interim inunctiones, emplaſt. & alia extrinſeca remedia lubenter admitto quæ breuitatis gratia ſileo: Hęc ergo habui, quæ dicerẽ, vir inſignis, eaque ſi manca in multis excuſa, eaque perficienda trade doctiſs. Medicis Romanis.

PRO PERILLVSTRI DOMINA CATHERINA,
Vxore Domini Ioannis Franciſci de Zutiis Patritii Aquilani ophtalmia laceſſita.

CONSVLTATIO XXXIV.

SI liberalis, ac prodiga Natura, vnquam extitit, vtique in oculorum ſtructura talis eſt nuncupanda, vt non immeritò *Plinius lib.* 11. eos precioſiſſimos vocitarit, eò quod lucis vſu mortem à vita ſeiungant, tenebras à luce, quos non ab re diuinus *Plato in Thimæo* intellectus ſatellites conuocauit, ex *Ariſt.* 1. *metaphyſ.* ijs prudentiam, diſciplinasque comparari; vndè *Andr. Laur. cap. 3. de viſus nobilit. tomo* 2. dixit: *In parte exterua capitis lucentia illa duo videbis ſidera gemina illa mentis ſpacula, in quibus omnia eius eluceſcunt pathemata, humorem criſtallinum orientalibus gemmis elegautiorem, & ſplendidiorem intueberis, ſex membranarum oculos inuoluentium nitorem miraberis, miram ſex muſculorum mobilitatem præ omnibus verò Trochleam amoris Ducem, & indicem*: indèque oculos naturæ κάλκατώ ωτρα & ſpecula vocat *Orpheus*: *Heſychius* Solis portas; *Alex. Peder Peripateticus* animi feneſtras, quoniam per oculos conſpicuè ipſum perſpicimus; vſque ad abditiſſimos eius receſſus, & intima vſque eius adyta penetramus, & quemadmodum facies verã eſt aiebat *Laur.* & genuina animi imago, ità oculi animi pathematum certiſſimi ſunt indices, vt non immeritò quamuis falsò *Arabs Blamor & Syennenſis Medicus Cyprius* animi ſedem in oculis conſtituerint; vnde *Galen.* oculum vocat diuinam particulam, & ſolarem animalis partem: quamobrem cum magnam partem ad vitæ ſimul, & vſum, & dulcedinem conferant ſumma ſunt cura tuendi vt elegantiſs. *Celſus* voluit, nam ingentibus, & varijs caſibus oculi noſtri patent, vt idem auctor inſinuauit, ideòque ſi eoſdem contingat ægrotare vel nulla interpoſita morula curationem inire debemus: nil enim aiebat *Trall lib. 2. cap.* 1. magis artem ad curationem vrget, quam vehemens dolor oculos affligens, quod intuens *Oribaſ. 4. de Eunap.* dixit: *Cum inflammatio, aut dolor oculos obſidet, ſi Medicus abſit facito tu ea, quæ poſſis, donec Medicus accedat, ne quid deterius accedat*: propt. cum nobiliſſima noſtra languens oculorum dolorifico pathemate crucietur, rubore ſint oculi ſuffuſi, tumeant, vnàque acredinis ſenſu torqueantur ophtalmico morbo eandem premi credendum eſt, ortum ſanè vt reor ex capitis lotione, abſque eiuſdem cura in exſiccando, vndè refrigeratum caput,

vnàque humectatum fluxionem ad oculos demandauit; eoque magis quia caput vt volebat *Gal.* est ex se satis intemperatæ Naturę vnde non mirum si facilè multas congerat materias quas subinde ad oculos transmittens, ophtalmiam gignit, qua de caussa *Gal. 2. de differ. febr.* dixit : *Nam quamdiu humor qui ad caput confluit similis fuerit, eadem dispositio capitis, tamdiù superfluitates æquali tempore, & similes, & æquales aceruabuntur, similesque oculorum exasperationes orientur,* indèque haud miror si à capite cumulata pituitosa congerie acribus humoribus à Iecoris feruore congenitis similis adnascatur affectus ophtalmicus nempè, quare non immeritò dixit Senner. caussam huius mali proximam, & continentem esse sanguinem, humoresque calidos, acres, & vitiosos sanguini permixtos, & per venas tunicę adnatæ dispersos, easque distendentes; indeque raro putat hunc morbum fieri per συναθροισῶν idest ex corrupto, vel crudo oculi aut tunicę nutrimento, vel ex humore ibi quidem genito, cum ob exercitationem, & motum ferè continuum eorum resolutio, & discussio fiat: sed fieri per ρευματισγων; nec miror caput ad ipsos oculos fluxionem transmittere, nam cum in cerebro aggregantur materiæ plurimæ & repletio (dixit *Auic.*) tunc vix euadit oculus, quin ophtalmiam incurrat, nisi fortis fuerit valdè: subdit: *& quandoque sunt arterię quæ effundunt ad ipsum superfluitates suas cum sunt superfluitates in ipsis multiplicatæ siue arteriæ sunt intrinsecæ siue extrinsecæ;* quicquid tamen sit oculi facilè fluxiones huiusmodi excipiunt, ij enim cum ex *Alex. 1. probl. 35.* sint molles, ac humidi ευπαθεις seù patibiles facilè fluxionem recipiunt, oculi enim maximè in sympathiam traduntur cerebro malè affecto, vt dicebat *Duretus;* eò quia sunt infirmissimi vt voluit *Arist. 31. probl. 22.* quam quidem fluxionem vbi in eorum meatibus receperint, eaque in ipsis figatur, ac obstruat calorem intrò coercet, qui cohibitus magis intenditur, cum perspirare nō possit, atque ità oculum inflammat, vt *Cassius voluit 66. problem. med.* neque enim puto influxum excrementitium in oculum à capite tantum initia ducere vt dixi, sed à partibus infernis sympathiam ascìscere, Iecore potissimum quod suo calore biliosas humiditates sanguini, & pituitæ communicando acredinem pariter impartiunt, vnde & dolores fortiores, atque inde inflammatio, quæ ophtalmia dicitur, non ταραξις quæ sicca est, & nil aliud est, quam leuis quædam omnium partium oculi inflammatio, & velut phlegmonis initium cum rubore exiguo quem dolor consequitur, vt ait *Mercatus*, ac li *Paulus* à solij caussis extrinsecis hanc fieri dixerit, atque ob id nostram inflammationem a capitis lotione n. tam huius nomine vocitandam esse, tamen experimento compertum est ab internis posse fieri, neque huiusmodi affectus cherophtalmia dici potest, quæ oculum dolentem supponit citrà materiæ conspicuum affluxum cum quibusdam ichoribus continuò oculus scateat; proindeque ophtalmiæ nomine nuncupanda, quæ phlegmone membranæ est, quam Arabes coniunctiuam Græci επιπεφυκοτα idest adnatam seù aggenitam, quod omnes alias oculi partes ambiat, ab anteriore parte vsque ad iridem dictum circulum, quæ dolorem non raro habet adiunctum vt ait *Auic. lib. 3. fen. 3. tra. 1. cap. 6* aut propter humorem mordacem tunicas erodentem, aut propter humorem plurimum extensiuum, aut crassum vaporem, quem recipit, & quia debilis, & quia calidus, & quia dolens pariter attrahit; ideòque eadem non raro solet esse diuturna, sic *Hipp. 2 prædict* hæc habet: *& iudicationem in his maximè expectare oportet: primam quidem ad vigesimum diem, si verò hoc tempus transmis-*

mittat ad quadrageſimam expectanda eſt, ſi verò neque in his diebus ſedetur in ſexaginta indicatur: neque mihi negotium admodum faceſſit febris, nam ſi *Hippoc. in Coac.* credamus, eadem laudabilis eſt: *Lippienti vero* (ait *Hippocr.*) *ſuperueniens febris ſolutio*; de qua re obſtupeſcit *Holler. in comm.* dum ait: *Conſtat quidem frigidos morbos ſuperueniente febre interdū diſſolui, non ità calidos, qualis ὀφθαλμία peculiariter appellata a Medicis,* ego tamen dicerem febrem in ophtalmia poſſe eſſe laudabilem primò quia poteſt materias extenuare, qua ratione pariter ab *Hippoc.* vinum dare; ſecundò quia cum acres illæ humiditates à febrili ardore abſumantur, in cineres redactæ non amplius ea acredine referuntur, qua poſſint dolorem ita vehementem formare, quicquid tamen ſit, quoniam oculorum dolor eſt acerbiſſimus adeò vt dixerit *Galen.* quemcunque capitis dolorem minorem eſſe oculorum doloribus; ideo quam citiſſimè talis pathematis curationi incumbendum, Primò purgatione vniuerſali cum dixerimus totum corpus cacochymia ſcatere, ſecundò venæ ſectione, & particulari purgatione caput reſpiciente, tertiò fluxionem auertendo, quartò tandem dolorem leniendo, qui tanquam cucurbitula ab vniuerſo corpore trahit; quod & repellentibus, & reſoluentibus faciemus, quoad purgationem ego prius leniens exhiberem vt ſyr. roſ. ſol. mel. roſ. ſol. quia adeſt febris, quæ prohibet valida purgantia aliter in ophtalmia admiſſa à diuino *Gal.* 13. *meth.* 11. aiente ſe purgante valido medicamento vnica die oculorum inflammationem ſuſtuliſſe; ſic *Holler. cap. de ophtal.* hæc habet: *Vidi contumaces ophtalmias non potuiſſes curari niſi fortium catapotiorum vſu, hyera dyacolocintid & ſimilibus id genus vehementioribus medicamentis, ſed omnia pro humoris qualitate, & quantitate temperanda Hipp.* tamen *lib de loc. in hom.* de oculorum affectibus loquens ait: *Hunc ſic ſanare oportet, medicamento caput purgandum eſt, non forti:* doctis. tamen *Saxonia* ait cauendum eſſe à validis hiſce pharmacis dum febris adeſt: tunc enim *Raſis* conſilium amplectitur, qui ſcil. exhibet lenientia; quo præſtito ad ſyrupos deuenirem & ad materiam præparantia in quibus præfatus *Saxonia* vnum dicit, vt ſcilic. in ſyr. præſcribendis non ſtatim ocularia præſcribamus, quod tamen video vulgò practicantes facere, ducunt enim hac humores in oculos, cum tamen ab initio longè à parte fluxione tentata ſint retrahendi, tunc igitur ait medicamentis ocularibus vtendum cum totum corpus, & caput magna ex parte fuerint repurgata; Sen. tamen inter regulas quas præbet eſt, vt in ophtalmicis remediis ſemper ſint admiſcenda, quæ oculis conducant; quod mihi etiam magis probatur, & ratio eſt, quia hæc medicamenta non habent virtutem vel trahendi, vel extenuandi, ſed ſolum reſpiciendi talem partem ob eorum formam ſpecificam, ſicque potiùs oculum roborabunt, & proprietatis ratione viuabunt; hacque ratione dixerat *Hipp.* in omnibus morbis curandis quoad remedia eſſe in iis imponenda in quibus ſit talis virtus ideſt reſpiciendi talem partem affectam, quare præſcriberem ſyr. ex beton. de ſ. borrag. cum mell. roſ. ſimpl. additis dec. communi cum aquis euphrag. fœnic. ad vnc. 1. pro ſingulis; quibus ſumptis ad medicamentum purgans deuenirem vt ℞. ſyr. roſ. ſol. mellis roſ. ſol. an. vnc. 1. ſ. el. Diacatthol. indi an. dr. 4. agar. trochiſ. ſcrupul. 2. dec. cord. q. ſ. miſ. f. pot. cap. quod commendaſſe viſus eſt *Hippoc.* 1. *lib. de viſu text* 4. vbi ait: *Ad lippitudinem annuam ac popularem conducit purgatio capitis, & ventris inferni, & lib. 4. de loc. in hom. tex.* 21. *Si verbo ſtatim inflammati fuerint, nihil omninò illi ne ſed aut fortiſſimo, quàm infimè vrito aut alio quopiam aluum ſubducente*

medicamento attenuato, uitando ne vomitum facias: hac ergo vniuersali prestita euacuatione postmodũ ad pillulas deuenirẽ lucis de agar. sine quibus additis nonullis granis diagrid. sic enim caput repurgaretur iuxtà communẽ hominum opinionem, puto enim apophlegmatismata & errhina caput purgare, de quibus aliàs; interim dum preparatur materia non abstinerem à venæ sectione: sanguinis enim missio, & expurgans medicamentum, ac diuersiones dolores soluunt dixerat *Gal* quam celebrarem ex eadem parte ex vena media si adsit totius corporis plethoria, sin minùs ex cephalica, quamuis non ignorem alios prius ex opposito latere, deindè ex directo sanguinem mittere, quod tamen sicut Gal. non admittit in pleuritide, sic nos in hoc affectu explodemus: Morbi enim dixerat Senex lib. de locis in homine sunt curandi per partes, quæ morbos faciunt, & alias dixerat: Morbi ea parte, qua singulis exitus quam proximùs est, extrahendi: De quantitate doctiss. *Saxonia* ait in hoc morbo multum sanguinis esse exrahendum, quinimo *Galenus* adducit, qui *liber. de currat. per sanguin. miss.* aientem se detractis sex libris sanguinis lippientem curasse; cæterùm vt liberè fatear ab his profusis sanguinis effosionibus penitus cauerem, semper enim cum *Auic.* numeri multitudinem, quam essentiæ laudarem; *non enim rectè morbum demit* dixit *Fernell. qui cum morbum demit, cum morbo ægrum è medio tollit*; quamobrem mitterem sanguinem cum maxima cautione; eoque potissimum in nostro casu, in quo bilem peccare vnà cum sanguine & pituita superius explanaui; sic *Alex. Trall.* dixerat: *si igitur sanguis caussa tibi inflammationis effectrix esse apparuerit venam secare humeralem oportet, sin biliosi, & acres humores cum sanguine etiam purgationem, & paulò post etiam sanguinem demissum adhibeto*: neque enim hac ex bracchio sanguinis missione essem contentus, quinimo, & hyrudines venis sedalibus affigerem, easdemque venis post aures, *Mercatus* eas applicat venis nasi, atque in ijs quæ sub lingua sunt, si tamen morbus in internis venis sit, sin autem in extimis sanguinem mittit ex vena frontis; sic *Alexander Benedictus lib. 2. de curan. morb. cap.* 4. dixit se vidisse senem visu hebetiorem nonagenarium, Hadriæ super frontem vulneratum cęcitate & vulnere pariter liberatum sic *Auic.* venam secare iubet quæ est in angulo, aut eam quæ est in fronte; compertumque est ait *Senner.* ophtalmicos qui casu in fronte vulnerati fuerunt, hac occasione ab hoc morbo euasisse; *Mercatus* hæc habet: *quæ sanè auxilia multi ex auctoribus non nisi iam inueterato morbo adhibere audent, quo tempore nullius esse momenti comperimus, quia tunc satius erit, eas quæ in angulis oculorum existunt aperire, quod expiret commodius quod in oculis continetur*: Antiqui vt est apud eundem, vbi feruidior esset, & vaporibus plenus, ac per arterias externas in oculos flueret arterias in temporibus aperuerunt, cuius sectionis modum docet *Gal. 13. meth. & Paulus Ægin lib. 6. cap. 4.* ad quem vsum *Hipp.* venas visum permentes exurit, aiens *lib. de loc. in hom. tex* 23. *Huius venas visum prementes exurere oportet, quæ videl. semper pulsant, & inter aurem, ac tempora consistunt*; quam arteriarum exustionem in vsum reuocasse *Fallopium narrat Gisnerus* ita *Celsus lib. 6. cap. 6.* in temporibus vult venas esse inurendas: His prestitis cucurbitulæ affigendæ, & potissimum occipiti, nam vt ait *Gal. in occipite cucurbita defixa maximum est ad fluxiones sistendas medicamentum*, sic frictiones, vessicantia, ligaturæque conueniunt; sed quod prę reliquis commendatur est inustio in occipite, pręsertim si morbus fiat antiquus; tunc

enim

enim magis conueniunt particulares euacuationes, vt de errhinis, & apophlegmatis etiam dicitur, quamuis errhina hic non leuem obtineant difficultatem, videntur enim eadem ad oculos materiam allicere, cæterum, si eadem debilia fiant, tantum abest vt trahant, vt potius, ab oculis euacuent; sic dixit *Hip. lib. de loc. in hom. tex.* 21. *Medicamenta caput purgantia, quæ quidem fortia sunt à toto capite ducunt, quæ verò debilia ab oculis, & hinc à vicinis naso partibus*: quod medicamentum describens *Hip.* ibidem dixit: *Medicamentum adhibebis aut singulis diebus, aut alternis, eodem vtens, sit autem tale medicamentum, quod non plus, quam acetabulum per nares deducat*; quicquid tamen sit apophlegmatis potius vterer, quæ & euacuant, vnaque reuellunt, poterit ergò sequens adhiberi ℞. pyrethri, sem. fænic. zinziberis an. drach. 5. masticis vnc. 5. ceræ q. s. mis. f. masticat. Interim si singulo mense caput pillulis repurgent, si tamen morbus inueterascat, non erit malum, sic enim purgatur materia, quæ in dies ab intemperato capite congeritur; cuius caussa mane, & serò sumere poterit drach. 2. infrascripti elect. ℞. conf. beton euphrag. an. vnc. 1. s. conf. ros. vnc. 1. sem. fenic. puluer. euphrag. an. drach. 5. mellis despum. q. s. vt f. elect.

Neque interim oculorum nulla est habenda ratio, sed maxima, cum dixerit *Hip loco cit. quum autem in oculos paulatim fluxerit, & pruritum fecerit, sic affectum molli medicamento illines quod siccare potest, simulque modicam lacrimam ducere*: supponit enim hic adesse paucam fluxionem, ita vt materia incipiat resudare per oculum, nimirum per tunicas, vndè pruritus, sicque ad dissoluendam illam materiam, & exsiccandam medicamentum illinit, quod modicam lachrymam ducat, *lacrima* enim ex *Aris. sudor quidam est* cæterum miror quomodo *Hip.* alias dixerit: *Si verò statim inflammati fuerint, nihil omninò illine, sed aut fortissimè quam infimè vrito*: & tamen *tex.* 23. *lib. de loc. in hom.* dixit: *vbi has obturaueris oculis pharmaca quæ humectant adhibe & lachrymam quã plurimam prolecta, quod id quod in oculis compactum est, & morbum facit, eluatur*: sed cesset admiratio, siquidem *Hip.* dum timet affluxum copiosum materiæ ad oculos abstinet ab ocularibus medicamentis, & ideò dicit; *si statim inflamati fuerint*, *h[illegible]* enim statim præter subitaneum humorum motum videtur significare & largè factum, nec non etiam & repente, sicque indicare maximam cerebri repletionem qua prohibemur aliquid oculis applicare, ne fiat maior attractio, ideoque aiebat *Gal. Ne cures oculos ante totum caput, ne caput antè totum corpus*; quod si postmodum *tex.* 23. oculis esse pharmaca quæ plurimam lacrimam proliciant adhibenda, primò supponit morbum inueteratum, 2. nihil ad oculos fluere, 3. esse factam interceptionem dum ait: *vbi v. has obturauerit, ità vt nihil fluat*, sicque quamuis valida apponantur remedia, nihil obfutura iam sperat; itaque vel quando morbus pendet à pauca materia, & paulatim fluente, quamuis ab initio modica lacrima prolicienda, vel quando est inueteratus, & nondum materia fluit, & tunc est multa prolectanda lacrima; ad quam proliciendam multi vsi sunt fortibus medicamentis, sic *Arist. 9. problem. sect.* 31. dixit: *Prosunt interdum quæ mordent, lacrimam euacuant vt cepe* sic Hip. dixit: *Cepa visui commoda est, corpori verò mala*: cęterum ab his validis pręsidijs abstinerem, cum horum acrimonia potius sit apta allicere humorem, quàm euacuare; sic *Celsus loco sup. cit.* dixit *In ipsum verò oculum primo die, nisi immodica inflammatio est, nihil rectè conijcitur, sæpe enim potius concitatur eò, pituita, quàm minuitur,*

vnde

vndè *Hip. de loc. in hom.* dixit *verum ad ipsos oculos nullum pharmacum adhiben-
dum est*; nam vt dicebat *Gal.* ocularia medicamenta magnas faciunt pro-
missiones, sed nihil obseruant: quicquid tamen sit, si fluxio non sit magna, &
dolor vrgeat, nō alienū erit aliquid in oculū instillare, & potissimū id quod
fit ex lacte; nā [illegible]i dē *Celsus* aiebat: *si tantum mali est, vt somnum diu prohibeat, eorū
aliquid dandum est quæ anodyna Græci vocant, inter quę lac recensetur* vnde *Hip.
quæ acria sunt ac pungunt* (aiebat) *lac his lenitatem inducit*: cautionem tamen ad-
hibet *Septall. in suis animaduers.* non spernendam, ne scilicet eadem lactis por-
tio diutiùs parti adhæreat, sæpè enim ab æstu corrumpitur, & à vehementi
calore oculi acrimoniam concipit; abstergenda igitur blande erit, aut nouo
lacte aperso subluenda: hoc.n. à *Gal.* pariter comprobatur aiente 4. *de com-
pos. medic. secund. loc. Voco autem leniticos liquores tui candidum, & fænugreci de-
coctum, magisque adhuc ipsum lac, vt plurimum verò albumen tui, cum accommodatis
pharmacis lippitudines curare sufficit*: hoc vnum tamen adnotarem ne perpe-
tuò ipsis refrigerantibus vtamur, cum enim humores in oculis in pactos
possint densare, possunt quoque maiorem morbum accersere, & fortè suf-
fusionem, quod intuens *Auic. dixit lib. 3. fen. 3. tract. 1. cap. 9. & oportet quantum
est possibile, vt retardetur in ophtalmia collyriorum administratio, vsq. ad tres dies &
subdi*[illegible]: *oportet vt in principio non adhibeantur inspissantia fortia, & quæ hic vehementer
styptica, quoniam inspissant tunicas, & prohibent resolutionem, & augent dolorem: hos
tamen reprehendit Mercatus*, & talia adhibenda existimat primis tribus diebus
posteà verò ad discussionem deueniendum esse. *Saxonia* dixit ea quæ adhi-
bentur oculo non debere adhiberi nisi post primam, aut secundam diem,
nam siue materia sit calida, siue frigida, ex reprimentibus maximum loqui-
tur incōmodum; quod ipse ex vsu adstringentium pariter succedere dixe-
rim, ideoque si ea applicanda potiùs fronti ac temporibus adhibenda,
proindeque ego nedum id facio, sed & arterijs supra tempora ceratum ali-
quod exiguum exthure, vel ex mastiche affigo, sic enim cōstricta illa arteria
intercipitur ad oculos fluxio; sic quoque ego soleo huiusmodi medicamen-
tum ad leniendum dolore oculis instillare: ℞. aq. euphragiæ vnc. 5. pul.
aloes, thutiæ in nodulo lineo possit, & inf. an. dr. 1. mis. vtatur sic aliud soleo
pararent ℞. aq. ros. plantag. ann. vnc. 5. liefalbi sine op. scr. 2. mis. vtatur: sic
quoque a multis commendatur sequens emplastrum. ℞. pulpæ pomi cocti
vnc. 1. micæ panis infusæ vnc. 5. ouum n. 1. lactis muliebris q. s. mis. f. empl. s.
a. applicetur oculo. Collyrium tamen quod maximè proficuum esse obser-
uaui tale est. ℞. aq. euphrag. vnc. 1. sacch. cand ros. dr. 1. thutiæ præpar. dra. 5.
aq. ros. alb. vnc. 5. siefalbi s. op. aloes hepat. an. scrup. 5. mis. f. collyrium vtatur:
Nec desunt qui laudant fænugreci decoctum, quod etiam Gal. 13. meth. cap.
22. etiam admittit; monet tamen *Ludou. Septall.* ne vtamur semine quod est
calidius sed foliis ne scilicet inflammationi obsimus; Maior tamen solet fie-
ri de narcoticorum vsu difficultas, an scil. ea possint conuenire, verum vt li-
berè fatear, si maxima non vrgeat necessitas ad hæc medicamenta non est
deueniendum, ideòque *Galen. 6. aphor. 31.* ea maximè improbat, quod si fortè
cogamur iis aliquando vti ob doloris sæuitiem, adhærendum est *Gal.* consi-
lio qui vult vt post illorum applicationem dolore sedato statim foueamus
oculos calidis, atque ob id idem *Gal. lib. de compos. medic. secund. loc.* in oculo-
rum affectibus comprobat emplastrum ex sem. hyosciami conflatum; Hæc
ergo pro tempore dicta sufficiant.

PRO

PRO ADMODVM REVER. PATRE *Francisco Antonio Maximo Societatis Iesu imaginibus laborante.*

CONSVLTATIO XXV.

P*Lotin. atq. Synesius* nō ab re naturā magnā nūcupatur, quod in tàm exiguo corpusculo nimirum oculo tot, tantaq; dotes concluserit, solem quondam ait *Laur* coluere Ægyptij eumque inuisibilis Dei filium visibilem dixere, quare verò oculum non mirabimur qui (ex antiquo vate *orphæo*) Sol est in microcosmo lucidissimus Maioris mundi Solem pluribus nobilitatis titulis longè superans; hic enim obiectorum formam, magnitudinem, & distantiam percipit, hic intellectui repręsentat obiecta hic denique visibilia omnia suo reseruat imperio, quæq; Mundus vix continere potest, oculus vno solo lustratu in minimo gyro omnia complectitur; quid mirum ergo si eiusdem pereunte luce, animi quoque lux pereat, & quæ ipsum animum oculi ope exhilarabant eodem oculo tenebris præpedito cruciet, nil ergò mirandum si adm. Reuerendus Pater omnium horarum homo oculis fatiscens tristis appareat, dum exiguas quodam perenniter muscas inspectat nigras, dum legens salientes quasi miratur litteras, dumue studijs incumbere nequit; proh dolor, nefandum naturæ facinus, quæ ei subripit oculos qui in sciendo totus est oculus, multiplex est Argus, haud secus quam Drusus, qui oculis viduatus, erat tamen lucis templum sic Cicero dixit: Tiresiam augurem nunquam Poetæ inducunt deplorantem cecitatem suam; nec ipse potero illustrissimæ Religionis Coriphæum muscarum conditionem deflentem vobis proponere cum Aquila non capiat muscas, vt dicitur adagio, quæ quidem, sed inanimes muscæ vndè suscitentur & sibi, & Medicis offensacula ponunt, dum id alijs à vaporibus originem trahere suppeditat ansam; alijs ab humoribus initia ducere muscarum perennitatem intuentibus subministrat occasionem, & sane quis adeò cacutiens esse videbitur, qui pathematis continuitatem intuens, humoris non fateatur inhæsionem? non me sanè fugit, quam fuerit hallucinatus doctis. alioqui *Claudinus*; dum nedum ydiopaticum affectum credidit esse perennem, sed sympaticum quoque dum morbificam caussam assiduo caussandi munere fungi, & organum nedum iugiter à celebri parenchymate suppetias sumere, sed ab infernis artubus insinuauit: cæterum in hoc errare *Claudinum* inspecto, cum dicente *Gal.* affectus è consensu progenitus continuus non existat, vt essentialis; non enim præter inhærescentem caussam, gradum illū sustinere pōt; & iuxtà imaginū molem, colorem, & numerum; cum non rarò euaporanti materiæ ponatur obex vel diæta, vel dempta originis & caussæ portione, sed pabulo subministrato tanquam vapores comprimente, vnde rectè dixerat *Zacutus* 1. *lib. suę histor obser. 19.* nullum vtique membrum esse, quod tot morborum genera patiatur, in quorum agnitione plus Medici hallucinentur quam oculum; isque tamen inter omnia dissimilaria, seu instrumentalia membra minimum extat: quicquid tamen sit non est dubitandum huiusmodi imagines quibus adm. Reuerendus Pater lacessitur, ab inhærente humore originem

ducere,

ducere, eoque potius melancholico, & adusto ab hepatis feruore genito quam aliter, cum nigræ muscæ inspectentur, nec ob id reliquorum humorum sodalitium excludendum, cum & pituitæ vbertas etiam adsit; qui quidem humor nullam aliam sibi vendicat sedem, quam interstitium quod est inter corneam, & cristallinum humorem, quamuis *Gal.* albugineum humorem quandoque sancierit; proptereaque fortè *Senner.* insinuarat suffusionem non raro fieri albugineo vel aqueo humore siccescente, vt visionem oblædat: cæterum *Gal. 10. de vsu par. cap. 1.* eiusdem locum esse dicit regionem, qua interiacet inter cristallinum, & tunicam corneam, qui sanè humor melancholicus nempè, & pituiteus est muscarum origo, quatenus scil. interius stabulatur; sunt etenim huiusmodi imagines intra oculi amphractus, non autem in aere vt credidere nonulli, nam si in aere essent, visio nec diminueretur, neque deprauaretur, sed perfectiot, siquidem ea quæ sunt in aere vel minima quęque conspiceret; sic Antipheron Oretanus qui suam ipsius imaginem inspectabat vt aiunt *Alex. Aphrod. & Olimpiodorus*, ex materia intus existente trahebat originem, non autem vt vult *Phylosophus* quia debiles radij aerem permeare nequierant, ità vt ab eodem aere reflexi imaginem redderent, hoc namque contrà eundem esset, qui extramissionem non admittit, quare huius rei caussam non aliam extitisse crederem, vt perhibet *Mercur.* vel quia corruptam habebat imaginationem, vel quia humor internum oculi interstitium occupabat; neque vllum negotium facessit difficultas quę à Phylosopho opponitur, sensibile nempè positum supra sensorium non facit sensationem, cum medium debeat intercepi, non inquam, radij enim ab humore cristallino manantes ab aere, vel lumine illuminantur, & propt. nocturno temporis interuallo imagines non illucent, neque cum oculus cōtegitur vndè Sennerus huic opinioni satis arridet, dum corpuscula in humore aqueo hærentia etsi oculi intimiora peruadant à luce tamen externa, modo pupilla pateat vberrimum lumen vendicant, quod si eodem priuentur, ipsa quoque luce destituuntur, etsi enim medium intercipi debeat, duplex illud statuit præfatus Senner. externum nempè, vt aerem, & aquam, & alia diaphana corpora, & internum tunicam nempè corneam, aqueumue humorem, quæ ea ipsa de caussa perspicua, & coloris expertia esse debent, quod si cornea labem vel maculam aliquam contrahat, vel humor, aut vapor aqueum humorem petant id quod medium esse debet, ea quidem parte qua à naturali constitutione exorbitare videtur, & coloratum euadit medium esse desinit, & obiecti rationem suscipit, & ipsum etiam colore suffunditur, & non ampliùs perspicuum visui offertur, vnde rectè à *Gal.* definitur huiusmodi affectùs externa apparitio propter opacum vaporem cristalloidi, & corneæ interpositum, ideoque doctiss. *Andr. laur.* inhærens ijs quę diximus aiebat caussam huius sympromatis omnes agnoscere opacum sanè vaporem, opacum dixit idest non peruium non diaphanum, & splendens; nam si interiectum illud corpusculum diaphanum esset visa hac haudquaquam obuersarentur, sed visilium species puræ, & impermixtæ ad cristallinum ferrentur, vaporem autem hunc doctiss. *Platerus* quamuis negarit in oculum posse sese insinuare, cum arteriæ ac venæ in adnatam terminentur non autem in corneam, aut aliam tunicam, respōdet tamen Senner. reliquas oculorum tunicas nutrimento egere, proindeque vapores per eas partes meare dixit, per quas nutrimentum incipit permeare, quem vtique vaporem.

rem in oculorum cauitate receptum Auenzoar ait in humorem concrescere, haud secus quam contingat in balneis sicut enim in ijs vapores circa parietes in aquam concrescunt, ita & in oculis contingere ratus humorem stagnare credidit, qui sanè tenuis, ac facilè mobilis extans velut saltitantes reddit profectò litteras, sicut & vaporibus consocialis, qui non excludendi veniunt, cum & à toto, & potissimum à capite, cerebroq; proueniant in alterando oblæso tum ob frigidam, humidamque dyscrasiam, tum ob eius imbecillitatem a nimia sanguinis emissione à Medicis dum ægrotaret præstita, a qua tantummodo Mercurialis multos vidit imaginibus laborasse; nil ergo mirum si consequutum sit vitium tum in virtute, tum in organo vt putà humore cristallino, tum denique in partibus eidem humori deseruientibus, quamobrem antequàm vlterius serpat affectus inque suffusionem commigret, medica est adhibenda manus; vndè quamprimum instituenda est victus ratio vtputà maximè necessaria, aerque quèm quid diuini habere dixerat *Gal.* seligendus est in primis qualitatibus temperatus, qui nempè nec caloris, nec frigoris peccet excessu, vndè fugiendus est Sol, ablegandi sunt Lunæ radii, serotinoque aeri sese exponere noxium, oculis præt. nocent Australes, & Septentrionales venti, vt aiebat Senex in aphoris. neq; verò lucidus nimium sit aer, omne enim lucidum lumen dispergit, nigrum verò coadunat aiebat *Galen* proptereàque fortè Senex dixit lux splendida medentibus quidem non est molesta, non similiter autem ægrotantibus; ob idque fortè legimus Xenophanis milites per niues iter facientes cęcos euasisse, quod autem magis est, cibus e t ac potus, qui sanè cibi videl. nec crassi, nec viscidi, nec vaporosi, nec salsi, nec flatulenti, & excrementitii sunt admittendi, sed qui facilè coquuntur, quales sunt carnes pullorum, gallinarum, perdicum, alaudarum, columbarum, montanarumque auium, sunt præt. quædam carnes (aiunt nonnulli,) quæ à proprietate iuuant, visumque illustrare videntur, quales sunt Picarum, hyrundinum, anserum, hædi, & similium; Inter pisces, saxatiles commendandi, & potissimum Tructę; oua recentia & tremula, cum modico sacch. & cinnamomo mirè visum illustrant; aromata valdè calida non mediocriter obsunt, ex herbis maximè prosunt fæniculum, beton. pimpin. cichor. prohibentur verò lactuca, ocymum, anethum, portulaca, brassica, allia cępę, pręt. fructus multa humiditate donati obsunt, vnde potius secunda mensa pyro, aut malo cydonio, vt exactè occludatur superius oris ventriculi orificium, & ne vapores ad caput ferantur vtendum; sicut statim à pastu fænic. aut anisi conditi pauxillum non erit alienum assumere; a doctissimo *Claudino* summoperè laudatur sal chymicum, ex euphrag. & verbena, ac maiorana paratum.

In potu duo sunt consideranda quantitas nempè, & qualitas; sit igitur vinum tenue & aquosum in mediocri quantitate, & bene dilutum, quamuis *Arnaldus Villanouanus* vinum iniungat ex euphragia confectum; illoque subdat sexagenarium persanasse, *Claudin.* laudat vindemiarum tempore vinum alteratum china, sandalis, rad. buglossæ, & euphragiæ; Somnus & vigilia sint mediocria, exercitium sit moderatum, & de manè præstitum, est enim ex *Hipp.* decreto impossibile aliquem inculpata sanitate frui, ni exercitio vti studeat; & hęc de victus ratione: Cęterum quoniam hæc non sat sunt, prop. sum dixerimus huiusmodi morbum, & ab imbecillitate, & a cerebri intemperie pronasci, sicut & a vitiosa organi constitutione, ideò cerebrum nimiis

V qui-

quibus exundat humiditatibus repurgandum,& exſiccandum imbecillis,ac debilis oculus roborandus, & ſi quæ materia ibidem inhæreat detergenda; quod ſanè primò moliemur euacuantibus, ijſque iteratis ad *Gal.* epycraſim ſeruandam,ſicuti apophlegmatiſmis,ex maſtiche, pulu.euphrag. fænic.pyrethri & cera;De ſanguinis miſſione hic non loquendum,tum ratione temperamenti,tum ratione virtutis imbecillis, tum ratione materiæ, tum denique quia cum hyrudinibus miſſus dicitur;Cæterum quod præ reliquis commendarem,eſſet chinæ vſus, quam quoniam adhibitam paulò ante dicitis propt.ad alia traſcenderem; non deſunt qui theriacam, vel mitridathum exhibent, quę tamen, vt nimis calida fugerem, ac iſtorum medicamentorum loco, opiatas,tabulas, & pulueres potiùs probarem; quales eſſe poterunt huiuſmodi,vel ſimiles.℞.conſ.roſ borrag.an. vnc.1. pul. diarhod. dr.1. pul.euphrag.fænic.beton.an.dr.5.miſ.vtatur de mane, & ſero quotidie a Zeroaſtro Tinello maximè probatur ſequens electuarium, De mane, & ſero tribus horis ante cibum ſumendum.℞.galangæ,cariophyll.iuniperi, euphrag.anethi,florum abrot.pulegij an.dr.2.cinnamomi,zinziberis, piperis, aniſi,petroſel.apij,radic.chelidonij, chamędrios an.ſcr.1.ſem.fænic.drac.2. omnibus his puluerizatis adde conſ.de beton.cicho.roſ.an.vnc.1.mellis cocti q.ſ.f.elect.à quo quidem electuario pariter abſtinerem, cum ingredientia habeat nimis calida;quare ſequẽs medicamẽtũ,quod eſt maximè temperatum potius commendarem,vt ℞.euphrag.beton.rad.chelidonii an.vnc.1 ſem.fænic.aniſ.an.dr.2.coriandr.dr.2.ſp.diambræ ſcrup.1. conſ.roſ. florum borrag.an.vnc.1.beton.vnc.5.mellis q.ſ.f.electuarium ca. à doctiſſimo Laurentio,& electuaria,& pulueres ſatis temperati probantur.℞.ſacch.roſ.borrag.an.vnc.2.pulu.diarhod.dr.2.pulu.euphraſiæ, beton.& fęnic.an.drac.5. vtatur,vel ℞.fænic.coriandr.condit.an.vnc.5.cort.citri,myrabol. condit.an. drac.2.euphraſię ſiccæ drac.1.maceris drac.5.ſacch.roſ.q.ſ.miſ.f. conditum, quo ſtatim à paſtu ad coclearis menſuram vtendum; vel ſumi poterit ſequens:℞.conſ.beton.euphraſiæ an.vnc.1.ſ.conſ.cicho.vnc.1 ſem.fænic.puluer.coriand.an.drac.1.mellis q.ſ.miſ.f.elect. ſunt præt.nonnulli, qui non improbant vſum collyriorum,& ad oculos corroborandos,& ad abſtergendas ſordes;ſic Senner.ſequentem comprobat aquam: ℞.euphrag. ruthæ, pentaphylli, verbenæ, chelidoniæ an.m.2.florum fabarum m.3.affunde aquę verbaſci q.ſ. deſtillentur omnia, & aqua manè & veſperi in oculos inſtilletur: ego tamen probarem aliud quod à *Laurentio* maximè commendatur:℞.ſummitatum fænic.ruthæ,euphrag.verbenæ,tormentillæ,betonic.roſ. ſilueſt.anagallidis maris,pimpinellæ,chelidoniæ,agrimoniæ,cherefolij,hyſſopi montani,ſileris mont.an.m.2.herbæ hæ minutim contundantur, & primum in vino albo,poſteà in vrina pueruli impuberis bene valentis, deindè in lacte muliebri infundantur, tandem in melle optimo, deſtillentur omnia,& ex aqua quæ fluit quotidie gutta in oculum inſtilletur. quod tamen idem auctor ad illuſtrandum roborandumque viſum optimum reperit eſt ſequens aqua, qua & ipſe quoque ſum vſus maximo emolumento: ℞.aqu. roſ. euphrag. an. vnc. 2. thutiæ propt. drach.1. aloes opt. ſcrup.1. nodulo includantur,& infundantur in aquis prædictis, quibus quotidie ſerò abluantur oculi.

Sunt interim nonnulli, qui ſummoperè laudant pyrotica medicamenta ad reuellendam materiam,eaque pone aures, ſicut ſunt *Aquapend. Claudin.*

Laur. & alii, sunt etiam, qui auribus foramina facienda commendant, ego tamen quoniam his foraminibus vel parum, vel nihil credo, potius vstionem occipiti adhiberem, quamuis non ignorem *SchenKium*, & alios referre setaceo ibidem imposito multos ab annosa cæcitate reuocasse, hæc ergo habeo, quæ potui dicere in hac exigua temporis angustia, præcor Deum, vt omnia tuo desiderio corrèspondeant. Vale.

PRO VXORE DOMINI *Innocentii Guilielmi Ciuis Aquilani subsurditate olim laborante.*

CONSVLTATIO XXXVI.

PRæcipium instrumentum doctiss. *saxonia* duplex sancire est visus, vnum scilicet susceptiuum tantum speciei audibilis, & est aer implantatus, alterum susceptiuum, & iudicatiuum speciei eiusdem, & est Neruus auditorius quintæ coniugationis, dilatatus circà antrum seu meatum, quem cochleam vocant, reliquas partes vt meatum exteriorem, tympanum, siuè myringam, chordā tympano alligatam, tria ossicula malleum scilicet, incudem, stapedam, & meatus atque amphractus omnes vt illos intra myringam qui aerem continet implantatum, quibus succedunt fenestræ, tum aquæ ductus, deinde labyrinthus, mox cochlea, vbi neruus reperitur dilatatus circà præcipuum auditus organum, auditui inseruire propalauit idem auctor huius opinionis fuit etiam *Coiter. tract. de audit. instr. cap. 7.* cæterum doctiss. *Andr. laur.* de aere implantato benè asserit, in omni organo perfectò pars quædam est, cui tanquam principi, & magis præcipuè debetur actio, quę quidem pars cum aut sit carnosa (præsertim similaris) aut spermatica, indè est vt actio non possit dari aeri implantato qui non ex sanguine, neque ex semine ortum ducit, nā vt in oculo peculiaris est pars, quæ primò visionem edit, crystallinus scilicet pars similaris, & spermatica ex purissima seminis parte procreata, ità in aure pars quædam similaris statui debet; talis autem non erit congenitus iste aer, quia ab aere externo non differt nisi puritate, & quiete: & ab aere externo generatur non per coctionem, & elaborationem, vt spiritus, nec per aliquam animæ actionem, sed per noui aeris continuum appulsum, qui partim per aurium foramen semper patens, & anphractuosum, ad cochleam fertur, partim inspiratione per canaliculum quendam velut aquæ ductum eò traijcitur: Præt. quomodo aer implantatus potest esse auditus organum instrumentum (ait idem *Laur.*) illudque pręcipuum cum sit animæ expers, quod potissimum ex *Aris.* requiritur ad hoc vt aliquid sit sensus instrumentum; quare hunc aerem non auditus organum dici debet, sed potiùs medium internum, vt enim à corporum collisione percutitur aer externus, ità ab externo colliditur iste aer internus, idque Tympani, chordæ, & trium ossiculorum interiectu; alteratus idem aer soni characterem, & speciem omninò denudatum defert Neruo quintæ coniugationis in vtramque aurem expanso, qui præcipuum auditus est organum, vt processus mammillares odoratus, cęterum

huiusmodi aer implantatus non satis constat, vnde nomen sit consequutus, prisci namque Phylosophi, ac Medici dixerunt huiusmodi aerem ita esse conclusum, vt vbinam ingrediatur, nulla ratione possit inuestigari vnde existimarunt nonulli à primo animalis ortu hunc aerem à Creatore huic meatui immissum, hanc tamen opinionem multis reprobat *Coiter. tract. de audit. instrum. cap.* 7. putatque ob id esse viam quandam apertam ab ore, & naribus per quam aer externus in secundam cauitatem immitti possit, e quo vel generari putat spiritum implantatum, vel foueri; cæterum cum multos torserit auditus essentia, multas quoque opiniones innasci fecit; Alcmæon enim vt refert laur. ideò nos audire existimauit, quia aures intus sunt vacuæ: vacua autem omnia resonant; *Diogenes* aerem in cerebro contineri voluit, eumque percuti vocibus, sic *Hip.* dixit: *Sunt quidam qui de natura scribentes cerebrum sonum edere prodiderunt, hoc a utem fieri non potest, nam cerebrũ ipsum humidum est, & nullum humidum resonat.* *Plato* dixit fieri aeris interni pulsatione: sic *Aris. 2. de anima, & lib. de sensu, & sensili* dixit auditum nil aliud esse nisi perceptionem sonorum externorum; dum enim aer ille externus percutitur ait *Mercur.* labyrintos, & gyros aurium ingreditur, quousque perueniat ad aerem illum implantatum, qui percussus ab externo dum vt ait *Plato* percussionem ad animum mittit fit auditus, hincque aiebat *Coiter loco cit. cap. p.* dixit huiusmodi actionis modum nobis innotescere ex definitione auditus obiecti quod sonus est, & modo communicationis aquæ, vel aeris per sonum alterati cum aere interno; sicque idem auctor sonum definiens dixit, sonum esse qualitatem prodeuntem ex aqua vel aere à duris solidisque corporibus, ijsque lęuibus concauis, & amplis affatim, magnoque impetu inuicem collisis, & concurrentibus percusso. *Andr. laur. cit. loco* dixit sonum qualitatem esse ortam ex aeris fractione, quæ fit collisis corporibus duris, solidisque mollia namque facilè cedunt, & vi impellentis non resistunt; quomodo autem fiat auditus *Hip. lib de carn. tex.* 16. dixit: *Auditus inde contingit, foramina aurium ad os durum, & siccum lapidi simile pertingunt, iam vero ad ipsum os est cauitas antrosa, strepitus autem ad durum firmantur, os autẽ cauum resonat per durum, pellicula vero in aure iuxta os durum tenuis est, veluti aranei tela, & omnium pellicularum siccissima, quod autem siccissimum est maximè resonat, & cum maximè resonat, audimus maximè,* quicquid tamen sit, subdit laur. auditum sic fieri: *Percurssus à duris, solidisque corporibus aer externus, & soni qualitate affectus, vicinum aerem alterat, hic proximum afficit, donec continuatione quadam ad aurem peruentum fuerit; vt enim si in aquam lapillos inieceris, circuli enascuntur, quorum alter alterum excitat, ità ex aeris percussione velut circuli in aere generantur, donec succcessione quadam ad auditum sit peruentum. Auic. hanc percussi aeris continuationem non inscitè vndam vocalem appellat, motus verò huiusmodi momento non fit, sed in tempore, vnde fit vt post ictum sonus è longissimis partibus non subitò exaudiatur. Aer soni imbutus qualitate, per meatum auditorium foris obuium, semperque patentem primum membranæ siccissima, maximeque sonoræ (quam propt. Tympanum vocant) allidititur; Meninx pulsata ossicula tria mouet, eiusque characterem soni momento imprimit; Hunc sonum vernaculus aer, & congenitus statim excipit, quem per fenestellas in historia descriptas in tortuosos anphractus, & labyrinthum, mox in cocleam defert; ab hac in neruum auditorium teaijcit, & ab eo ad communem sensum, tanquam censorem, & iudicem, atque hic verus est audiendi modus,* ex quibus laurentij verbis satis patet quomodo fiat auditus; sicque pariter innotescunt

rescunt tria illa *lib. 2. de anima. ab Aristotele* enarrata apta & necessaria ad faciendam sensationem, obiectum scil. quod est sonus, medium quod est aer externus, & tandem instrumentum, quod est auris interna quatuor cauitatibus constans; Auditio enim non fit vt ait *Senner.* nisi illa extremi aeris commotio interno aurium aeri communicetur per tortuosos aurium anphractus, vbi membranæ tympani allisus aer externus qualitate soni affectus internum aerem ferit, qui deinceps ministro neruo auditorio ad cerebrum sentiendi principium sonum transmittit: ex quibus licet colligere ex harum partium affectum nostræ languentis non omnimodam, sed diminutam audiendi sensationem prosilire, in aere enim implantato contingit intemperies, impuritas siue crassities vt volebat *Saxonia* ex permixtione varij vaporis, & humoris, sic neruus auditorius si obstruatur ad surditatem facit, sicut Tympanus; quæ quidem obstructio vt benè adnotat *Mercatus* vt plurimum fit ab humoribus crassis viscidis, ac tenacibus non aliter progenitis quam ob cerebrum læsum in alterando; cum enim caput lauisset, nec bene illud exsiccaret, potuit indè caput humectari, vnaque refrigerari, sicque in aurium partes fluxiones transmittendo, vnàque meatus illos neruum nempè auditorium, tympanum, & aerem implantatum conspurcando sua nempè crassitie, diminutum audiendi sensum fæcerunt, seu subsurditatem; quomodocunque tamen sit quoniam recens surditas solet non raro curari ab initio tamen, aliter enim in insanabilem commigrat affectum vt volebat *Gal. 3. de loc. aff. cap. p.* proindè non est quoad curandum facienda dilatio, quam curationem *Gal.* paucis indicationibus explet, primo purgatione per hieram, 2. propria capitis ratione per apophegmatismata, & errhina, tum exsiccantibus, & roborantibus caput ac postremò localium vsu, quæ crassos & viscidos humores attenuet, atque dissoluat: ideò quam primum ab euacuatione inchoandum, siquidem cum dixerimus caput læsum in alterando multas congessisse excrementitias materias, illæ euacuandæ veniunt pillulis potissimùm, non enim in toto supponitur repletio sed in parte, præmissis tamen debitis syruppis ℞. syr. de beton. de ſ. borrag. mellis rof. simpl. an. vnc. 5. dec. communis cum saluia vnc. 3. mis. pro syr. quorum tribus assumptis ad pillulas deuenirem; ℞. pillul. de hyera cum agar; cocchiarum, aggregat. an. drach. 5. diagr. gr. v. i. mis. & cum syr. de beton. refor. pillulæ per tres horas antè diem sumendæ; quibus assumptis ad apophlegmatismata deuenirem, euacuationes pariter iterando; neque interim tamen reuulsiones vmitterem, vt cucurbitulas, ligaturas, frictiones partium extremarum, & quod magis vtile futurum esse sperarem, est inustio vel occipiti quod melius est, vel bracchio, sic dum hæc omnia præstantur sanguinem ex cephalica mitterem in pauca tamen quantitate, quamuis sit plethorica, nam in affectibus frigidis rarò in vsum venit venæ sectio, interim si morbus sit contumax nec hisce cedat remedijs, ego salsæ pariliæ, vel chinæ assumptionem maximoperè commendarem, & potissimùm sandalis citrinis refractæ; Neque interim localium vsus post habendus, à *Sennerto* aqua origani ex sicca planta cum vino destillata commendatur; sic olea destillata vtilia sunt ruthæ, rorismarini, maioranæ saluiæ, sem. fænic. carui, baccarum lauri, cariophyll. cinnamomi; Mercatus sequens medicamentum maximè probat, quod dicit esse vsu probatum: & est oleum ex ligno cupressi, sed pretiosius ex lignò guaiaco, aut stillatitius

titius

titius liquor ex limatura vtriusque cum aqua vitæ, melle, & succo raphani extractus per alembicum. Medicamento tamen ego vti soleo summo cum emolumento sequente ℞. ol. amygd. amar. succi ruthæ succi cæpæ an. vnc. 5. pul. castor. scr. 1. misc. vtatur; succum cæpæ ait Manardus in suis epist. semper sublimem inueni; Possunt & innumera alia medicamenta iniungi, verum quia, vt aiebat Senex in omni copia inopia inest; propterea eadem missa facio; scio ab *Aris.* in aurium tinnitu adhiberi maximum strepitum, vel quia vt ipse retur minorem maior pellit, & eruit, vel quia vt putarunt *Epicurus & Democritus* quia isti existimantes vocem & sonum corporeum quid esse, dicebant quod vox corporea penetrans excludit corpuscula illa efficientia surditatem, indeque *Mercur. Gal.* adducit, qui damnans fotum quendam Apollonij Medici dicit, quod in aurium dolore opus sit quiete, in surditate verò & graui auditu opus sit motu, & concussione vehementi; *Hipp. 5. epid. in hist. Parmenisci filij* surditatis remedia subnectens ait: *Parmenisci filio surditas, conducebat non lauare, purgare autem lana solum, & infundere oleum aut netopum, iubere vt ambularet, manè surgeret, vinum album biberet*: De vino maximè dubitat *Valles. in comm.* aiens: *videtur enim tentare caput, & fluxiones illud commouere, subdit: ego quidem non intelligo præferri hoc loco vinum album aquæ, aut alij potioni aquosæ, sed vino nigro, satius autem fuerit ob partis indicationem vti aqua, nisi tamen inueterata iam passio sit, & hominis consuetudo, aut etiam natura plurimum repugnet*; ego tamen dicerem ideò *Hippoc.* dedisse vinum, vt scil. materiam auribus imbibitam extenuaret, vnaque dissolueret, sic cernimus eundem in oculorum affectibus, & in capitis dolore ab ebrietate vinum dedisse supponens vt volebat *Gal.* materiam crassam illam esse quæ morbum faciebat, indeque extenuationem egentem credidit: Hæcque sint satis.

PRO PERILL. DOMINO BENEDICTO VETVSTO Patritio Aquilano aurium dolore laborante.

CONSVLTATIO XXXVII.

ABscessus conditiones explanans *Hippoc. in historia Temenæ Neptis 2. epid sect. 1.* ait: *Optimi verò præcipuè sunt inferni & longissimi infra ventrem, & remotissimi à morbo, & qui per effluxionem fiunt*; *Gal.* dixit eos abscessus esse laudabiles, qui fiunt per euacuationem, qui seruant rectitudinem partis, qui cum exitu humoris noxii fit, qui tandem fit cum conferentia & tolerantia; ideòque *Hippoc.* eos abscessus vituperauit, qui sine tolerantia fiunt, quare non miror aurium dolorem enatum post acutum morbum in nostro languente esse omninò symptomaticum, siquidem non est longè à parte Principe, materia non potest correspondere morbo, locus non est capax, vt propt. dixerit *Senex in hist. Temenę Neptis: Temeni Nepti ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cum non sufficeret ad suscipiendum morbum recurrit, mortua est.*) & tandem nulla adest tolerantia; quare nullo modo vendicare potest nomen abscessus, sed noui

morbi,

morbi, quod explanauit *Valleſ. dum loco cit.* dixit: *Nam ſi cui per febrem longam naſcitur ſcabies, febre nihilominus detinente non eſt abſceſſus, ſed eſt alius morbus, vt ſi quiuis alius morbus acceſſiſſet*, quamobrem nil miror noſtrum nobiliſſimum languentem de vita periclitari, nam cum morbus morbo ſuccedit, plerumque occidit, quæſiuit enim natura, quod erat ſibi infenſum ad longinquiorem partem propellere, ſed onere grauata nequiuit non niſi ad aures locum nobiliſſimum materiam protrudere, ni velimus aſſerere id non ex metaſtaſi fuiſſe factum, ſed per epygeneſim propagato nempè morbo; hocque fortè voluit *Duretus in Coac.* dum dixit: *A capite, & cerebro tranſitus eſt per progreſſum vel tranſitum ad aures, quæ grauibus admodum morbis obnoxiæ ſunt, neq; profectò alius importunior, vel acutior morbus eſt, quam is qui ſymptomata exhibet, tum epigenomena, tum epiphænomena aurium inflammatione obſeſſarum*; ſic *Iacot. in Coac. comm.* quando ait *Hippoc. in epid. Propter aures, & ex auribus frequenter moriuntur tertia die* ſubdit: *quod enim aut ex auribus) ſignificat interdum primario aurium affectu id accidere propter aures verò ex conſenſu, etenim ſæpè grauis morbus aures inuadit, qui continuatione quadam, ac ſerie altius per neruum, & membranas ad cerebrum vſque manans inopina morte perdit ægrum; ſæpe etiam contingit, vt cum magna materiæ copia cerebrum obſidet, eam Naturæ ad aures amandet, ægrotantique perniciem afferat*: vt in noſtro caſu videre eſt, vbi enim cerebrum multum oneratum eſſet materia, eadem propagata in meatum, ſeu neruum auditorium inibi phlegmone concitauit, vt conſiderari poteſt ex vehementiſſimo aurium dolore, ex pulſatione, nec non etiam & caloris ſenſu, quæ omnia manifeſtam inflammationem atteſtantur, ſeù *ωταλγιαν* in neruo potiſſimum auditorio, qui duplex. ſ. ſymptomatum genus experitur, primum quatenus eſt auditus inſtrumentum, ſecundum quatenus tactui inſeruit, in quo acerbiſſimos lethaleſque concitat dolores, vel materiam ibidem conculcata atque inflammata, qua ratione *Iacchinus* cauſſam proximam eſſe humorem ſanguineum, cui tamen plurimum bilis ſit adiunctum, quod non facilè in denſas partes craſſior ſanguis penetrare poſſit: ideoque *Mercurialis* ſibi problema proponit, quia cum ideò conſtet inflammationem eſſe ſobolem humorum, & præſertim ſanguinis, qui fieri poteſt, vt ille poſſit inflammationem inuehere cum in inſtrumento ſint oſſa, tunica quędam arida, quæ Tympanum dicitur ab Anatomicis, in oſſibus clarum eſt, quod non colligantur humores, neque ſanguis, neque etiam in tunica arida, quia eſt expers venarum, & propterea non videtur locus humorum, & ſanguinis collectioni.

Reſpondet præfatus *Mercur.* quod nullibi internæ poſſunt oriri inflammationes præterquam in hac tunica arida, in qua tametſi venæ ſint admodum exiles, doloris tamen tempore paulatim dilatantur, & fiunt ſanguinis capaces, ita ut in hac membrana poſſit fieri inflammatio; cæterum quid implicet ignoro quin in neruo auditorio poſſit fieri inflammatio, quę quoniam ſolet & potiſſimum Iuuenes ſtatim è medio tollere, proindè dixerat *Alexan. Trall. lib. 3. cap. 2. ſiue meatus auris ſiue alia ipſius quæpiam interna particula frequenter inflammatione laboret, acutiſſima pericula vicinia regionis, & genere ſubſtantiæ inducit etenim neruus, qui internam auris ſuperficiem ſublinit, cum ſit ſenſibilis, validos dolores acutoſque excitat, vt etiam cerebrum in conſenſum perducat, vnde febres, & deliria ſic affectis oboriuntur, interim verò etiam lethales*: ſic *Celſus* dixit morbos aurium maximè cerebro communicari, hacque ratione dolores aurium perimere voluit *Valleſ.* in eo ſupradicto textu: *Propter aures, & ex auribus frequenter moriun-*

moriuntur tertia die: qui quidem morbus quoniã à cerebro ortum duxit, ac in cerebrum refunditur, non est vt nisi mortem ominemur; sic *Hippoc.* narrat historiam cydis filij 7. *epid.* qui ex auris dolore obijt, indèque ait *Vall. in com. Tolli verò omninò non potuit, quin postremo communicato malo ipsi cerebro, quod est mentis sedes, & neruorum principium cum delirio, & conuulsione moreretur.* cęterum quia dicente *Tralliano* neque in sepultura relinquendi ægrotantes, propt. aliquid faciendum satis ad dolorem demendum, qui totam ad se curationem trahere videtur, isque cum tripliciter eneruari sit solitus, narcoticis nempè, caussam tollentibus, & anodinis, ideò per hæc tria curatio est instituenda, sic enim fluxio sistetur, inchoandum tamen ab euacuatione sed leuissima, eoque potissimum cum simus in viribus fractis, quod præceptum tum quoad venæ sectionem est illigendum, tum quoad euacuationem, præterquam quod alias euacuatus cernitur æger; quare quamprimum sanguinem ex cæphalica mitterem, etenim vt aiebat *Iacchinus* acutissimus, & maximus morbus cum sit, maximam, & celerem opem exigit: ideòque euacuatio pariter molienda sed leuibus medicamentis, qua ratione *Hippoc.* in historia Cydis filij auris dolore laborantis brassica vsus est sexta die, & alias: ab euacuatione hac leui vtendum paregoricis remediis, qualia sunt ol. ros. lac, & similia *Hipp. 2. epid sect. 5.* dixit: *Si auris doleat, lacte vtatur*: non enim lac repellit, vel repercutit materiam, quia est anodinum vt volebat *Gal. Vallesius in comm.* ait: *lactis instillatio vtilis est ad sedandum dolorem auris, non quemcumque neque quacunque occasione, sed eum qui ex ardore aut inflammatione non inueteratis excitatur; repellentia enim nisi ingens sit dolor vix adhibenda sunt, ne materia intrò conuersa cerebrum & membranas eius inuadat, nisi forsan pauca sit humoris quantitas, è qua nullum cerebri malum vereri oportet, & fiat potius, quæ adhibentur mitigantia potius dolorem, & refrigerantia, quam adstringentia, qualia sunt lac muliebre, succus auriculæ muris, succus cucurbitæ*; & quamuis *Senner.* acetum addito, ego tamen ab eo abstinerem, tum quia adstringit, tum quia sua acredine membranam Tympanum vocatam, & neruum auditorium vellicando maiorem faceret dolorem; Sunt præt. qui in huiusmodi doloribus nisi ijdem sint magni laxantium vsum commendet, quod ego magis probo, & potissimum in nostro casu, in quo natura excreuit hanc materiam, vt eandem faceret decumbere in aurem, vbi potius adiuuanda, quam prohibenda quamuis symptomaticè processerit, posset enim huiusmodi transmissio fieri critica, si pars turgeret, si parotis emergeret: Hocque voluit *Celsus* cum de parotidibus loquens dixit: *Animaduersionem tantummodò habet necessariam, quia si sine morbo id intumuit primum reprimentium experimentum est. sin autem ex aduersa valetudine aperiri, maturarique quamprimum commodius est*: sic *Iacchinus* laudat ol. liliorum, amygd. dul. &c. *Ludou. Septall. lib. 6* 103. dixit in aurium curanda inflammatione à repellentibus, & oxyrodino abstinendum; cum enim internarum cerebri partium repletarum soboles esse soleat materia eò detrusa, si repellatur, ad principem partem remeabit, & delirium quandoque pariet, aliquando verò alios cerebri affectus, quod sic *Gal. 3. de compos medic. secund. loc.* visus est in aurium inflammationibus oxyrodinum concessisse, intelligendum idest de phlogosi potius, quàm inflammatione dicit idem *Septall. Cæterum si dolor sit magnus, materia sit pauca, & vires debilitentur, nedum à repellentibus non abstinerem, sed adderem etiam vna cum lacte duo opii grana*, Interim reuellentibus vterer cucurbitulis cum scarificatione humeris, vel occipiti scarificatis, nec

non

non etiam, & frictionibus partibus inferioribus; interim pro enervanda febre, & temperanda materia, cum vires sint satis languidæ medicamento aliquo in alimento uteremur, quale esse posset, vel ptyssana, vel ius aliquod alteratum; cæterum quoniam morbus potius est præceps quam anceps, ideò consilium capiemus in arena. Hæc ergo habui quæ dicerem in confirmationem eorum, quæ dicta sunt à doctissimis viris, faxit autem Deus vt omnia suum finem nanciscantur.

PRO PERILLVSTRI ATQVE ADM. *Reuer. Domino Domino Marino Valle linguæ tumore ingemiscente.*

CONSVLTATIO XXXVIII.

Lingua quam *Eurip.* *ἀγγελων λωγων* sermonis nuntiam vocitauit, *And. Laur.* pusillum quidem membrum esse dixit, sed maxima iactare, indeque ab aliis membrum dialecticum ab aliis voluntatis nuntia fuit nuncupata, sic à *Democr. de natur. hum* loquelæ mater fuit dicta lingua inquam quæ gustatui in primis dicata, si aliquo morbo laboret, nil mirum, si & gustum diminuat, & sermonem proferre nequeat, & vniuerso corpori non parum extet impedimenti, vt contingit in nostro languente in quo lingua vltrà modum tumida, & dura illucens maximo eundem præmit angore, cum & loquelam intercipiat, & ingerendis cibariis sit impedimento, qui quidem tumor non aliundè vt reor habere potuit originem, quam scil. à capitis fluxione linguæ poros perreptante, orta sanè occasione cuiusdam humidioris loci vbi inhabitat, sic enim humectato capite, ac refrigerato, vnàq; intẽperato, & excrementorum colluuiem producente, vnde ab eadem irritato, vnaq; onerato vel ob robur expultricis, vel ob imbecillitatem retentricis, vel expressa à frigore humiditate orta est fluxio materiæ pituitosæ & ad linguæ substantiam corriuans inibique conculcata tumorem facere potuit neque enim vstæ materiæ portionem excluderem à Iecore feruidiori congenitæ, quæ apta est huiusmodi tumores producere cuicunque parti, potissimum autem linguæ quæ spongiformis existit vt volebat *Gal.* & inanis substantię: *Homo enim* aiebat *Laurent. inter cętera animalia linguam habet absolutam, latam, mollissimam, & consequenter ad recipiendum aptissimam*; sic *Gal.* 14. *meth. cap.* 8. scribit se vidisse linguam ità tumefactam vt ore contineri nequiret; quod, & *Forestus* vidit *lib.* 14. *obseru.* 18. sic *Valesus lib.* 2. *cap.* 66. dixit se aliquando vidisse ita magnificatam linguam propter humores ad eius substantiam venientes & ipsam inhibentes, quod quasi totum os replebat; quicquid tamen sit non eò deuenit tumor in nostro languente vt omnino impediat vel sermonem, vel deglutitionem, verum ità obduruit, vt vix cedat, quasi lapidificata materia coniuncta, fluentem non explodente, quinimò eadem fluxione in venas sub lingua propagata batrachium configurauit, inherente autem in faucibus nonunquam, earundem inflammationem celebrabat, quod tamen negotium eidem facessit est tumor in lingua qui sermonẽ intercidit, proindeque incipit effari, mediaque in voce resistit; vnde antequam vel in scyrrhum commigret, vel lapidis naturam asciscat remo-

uendus est affectus, scimus enim multos ex lingua lapides traxisse, atque ita tandem conualuisse, sic legimus apud *Hippocr.* 2 *epid sect.* 3. *quæ circà linguas eleuantur coagmenta, & exigui existentes lapilli, & quæ podagricis iuxtà articulos debiles illorum sunt, etenim ossium natura caussa, & quod hęc durescant est, & quòd contendantur*: subdit *Vallensius*, ea scil. quæ circa linguas eleuantur, exiguos nempè lapillos coagmenta esse idest congestione generari; omnia enim huiusmodi congestis excrementis fiunt, vt tumores quidam lapidei in lingua congestis excrementis alimenti proprij ipsius linguæ; cæterum nescio qua ratione ab affluxu pariter nequeant fieri huiusmodi lapides, sic cernimus *Montuum* referre *lib.* 4. *cap. p. Anasc. morb.* vnum lapidem sub lingua cuiusdam Heroinæ ad magnitudinem strobili natum, sic *Alex Benedic.* scripsit sub lingua se lapidem inuenisse, quod pariter narrant *Gemma, Cardanus, Toroliuiensis, Gentilis, Thomas à Veiga, Ioubertus*, & alij, quare ne huiusmodi tumor lapidescat, curatio ineunda, quæ & fluxionem respiciat reuulsione, interceptione, & euacuatione, & fluxæ non obliuiscatur tumorem & emolliendo, & discutiendo; vnde quam primum ad pillulas deuenirem de hyera cum ag. de fumar; & aggregatiu. eo potissimum cum præstita sit vniuersalis euacuatio idque efficerem adhibitis prius syr. ex s. beton. de s. borrag. & melle rос. simpl. quinimo huiusmodi euacuationem cum sciam non sufficere, eandem iterarem, nam vbi sunt intemperies, continuo exsurgunt excrementa; errhina pariter commendarem ex succo betarum, aqua mulsa, cyclamine, & similibus, apophlegmatismata haud commendo quia trahere valent in partem affectam; sic quoq; chinæ vsum, ac salsæ commendarem ad exsiccandam materiam quæ in capite stabulatur, & perenniter affluit ad linguam iure tamen ebullitam, additisque sand. citrinis Iecoris ratione, quod nimis feruidum illucet, non desinendo; beton. borrag. lupul. melissam in fine ebullitionis efferuescere; interim tamẽ quia sanguis ex bracchio est missus, haurirem illum hyrudinibus è venis sedis, sic enim refrigeraretur hepar quod & vstas materias gignendo, & fluxionem promouendo suo nimio feruore linguæ tumorem fouet; neque alienum crederem ad partem affectam deuenirem venas sub lingua secando quod si ad intercipiendam materiam cerato aliquo vti velimus non absonum credo, quemadmodum pro eadem reuellenda duplicem inustionẽ facerem, vnam in bracchio capitis ratione, alteram verò in crure dextro Iecoris gratia; sic cucurbitulas adhibere, frictiones, & alia non absurdum, quemadmodum si fluxio fiat magis præceps vessicantia spatulis affigerem. Quoad materiam coniunctam, nimirum quoad tumorem, ego semper emollientibus incederem, ne nimirum resoluendo, tumor vt aiebat *Gal.* in pærtinacem scyrrhum degeneret; vterer ergo cum *Senner.* decocto caricarum passularum maiorum, radic. altheæ, glyciriza, & sem. fænugreci, vterer quoque muccillag. sem. psyllij, malu; extract. cum aq. maluæ, sæpius quoque adhibeatur vsus passul. & caricarum; quinimò nonunquam os colluere ol. amygd. dulc. vel adiposo aliquo liquore non alienum erit; ad quẽ pariter vsum vterer ficubus per medium scissis & perenniter tumori impositis, vel si hoc non arrideat, adhiberem decoctum tepidum fol. lactucæ, maluę, violarum, hordei, ficuum, passul. maiorum, sem. cydon; fænugr. melilothi, altheæ, & similium. atque hæc sunt quæ possum currentissimo calamo scribere.

PRO

PRO ADM. REVEREND. DOMINO
Domino Basylio Sancti Flauiani Archipresbytero dentium affectu laborante.

CONSVLTATIO XXXIX.

VEtustissimus *Erasistratus* perbellè quidem insinuauit euulsos non rarò dentes homines ad exitium vsque redegisse, *Cardanus lib. de causs. sign. morb. p.* 155. duos eruto dente obiisse refert, vnum ob hemorragiam, alterum verò, cum vas satis amplum fuerit in radice dentis, & laceratio magna; sic *Forestus lib.* 14. *obseru.* 4. scripsit Denarium quendam in foro publico seni detraxisse dentem, illumque derepente peremisse: nec immeritò dens enim, nisi facillimè possit euelli, vel doloris ratione materierum trahit affluxum, vel lacerationis caussa maximam promouet hemorragiam, vel tabercula suscitat, vel sinus creat, quæ omnia non immeritò nostro contigerunt languenti, cum dentem euulserit tunc potissimum, cum scil. maximè dolebat, ratus sic fortè dolorem tollere, qui vt ait elegantiss. *Celsus lib. 6. cap. 9.* ipse quoque maximis tormentis annumerari potest, indèque verum nouos conuocauit affectus, tum quia cacochymia premebatur, qua ratione *Valles.* dixit tunc dentes eximere non vacare discrimine, tum quia caput imbecillimum obtinebat, adue fluxiones parandas aptissimum, adde quod ipse dolor tanquam cucurbitula poterat humiditates allicere ad dentes, fluxionem promouere, ac recipiendo fluentem materiam genas, gingiuas, & dentium capedinem replendo tubercula parere, aposthemata parare; indèque bene apud Apollinis Delphici templum plumbeum instrumentum visebatur, quo monere volebant antiqui nunquam mittendum esse dentem, ni plumbeum instrumentum è sui natura flexibile, illud posset extrahere: sic *Hippoc. lib. de aff.* ct nunquam inmobiles dentes euellendos esse promulgauit, sique cariem conceperint, tunc sanè ignito ferro cremandos; quinimò huiusmodi fluxio nil miror si & fauces quoque phlegmonis affectu lancinarit febre eadem materia in fauces propagata, quæ diuersis partibus conculcata potuit omnia symptomata gignere, & potissimum tuberculum, siue abscessum quo non est aliud, quam puris, seù materiæ purulentæ in partis alicuius cauitate collectio; quicunque enim in partibus assurgunt tumores mutationem suscipiunt dixit *Duret. in Coac.* aut digestionis, aut suppurati, aut gangrenæ, aut scirrhi: vndè illum tumorem suppurationis tantummodo capacem συσρωφ!ιν vocat, quæ suo ambitu continet tumores contrà naturam à fluxione ortos, quæ quidem fluxio in dentes potissimum decumbit, vndè & corrumpitur d[illegible]ns, & partes faciei in tumorem assurgunt, ideòque aiebat *Holler. Dens ferè corrumpitur destillatione falsa, mala, acri, è cerebro defluente ac magna pars excrementorum eò decurrit, & in gingiuarum abscessu, genarum quoque & partium faciei, ossium maximè, & internorum musculorum dentes violari contingit sanie eò decumbente aut parum liberata via quæ à maxillis, & gingiuis ad dentes pertinet* Subdit infer. *Holler. Itaque corruptio efficit, vt dens excidat, atque ea ratione repurgatur liberè abscessus, & re[illegible]urgatus facilius potest sanescere. Atque hoc imitati Medici in metu corruptionis maxillarum suppresso pure in pleniore cerebro vel dentes sæpius lacessunt, con-*

ſcalpunt, euellunt denique vbi grauius malum, quod in metu: quod pariter in noſtro languente contingit, dum enim dente exempto putatur abſceſſui repurgando locus dari, denuò noua ſuperaccedente fluxione gena tumet, ac turget, maiorque ſanguinis copia, ac ſaniei, & puris aſſurgit; & tamen ſcimus hunc abſceſſum ſolui ſolere corrupto dente, aut extracto, quod non eſſe neceſſarium dicit *Iacot.* ſi primario affectu gingiua, aut maxilla abſceſſu laborent à defluxione a cerebro; ſubdit: *Omnium affectionum, qui in dentibus fiunt origo triplex eſt à propria dentis ſubſtantia, à neruis, ab offenſis gingiuis*; neque inconſonum eſt propriam dentis ſubſtantiam dolere, nam *Gal. 5. de compoſ. med. ſecund. loc. cap.* 8. teſtatur ſe non dolentem modo, ſed & pulſantem dentem manifeſtè percepiſſe ab inflammatione in ipſius dentis ſubſtantia, quam tamen duram, & lapideam alibi ſcribit, adeò vt *Plinius* ob id miretur cum dentes quos nec ignis cremat, nec flamma domat, pituitæ tabe excauentur: quicquid tamen ſit, non eſt dubitandum abſceſſum hunc iam ſuppuratum non aliundè in noſtro ægro manaſſe, quam è dentis dolentis actu extractione, debilitata namque ob hemorragiam parte maxillari, necnon etiam capite fluxio eſt nata, quæ continuò in partem debilem decumbens, inque ſuppurationem verſa tot menſium interuallo affectum fouet, nedum dentium, ſed & febris; quæ quamuis ſymptomatica potuerit eſſe ab initio, eaque orta vt vult *Holler. in Coac* & quia ſanies illa vapores conſpurcando, atque fædando principes inficit partes, & potiſſimum cor, ni velimus cum *Horatio Augenio* dicere quia in puris confectione fit humoris agitatio, eiuſdemve tranſmutatio ex ſanguine in ſubſtantiam puris, peracta ſanè ex conatu, & impetu naturalis caloris eiuſdemve vnione circa focum materię tranſmutandæ; materia namque non agitatur à calido quieta ab vlla tranſmutatione manens; ad quam purulentiam redigere poſſumus, & capitis dolorem effumantibus nimirum ab affecta particula, & à praua ſanie vndique vaporibus; ſic quoque, & ab eadem cauſſa dentes facti ſunt mobile dilatatis dentium alueolis, & tandem corroſis exeſiſque venis hemorragis acceſſit; quinimò eiuſdem mora circà has partes adeò potuit oſſa maxillarum contemerare, vt vel cariem in illa potuerit introducere, ſeù ſphacelismum, vndè videmus non raro naturam per foramen dentis extracti corrupta quædam oſſicula propulſare; nihil enim aliud eſt σφακελος oſſis, quam eiuſdem ex toto corruptio vt *Hipp.* dixit: cuius rei rationem reddens *Iacotius in Coacis* dixit oſſeam molem & laxam eſſe, & mollem vnaque cauernoſam, facilèque inde putreſcere puri exitu non dato; vnde etiam abſcedit, & ſquamulas, ac teſtulas relinquit: addito præt. perenni à capite affluxu, qui velut gutta lapidem cauando dentes vnaque maxillas excauat, quinimò eaſdem ideò ità ad inuicem connectit, vt nec os aperire, nec dentes valeat reſerare muſculis maſſeteribus vel neruis materia è capite delabente imbibitis; quare antequàm vlterius progrediatur affectus, & in aliquod vlcus cacohete vel carcinoma commigret, medela eſt adhibenda, quæ & à fluxione reprimenda, eſt inchoanda, tum euacuatione, & exſiccatione, tum auerſione, tum denique interceptione, & à materia in partem fluxam quæ pariter euacuanda, detergenda, vnàque pars roboranda ne recipiat, & quam recepit materiam euacuet, ſic febris quoque conſocialis alterationem indicat.

Quoad euacuationem cum ſit pręſtita pluries, tam vniuerſalis, quam particularis, videretur nulla eſſe proponenda, cæterum quoniam adeſt capitis

inten-

intemperies, quæ in dies materias congerit, propt.epycrasim seruarem, caput respiciendo, non ob id tamen febrem posthabendo, quæ cum bilis non explodat portionem pituitæ consocialem, propt. pillulas de tribus cum rhab.exhiberem,de agar.& aggregatiuas de manè per tres horas antè diem, vt dormiat exhiberem,pręmissis tamen syr.de s.beton.de s.borraginis, & de endiuia; quoad sanguinis missionem nullum verbum facere decreui cum pluries sit sanguis missus, & à Natura hemorragiam promouendo,& ab arte per phlebotomiam, quod tamen non derelinquerem esset vsus hyrudinum venis hemorroidalibus; non enim indè fieret virium dispendium, & celebraretur euentilatio,vnàque reuulsio à capite, quod nonnumquam dolet,vt dixi. cæterum quod mihi videtur instar omnium vsus est chinæ, vel salsæ adhibitę in iure cum æger sit macie confectus, vnàque febricitet, additis rebus vim calorificam infringentibus, vt est sandal.citrin. & vt esset addere in fine ebullitionis herba cæphalicas vt beton.& refrigerantes, vt borrag.lupulum, fumariam & similia.

Interim dum hæc fiunt non alienum erit inustionem occipiti facere, vel bracchio; quod si haud caput doleat tunc sanè ceratum affigerem ex coral. sub.trochism.de Kar.mastiche, & therebint. nec alię reuulsiones vituperandæ, quales sunt cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ &c.Interim ad materiam fluxam deuenirem, pro qua detergenda lotiones proponerem, quæ possint sese insinuare in penitiora foramina quæ faxit Deus sinum non efformauerint,eæque possent esse sequentes. ℞. consolidę maioris, aristolochiæ vtriusque marrubij, absynthii an. p. s. radic. gentianæ, yreos, tormentillę an. vnc.5. lupinorum impræpar. drac.2. hord.parum mis.bull.in s.q.aq. & vini ad tertias f.lotio in parte; vel poterimus adhibere aquam vitis cum melle ros. simplic.& similia; hæ enim lotiones præterquam quod abstergunt partem roborant, & ossis corruptioni obsistunt; Hęc ergo habui, quæ posse in currentissimo calamo dicere,vestræ sūt partes(viri doctissimi)vt quid sit gendum,dicatis.

PRO EMINENTISSIMO ac Reuerendissimo Cardinali Columna angina ex interuallo laborante.

CONSVLTATIO XL.

NOn immeritò sanè (Eminentiss. Princeps) Angeronam Deam olim tanquam Numen excoluit Romana maiestas, vt quæ anginoso pathemati esset satis obnoxia, vel ob aeris nempè vt reor inclementiam (cui quid diuinum dedit Gal. in prænot. qua de caussa *Galen.* aerem Romanum semper est criminatus ob eius inæqualitatem, indeque *Plutar. in problem.* Templum Aesculapij dixit ideò extrà vrbem fuisse fabrefactum, quia maior ibi salubritas haberetur) vel ob Cælum destillationibus satis idoneum, vt idem *Gal.* docuit 5. *meth cap.* 8. & vt asserit *Zacutus li.* 12. *p* 2. *&* 16. ideoque haud obstupeo dum Eminentiam suam Romano, Regioque sanguine natam Principem, principantem, Purpuratum huiusmodi anginoso pathemate

bis,

bis, vel ter in anno cruciari; non inquam Coelum namque vel aer inclementer quasi infaustis sigyzijs ad huiusmodi affectum configurandum concurrit, vt propt. elegantiss. Celsus fugiendum inquit esse cælum quod ægrũ fecit; Porrò si aerem vel Coelum tanquam nimis remota explodere desideremus, cum Bononiense vt plurimum experiatur maiori benignitate donatum, caput sane ab hoc affectu seiungere nequibimus, cum illud viscerum sit excelsissimum, Cœloque maximè affine, vt belle promulgauit *Laur.* quod enim (dixerat infer.) in mundo est Cælum, id in homine est cerebrũ, & proinde homo præ cæteris animantibus fluxionibus est obnoxius, tum per se, ob amplã cerebri molem, sublime locatam, frigidam, præhumidamque nec non ob orbicularem quam habet caluaria figuram ex amplo in angustum, proindeq; tractioni aptissimam, vt *Phylosophus* 10. *sect. probl. p.* voluit; tum denique per accidens ob omnigenas dyscrasias quibus subijci promptissimè assolet; propter quas fluxionibus redditur valdè obnoxium; quæ partes enim (aiebat *Hip. lib. de ret. Med. tex.* 39. *&* 40.) cauæ, & ex amplitudine in arctum sunt coactę, hæ trahere ad se se, allicereque humiditatem ex reliquo corpore maximè possunt, huiusmodi sunt caput, vessica, vterus &c. eoque magis id in Eminentiss. Principe facere est natum, quod hepate feruidiori refertur; hepar enim quamuis *Senex* fortem, vnaque originem gratiosi humoris construxerit, quando tamen plus quam par est feruet capiti vaporum maximam copiam subministrat, indeque illud fluxionibus excitandis aptissimum redditur, vt non immerito *Hippoc. lib. de morb.* dixit: *Hunc fluxum exhibet caput, vt potè quod cauum est, & supernè situm, cum enim ab inferna aluo fuerit calefactum pituitam de corpore in se ipsum trahit, vbi verò attraxerit, & in ipso collecta fuerit, rursus reddit aceruatam, & crassam.* reddit quidem dixerim ego, sed non cuilibet parti, verum ei tantummodò quæ receptioni promptior, debilior, propinquior, & inferno loco sita extiterit, vt non immeritò dixerit *Senex in epid. Alterius loci loca recipientia, aut dolore, aut pondere, aut vicinia, aut alio modo liberant*, sic *lib. de vet. Med.* dixit Spongiformes partes, & molles vbi admotæ maximè fluxiones fuerint, adhæserint, ebibunt, duræque fiunt, atque augescunt humore accedente; affluit enim humor dixit *Senner.* vel per modum attractionis si guttur, & fauces vehementer caleant, & doleant, vel per modum transmissionis, si loca imbecillia sint, laxa, & ad suscipiendam fluxionem idonea, qua ratione *Petrus Salius* tonsillas, & paristhmia ad hoc preparata fluxionem facillime receptare, & inde tumorem, vel inflammationem suscipere; subiungit: Hæ enim partes tonsillæ à latinis nuncupatæ ad linguæ resident latera, & earum quæ paulo inferius sitæ ad latera laryngis parysthmia vocatæ situantur substantia rara & spongiosa existunt, quare etiam pronæ ad recipiendum è capite fluxionem redduntur, quę sanè sui natura humidę existentes, & spongiformes, vt idem auctor innuit, nil mirum si vbi materiam receperint, eandem ebibere non desinant, sed continuo in tumorem elatæ eundem tumorem conseruent, si: neque ego mirari possum fauces Eminentiss. Principis ob continuum affluxum redditas imbecilles, laxas, & molles, fluxionem lubenter excipere, sed non perenniter, non inquam, quià instabilia sunt quæ in humidis fiunt, excipiunt sæpius quidem, ob sæpiùs quoque motitatam fluxionem, quam ad triplicem caussam redigit, doctiss. *Vallez.* 2. *epid. sect.* 5. *tex.* 12. nempè ad multitudinem, acrimoniam, & malã quali-

qualitatem, ac tenuitatem scil. succorum; hæc enim duo solum sunt, quæ retentricem irritando faciunt suo munere malè fungi, nam si quam maximè velis præter has caussas ponere propriam retentricis debilitatem, quæ ob partis intemperiem fiat, hæc quoque quodammodo in illis caussis est, nam ne debilitata quidem retentrix cessat retinere, nisi irritata, irritatur verò à tanto minoribus caussis, quanto debilior est, quare id quoque quod debilitatem irritat, multum aut qualitate molestum est, si non simpliciter, & omnino tamen ad hanc facultatem; quare & quantitas, & qualitas sunt illa qua fluxiones accersunt, ideòque Hippoc. dixit ex supertumefacta carne fluxione fieri, vt vertit *Fæsius*, nempè vt optimè statuit *Mart.* ob plenitudinem, quod *Gal.* agnoscens 6. *aphorism.* 2. asserendum esse dixit eos scil. qui humidiores existunt siue cerebro duntaxat, siue corporis vniuersitate non contingit salubrem vitam omnis expertem noxæ traducere, verum continuis destillationibus ingemiscere, vel ex minima quidem caussa, ea namque superfluitatum vbertas si ad inferna per palatum corriuet, infernæ partes protinus affi ciuntur, fauces nimirum, guttur, pulmo, aspera, arteria, gula, ventriculus; indeque in ipsis tusses fieri, difficiles anhelitus, anginas dixit *Gal* quamobrem secundum *Gal.* caput est terminus à quo fluxionis, fauces sunt terminus ad quem humiditatum affluxus est mobile, sicque visus est *Gal.* Hippocraticam normam in epid. assumpsisse, qua aiebat considerandum esse, vnde, quo, & propter quid: vndè pariter innotescit vt verum *Hipp.* dogma lib. de natura hom. quo aiebat: *Aegrotat autem quum horum quid minus aut amplius fuerit in corpore necesse est enim non solum eum locum vndè secessit morbidum fieri, sed etiam eum in quo stat, & in quem propter nimiam copiam diffusum est dolore ac morbo vexari*: vt in nostro casu contingit, videmus enim fauces spõgi formes continuò prominere, ac fluxione vberius irruente Anginam, seù synanchen figurare, quod volens *Hippoc.* declarare 2 *de morbis* dixit: *Angina siue cynanche fit, quum pituita in caput commota aceruatim deorsum fluxerit, & in maxillis, & circa collum constiterit synanchen quidem cum internos faucium musculos oblædat*, anginam verò cum eadem faucium affectio *ab Hipp.* eodem Anginæ nomine nuncupetur, vt benè asserit *Petrus Salius in comm. de morb.* per hũc *Hipp. text.* vbi ait: *Anginam fieri autumat cum pituita in capite commota, idest pituitosus sanguis in capite ex caussa vel interna, vel externa agitatus deorsum fluxerit, idest affatim, & cumulatè in partes gutturis, aut faucium irruerit, & in maxillis, & circà collum constiterit*: ità vt *Hipp* non videatur Anginam cynanche à synanche distinguere quod *Gal* pulcherrimo aphor. sancire pariter studuit, dum *libro* 4. *acut.* 30 dixit: *Siue synanchen, siue cynanchon dicere volueris, vel alterum horum quidem synanchen, alterum verò cynanchen, siue vtrumque synanchen vocaueris duas synanches scieris esse rationes, nempè ad curationem nominibus nobis opus non est.* Neque illud quod à *Sennerto* obijcitur quicquam facit, dum *Hipp.* in quadam epidemica constitutione 6. *scil. epid sect.* 8. dixit: *quibusdam faucium inflammationes aderant, aliis Angina*: ità vt ex his verbis *Sennert.* Anginam à faucium phlegmone distinguat. proptereàque ipse vt hoc offensaculum remoueret, ausus est dicere *Hipp.* nomine Anginæ musculorum laringis inflammationem intellexisse, quæ anhelitum impedit, faucium verò inflammationis nomine partium aliarum proximarum, spiritus, & cibi viam non ità intercludentium intellexisse; possunt enim, & musculi, & tonsillæ ossis hyoidis, & musculi in radice linguæ inflammationem subire, quæ partes omnes fau-

cium

cium spaciositatem occupant, quia tamen harum partium inflammatorius affectus à gutture longius distat non per se Anginam generat; Anginæ ergo in genere ita sumptæ origo ab illo erit, à quo cibi, & potus itinera angustiora redduntur, & hoc modo vtriusque meatus capite, & principio quasi occluso respirationem difficiliorem reddere, & deglutitioni esculentorum impedimento esse posse insinuauit *Sennert.* vnde in comm huius loci *Valles.* subdit: *Dicuntur etiam Anginæ esse species quæcunque in ore, aut tota ceruice sunt inflammationes, tantò autem minus propria, quantò minus strangulant, atque tàm latè patente nomine etiam faucium inflammatio angina quædam dicitur; sed quia non tam propriè dixit: quibusdam faucium inflammationes quibusdam etiam Anginæ*; vnde idem *Valles. in comm acut.* dixerat *Hipp.* nunc anginam vocare nunc cynanchen, nunc synanchen, nec processisse posteriorum more ad paracynanchen, & parasynanchen, ideòque vocasse alicubi Anginam, quamcunque ceruicis affectionem quę strangulet; vndè doctiss. *Iacchinus* ait: *locus verò affectus parum diuersus est, sed sat est vel per se, vel per consensum quendam via spiritus afficiatur ad anginam significandam*. Quamobrem si affectum quo nunc lacessitur Eminentiss. Princeps Cardinalis Anginosum sed impropriè vocitare velimus haudquaquam crimini dandum, eumque à pituitea colluuie innasci posse censendum, quamuis diuinus *Gal. 3. aphor. 22.* autumnalem Anginam prædicarit ex biliosis humoribus ortum ducere, vernalem verò à pituitosiori humorum prouentu; non ob id tamen putandum ambas anginas homogeneos ità sibi humores vendicare, vt reliquorum sodalitium excludant, sed ita vt pituita verè magis exuberet, exundet autem magis bilis autumno.

Quicquid tamen sit in nostro Eminentissimo Principe Anginam hanc à pituitosiori sanguine manare crediderim, bilis portioni consociali, descendente sanè in fauces vt refertur, vnde synanche, seu parasynanche efficitur, ni velimus cum *Hippoc. lib. de morbis* asserere huiusmodi affectum fieri ex venarum iugularium interceptione, vt per hæc verba nobis significauit: *Angina quam Cynanchen Græci vocant à sanguine fit, cum sanguis in venis quæ in collo sunt compactus fuerit, & lib. acut.* dixit: *Angina fit quum fluxio ex capite multa, ac glutinosa tempore hyberno, aut verno aduenas iugulares influxerit, & hæ fluxionem ampliorem propter amplitudinem attraxerint, quum autem frigida, & glutinosa sit, spiritus transitus obturabit, & sanguinis transitus obturans propinquas sanguinis partes congelat, ipsumque immobilem, ac stabilem facit cum Natura frigida sit, & obturandi vim habeat, & propt. suffocantur &c.* vnde vt *Valles* notat in *comm. Hipp.* intumescentiam partium referre videtur ad spirituum cum sanguine interclusionem, quanquam non ad spiritus, sed ad solum sanguinem spectare generationem phlegmones probat. *Gal. lib. de Tumor. præter natur.* probat: Doctiss. *Cæsalpinus Hippocratis* amantissimus ait: *Caussa igitur suffocationis in Angina non semper est laryngis coarctatio, sed aliquando Carotidum, aut pulmonis repletio; Aretæus 1. acut. cap. 7.* dixit anginosum affectum solius spiritus vitio gigni per hæc verba. *Anginam hanc appellamus quasi interius vrgentem, atque angentem, ego verò existimo ipsius solius spiritus id vitium esse praua conuersione ad calidissimum, siccissimumque conuersi, nulla corporis parte inflammatione laborante, id autem mirandum non est, nam in Charonæis strangulatus citrà vllum corporis affectum acutissimi contingunt, immò vel vnica inspiratione priusquam corpus aliquod maleficium contrahat homines moriuntur*: cæterum *Valles.* circa partis affectæ di-

gnotionem parum laborare videtur aiens: *Ego de his rebus non admodum laboro apud antiquiſſimos auctores, modo ex eorum dictis nihil medendi ars lædatur, velut certè hic non læditur*; ſiquidem ſiue arteriæ ſpirituum, & venæ ſanguinis viæ ſint, ſiue vtræque ſanguinis, ac ſine interclusione ſolius ſanguinis, ſiue eius cum ſpiritu inflammetur pars iiſdem auxilijs meritò occurretur, arterias certè vias ſpiritus vocari non eſt diſſonum, etſi enim ſolius non ſint, quicquid tamen ſit ſat eſt dicere morbum quo pręmitur Eminentiſſimus Cardinalis eſſe Anginoſum ortum à capitis fluxione, cum fauces intueamini rubore ſuffuſas calorem præſeferentes, in deglutiendo maiorem, quam in anhelitu difficultatem percipientes, quæ quidem in tumorem aſſurgunt, vnàque inflammantur ob pituitæ deſcendentem colluuiem vna cum ſanguine; quod videre eſt ex faucium tumore flaccido, atque molli, pituitam atteſtante, nec ob id alicuius bilis portio excludenda à Iecoris feruore genita, cum referat Eminentiſſimus non raro fauces in bullas concreſcere ychoroſa humiditate exuberantes, ni id cum *Chymicis* ad ſalis portionem redigere velimus, cuius radicale principium à *Paracelſo* ſtatuitur hepar; quas olim Chirurgum lanceola diſſecuiſſe retulit *Zoaris* normam expungentem, qui *primo ſui Theyſir. capite* 13 *&* 14. ferro incidendos docet anginoſos affectus, quod diligentius ex Antyllo docet *Paulus Ægin. 6. lib. ſuæ Medic. cap.* 38.

Quicquid tamen ſit cum quilibet morbus non raro neglectus fieri ſoleat magnus vt volebat *Hippoc. lib de loc. in hom.* & potiſſimum Angina, quæ non præbet inducias, cum aiente *Trall. lib. 4. cap* 1. *Angina ſi quod aliud vitium acutiſſimus morbus extſtit, nam ægros, laquei, funiſque more ſtrangulare ſolet*; vnde *Hipp. 3. progn.ſt.* 17. volens Anginæ ſæuitiem explanare dixit: *Anginæ horrendiſſimæ ſunt, quæ neque in faucibus neque in collo quicquam conſpicuum faciunt, verum dolorem plurimum exhibent & erecta ceruice ſpirationem inducunt hæ enim eodem die, & ſecunda & tertia & quarta occidunt*: ſic quinta die Anginoſam, quæ iuxta Ariſtionem 3. *epid ſect. 2 ægr.* 7. mortuam refert *Hippocr.* quamuis idem aſſerat in hiſt. *Tumor ſub. uber, durus, ceruicis, & ſuper pectus ab vtraque parte*, quæ verba mihi non minimam incutiunt curam, cum dixerit ſuperius anginas eſſe horrendiſſimas quæ in faucibus nihil conſpicuum faciunt, & alias dixerat: *Eryſipelas foras accedere commodum eſt, intrò autem verti malum*: vnde 3. *prognoſ.* 18. *quibus verò fauces & ceruix ſimul rubent, hæ ſunt diuturniores, & maximè ex ipſis liberantur quibus pectus, & ceruix ruborem contraxerit, niſi eryſipelas intrò recurrat*: verum reſpondet ſatis doctè vt aſſolet doctiſs. *Valleſ.* inquirendo hanc anginoſam non fuiſſe mortuam ex huius Anginæ vi, niſi facultas imbecillima extitiſſet, quod frigus, & liuor partium, & ſublimis ſpiritus indicabant, neque omninò fuiſſet mortua, niſi intrò excrementa remeaſſent, remearunt autem quia ſuppreſſæ ſunt deiectiones, & vrinæ, atque ob hanc cauſſam mortuam quidem eſſe huiuſmodi mulierem alioqui non morituram, aut non tam citò: vt propt. affectus quo premitur Eminentiſſimus Cardin. non timorem nobis debeat incutere, cum ſynanche laboret, tumor appareat, erectæ ceruicis ſpiratio, ſiue orthopnæa non adſit, nec plurimus dolor exiſtat, nec nimis deprauatus anhelitus; vnde ob id quoque doctiſs. *Senner.* aſſeruit. *Minus periculi autem adhuc eſt in συνάγχῃ, in qua plus læditur deglutitio, quam reſpiratio*; quod deprompſit ab *Hippoc.* qui 6. *epid. ſect.* 7. de ſignis epidemicæ Anginæ loquens dixit: *In ſumma qui ſolum deglutire non poterant, his valdè*

mites, & toleratæ faciles erant, pessimè verè his quibus vna spiritus sublimis erat; quicquid tamen sit ne morbus ruat in peius, ac continuo perennique affluxu debilitate glandula, ac fauces negotium facessere queant, propterea medica non est deneganda manus, vt volebat *Trall.* quæ sanè curatio in Eminentissimo Principe nedum therapeutica est absoluenda, sed etiam prophylactica; Anginæ enim curatio dixit *Iacchinus* partim morbum factum respicit, partim futurum; illa propriè curatio est, hæc verò prouisio, vel prouidentia, quod à *Gal.* deprompsit *lib. art. medic.* dicente: *Factum autem ægritudinem, atque existentem curare oportet, quæ nondum quidem adest, sed futura est, prohibenda est ne fiat, eius autem quæ adhuc fit, quod quidem factum est curare oportet, quod autem futurum prohibere*, vnde cum non actuali morbo prematur, sed premi soleat, propt. ego vtramque curationem subnectam, prophylacticam præmittendo, *Facilius est enim* aiebat *Celsus imminentium, quam præsentium depulsionem facere*; Cumque dixerimus adesse contentum scil. excrementitium, illudque quantum, & quale, continentium antypraxiam, fluxionem, & demum faucium, seu glandularum imbecillitatem, proindè multiplex consurgere videtur indicatio roborandi scil. fauces, & glandulas, ne eædem scil. fluxionem recipiant: fluxionem tollendi auersione, roboratione, & exsiccatione, & tandem interceptione: viscerum dyscrasias corrigendi, & tandem humorum copiam euacuandi: quam sanè euacuationem cum duplici medio vnanimiter auctores fieri statuant, pharmaco nempè, & sanguinis missione, propt. non ab re crediderim humorum πλεωνεξίαν seu cacochymiam deplere, idque non semel, sed bis, verè scil. & autumno (nedum per pillulas, & alias euacuationes, sed per errhina, non autem apophlegmatismata cum trahant in partem affectam) nam ob viscerum dyscrasias humiditates denuò congerendo noua indiget euacuatione, quæ quidem etiam profligandæ cum sint caussæ generantes, propt. non inutile fore sperarim, vel leuiter sanè venam pertundere, vel saltem hemorroidalibus venis hyrudines affigere, sic quoque pro Iecore refrigerando non inutile erit conseruas assumere, & potissimum rosf. florum borra. & similes, sicut & capitis ratione addi poterunt conf. de beton. vel quod satius duxerim adhiberem tabulas ex conf. rosf. spec. trium sand. Diamar. .. ig. plyris Arcot. &c. hæ enim & caput roborandi vim obtinent, & Iecur respiciendi, quod fluxioni caussam dare dicere haud sumus veriti; pro qua pariter tollenda triplici via intercederem, intercipiendo nempè materiam cerato aliquo commissuræ coron. de rasæ imposito, eoque p æstito ex corall. rub. trochis. de Kar. masticħe, & therebintina; quemadmodum pro auertenda materia aliam inustionem peragerem in dextr. crure vt Iecoris seruetur κατίξις, vtque materia, quæ ab eodem aliis partibus substernitur reuellatur; Enitendum est enim vt aiebat *Hip. lib. de nat. hom. vt sectiones quàm longissimè à venis faciamus vbi dolores fieri, & sanguis colligi solet, sic enim minimè magna mutatio de repentè fiet, & consuetudinem remouebit vt non amplius in eundem locum colligatur*: nec id sententiæ alias *in epid.* allatæ videtur contradicere, vbi aiebat *Hippocrat. In doloribus proximum ventrem secare, sanguinisque ventrem scindere, vstio, sectio, calfactio, refrigeratio, sternutamentum*: ibi enim de *Natur homil.* de cura prophilactica loquebatur, hic verò de curatiua vt benè adnotat *Martianus*, in qua *Hippocrat.* protinus ad partem accedit, vt benè in meis epistolis explanaui, quod etiam explicauit *Valles. in epid.* in eo text. *Deriuare, reuelle*

re

re cedentem ; renitentem cedere; possent quoque per interualla frictiones adhiberi, cucurbitulæ, & similia; Pro exsiccanda autem materia quæ indies congeritur, chinę, vel salsæ decoctum minimè sanè aspernarer; china namque vt docet *Alexan. Petron.* raro quodam beneficio fluxiones sistit, rebus tamen refrigerantibus refractam, vt puta sandalis citrinis, quorum decoctum maxime probat *Pet. Salius* in hepatis affectibus, & aliis; Neque chinæ radicem pertimerem cum eadem à nonullis calore pollere existimetur, non inquam hoc namque rejcit *Senner. lib. 6. par. 4. cap. 15.* eandem aiendo in siccitate ad secundum extendi gradum, quamuis doctiss. *Zecch.* ad 3. extendat, temperatam tamen esse ait in qualitatibus actiuis, nec vllũ vult excessum habere, & si quem habet potius ad frigiditatem propendere, quam caliditatem; quicquid tamen sit mihi magis curæ est substantifica illa humiditas quæ eidem tribuitur, qua ratione *Senner.* censuit homines pinguescere, quod confirmat *Augen. tomo 2.* verum ego vt ingenue fatear hanc virtutem ab eadem china seiungerem, quum illa quæ ad nos aduehitur qualitatem illam vel amisisse, vel obtudisse credam; præterquamquod in cacochymico corpore eas vires exerere non valet; quod videtur confirmasse *Garzias ab Horto* qui chinæ radicem recentem adeò calfacere asseuerat, vt si quis eius decocto paulum meraciore vtatur, aut calidum hauriat, ob nimium medicamenti calorem in maximos hepatis ardores, erysipelata, phlegmonas, & alios calidos affectus incidat, quod tamen non timendum venit, cum eadem vt ait Senner. ad nos insipida, interdum etiam puluerulenta aduehitur, cur est vt nos denegare debeamus succum illum alimentarium esse deperditum in china vetustatis ratione si deperditur quasi calor qui in substantifica illa qualitate inhęrescit; vnde bene *Senner.* concludit nedum in hac planta, sed & in aliis quoque succum illum alimentarium diuersæ rationis existere quam plantæ exsiccatæ: quod si timeatur pinguedo à china, salsa non explodenda vt puta temperata, vt innuunt *Capiuacc. & Senner.* præterquamquod in exsiccanda materia principatum videtur obtinere, quamuis doctiss. *Petron* chinam longè maiori encomio prędicet quam salsam: Tanto autem pręstantius, ait, quam salsæ decoctũ, quantò chinæ radicis minus lentoris atque adstrictionis habet, & gratius est, atque suauius exsiccat; sic quoque commendarem lignum de visco quercino in aqua ebullitum pro limphando vino, sunt præt. qui duccias, stillicidia, & alia commendent, quæ lubenter omitto, cum non sit adeò contumax affectus quin hisce pręsidiis possit debellari; Neque ob id fluxæ materiæ obliuisci debemus, aut saltèm faucium immemores, quę & laxæ, imbecillæ, & turgidæ videntur, ad quod tollendum pathema *Claudinus* maximè laudat succum granatorum; sic *Zecchius* probat Diamoron simplex cum aq. plantag. sicut frigida adstringentibus combinata vt actum cum rosacea, vel gargarismum prestitum ex vnc. 4. aq. hord. succi putaminum nucum viridi vnc. 1. hoc enim gargarismo mirifice catharri impetus suspẽditur; hacque forte ratione dictus *Claudinus* ait: *Ergo omnibus præfero succum pomi granati integri acidi saporis dilutum cum aqua thermali ferrea, & aluminosa, vel cum sero lactis*; sic crediderim *Hippoc.* in Paracynanche *3. de morb. tex. 2.* suffitum probasse ex hyssopo, cylicio, sulphure, & bitumine; quod si hæc non arrideant cum *Amato lusitano* probandus est gargarimus, ex aqua plant. vino granat. & rhob. mororum; sunt præt. ad destillationem arcendam

vſum roſ. diatraganthum frig. propter eaque à doctiſs. *Pereda* maximè probatur ſequens remedium: ℞. thuris, maſticis, cyperi an. drach. 5. boliarm. præp. ſucci glycirizæ an. drach. 1. gumm. arab. dragn. an. ſcr. 1. carnis paſſul. concuſ. drach. 2. cum ſyr. iuiubino f. trochiſci ore detinendi, in quem vſum quoque probantur pillulæ bechicchæ, quod ego tamen in maximo ſemper vſu habui ſunt huiuſmodi Tabulæ quæ in intercipiendis fluxionibus maximi ſunt vſus: ℞ trochiſ. de ſpod. de Kar. de Terra ſigill. an. drach. 5. ſp. arom. roſ. gummi drag. arab. an. ſcr. 2. corall. rub. prepar. drach. 1. ſacch. fini diſſol. in infuſ. roſ. q. ſ. miſ. f. tab. vnc. 5. ſing. pendentes cap. dum it dormitùm.

Quod ſi iam inſtet Angina, ſynanche, vel paraſynanche, quis ambigit protinus eſſe deueniendum ad ſanguinis miſſionem, eamque ex bracchijs preſtitam, vt Hip. mens eſt, vndè lib. acut. dixerat: Adeò vt æger citò ſuffocetur, ſi non quis citò auxilium ferat, venæ ſectionem à bracchijs faciēs, & venas ſub lingua ſecans: vnde *lib. de morb.* pariter dixit: *Angina quam Cynanchen Greci vocant, à ſanguine fit, cum ſanguis in venis quæ in collo ſunt compactus fuerit, ſic affectis à venis quę in bracchijs ſunt ſanguinem detrahes, & aluum inferne ſubduces, quo id quod morbum exhibet detrahatur*: & aliàs dixerat ijſdem *lib. de morb. Et venæ ſub lingua ſecentur, ſed & à cubitis ſanguis dimittatur*; *Salius in com.* dixit: *Per pluralitatem cubitorum inſinuat copioſam ſanguinis miſſionem cum in vtroque cubito ſint ſecandę*; *Valles in comm. acut.* dixit: *Ex bracchijs ergò alternatè fundendus eſt ſanguis, ſed crebro, & quoties affectio petet, & homo ſuſtinere poterit*. (quod credo deſumpſerit ab *Ægineta*, qui de Angina loquens hæc habet: *Reliquis autem non ſubito, ac ſemel euacuabitur, ſed interpoſitis vicibus, quippè cumulata, ſemelque facta euacuatione, anima ipſis deficiente ſuffocationis periculū ſuperuenit*;) poſtea ad ſectionem venarum ſub lingua maxima cum vtilitate acceditur, vnde inferius ſubdebat *Valles*: *ſi enim in harum repletionem ſuffocationis periculum rectè reijciebatur, harum euacuatione maximè, ac celerrime ab eo periculo homo liberabitur*; cæterum *Gal.* non eſt viſus hanc ſententiam habere cum *lib. de compoſ. med. ſecun. loc.* hæc habuerit: *Si ſuffocationis periculum ſit nobis ſuſpectum, ità vt ægrè tranſglutire poſſint ægri, aluus forti clyſtere aut glande ſubducenda eſt, & vena cubiti ſecanda, cucurbitæque cum ſcarificatione collo, ac mento affigendæ, ſi verò ad nullum horum præſidiorum cedat, venæ ſub lingua ſecentur*; quam quoque ſententiam ſequutus eſt *Zoroaſter Tinellus in ſuis conſult.* vbi dixit hanc venarum linguæ ſectionem fieri non debere in principio morbi fluentibus ad huc humoribus, ſed tranſacto principio, ſcil. aut non fluentibus, aut admodum lentè; quinimò id faciendum amat repetita ſæpius bracchiorum phlebotomia; quod ipſe quoque commendarim, niſi in eo caſu vbi repentina ſunt omnia. & vbi vrget neceſſitas, nam vt dicitur tota methodus, nulla methodus, & ideò dixit *Celſus*: *quos ratio non reſtituit temeritas adiuuat*; non enim ſunt ità proroganda nonunquam præſidia, vt ante eorum adhibitionem mortem intueamur; quare in Angina non pauitarem è venis linguę ſanguinem mittere dummodò bis ſit phlebotomatus æger, vnaque è cucurbitulis ſanguis miſſus; propt. ego ſoleo irridere quoſdam Medicos qui in Anginis vt reuulſionem ſeruent à cruribus tanquam diſtantiſſimis partibus ſanguinem mittunt, mox ad bracchij venas accedunt, & tandem iam morituro languenti è venis linguæ ſanguinem mittūt; ſic *Capiuacc.* vt puta nimis methodicus prius ſecat venam tali, deinde cubiti,

biti, postea hyrudines affigit post aures, inde naribus tandem linguæ: *non enim à paruis incipiendum auxilijs in quibus morbis maximum impendet periculum, at in leuioribus licet quidem leniora experiri remedia* vt ait *Gal.* qua ratione dixit *Valles. in epid.* tunc scil. esse seruandam normam de reuulsione deriuatione, & euacuatione quando morbus dat inducias secus autem in morbo cæleri; tunc enim reprehendit quosdam Medicos qui antequam ad propriam morbi curationem accedant mori ægrotos contingat, aut in grauiori aliquo periculo versari, id suadentes solum, ait, nullam euacuationem licere facere donec reuulsio omnis, aut deriuatio facta sit: quod intuens *Celsus lib.* 2. *cap.* 10. dixit: *Mitti verò is debet, si totius corporis caussa sit ex bracchio, si alicuius partis, ex ea ipsa parte, aut certè quam proxima*. & alias dixerat: *Neq. ignoro quosdam dicere quàm longissimè sanguinem indè vbi lædit esse mittendum sic enim auerti materiæ cursum, at eo modo in id ipsum quod grauat auocari, sed id ipsum falsum est proximum enim locum primò exhaurit, ex vlterioribus autem eatenus sequitur, quatenus emittitur, vbi is suppressus est quia non trahitur, ne venit quidem:* quamobrem vel præstita aliqua reuulsione si necessitas vrgeat sanguinem è lingua mitterem; Tanta enim est huius morbi acuties, vt vel auxilijs illico, & vt decet administratis ægri strangulati è vita discedant, visi enim sunt plurimi qui intrà decem horas suffocati perierunt, vt propriis exemplis notarunt *Musa, Ferneil. Amatus, & Hollerius*; quinimò *Zacutus lib. p.* dixit factũ esse consulto à *Tralliano*, vt sanguinem statim è venis linguæ mitteret vt puta in morbo vrgenti, licet omnimoda non esset ex superioribus facta euacuatio; nam humor solum impactus negotium facessit, quare illicò leonicæ secandæ, aliaque cælebranda auxilia, quę fixam materiam vacuare natæ sunt. *Neque expectes,* subdit, *quod multi scioli putant, vt totum corpus exquisitissimè vacuatum sit, prius quam ad affecta partis auxilium deuenias,* hoc enim consilium tanti fuit semper momenti, vt *Valles.* doctiss. exclamet toto cælo errare, qui non nisi corpore exquisitissime vacuato ad locale auxilium deueniunt; sicque summopere laudat *Hip. 4. epid. comm. 43. & lib. 2. sect. 6.* propè finem. qui ad auris, & coxæ dolorem cucurbitula ad aurem, & suprà coxam nullo alio prius auxilio vsus est si enim procrastinetur ex affecto loco auxilium in manifestum discrimen æger deducitur; quamobrem non adeò superstitiosi debent esse Medici in curandis Anginis potissimum, sed quamprimũ ad generosa venire debent præsidia; sic bene dixerat *Celsus*: *Multa in præcipiti periculo rectè fiunt, aliàs omittenda*: sic *Valles. in eo Hipp. tex. in acut.* vbi ait de Angina loquens: *Sectionem venę à bracchijs faciens, & eas quæ sub lingua sunt secans, & curans eclygmatis &c.* hęc habet *Valles. Et ipso ordine quo sunt scripta sectiones hæ fieri debent, prius enim quæ à bracchijs, vt quæ plus habeant reuulsionis, deindè quæ sub lingua, vt quæ ad euacuationem proximè accedat.* quinimò non defuerunt qui pręter lingue venarum sectionem probarint etiam & Arteriotomiam, vt voluerunt *Aretęus, & Cælius Aurel.* ex sententia *Asclepiadis*; & venarum iugularium sectionem, vt voluit *Zacutus*, sic *Alex. Trallianus. lib. 4. cap. p.* dixit: *Noui etiam iugulares venas à me sectas esse cum linguæ subiectas non inuenirem*; sic *Gal. lib. de anat. viu. tit. de anatome* venarum manus in principio fortis Anginę secandas esse sibi persuasit vt est apud *Zacutum lib. pr. hist. 76. dubio 47.* subdit *Zacutus*: *At hoc data vrgentiss. necessitate exequendum est auxilium, quum strangulationis periculum imminet, Tantus enim ex his venis euenire solet sanguinis fluxus, vt vix sisti possit*: quare *Albuc. cap. 43. lib. 2.* laryngo-

tomiam

tomiam minimè esse periculosam ancillę testimonio ostendit, modo venis parcatur iugularibus, in quarum sectione adeò cauti, & timorosi Medici fuerunt, vt vix reperias vllum qui ad earum sectionem nisi summa necessitate impulsus accedat; quamuis Iacchinus cap. de Angina dixerit: *Postremum in desperatis remedium est arteriæ asperę inciso quod etiam veterum inuentu fuit ętate nostra quod sciam, factum non est Cęlius etiam Aurelianus*, huiusmodi arteriotomiam fabulosam esse dicit, & à nullo Antiquorum traditam sed caducam, & temerariam *Asclepiadis* inuentionem affirmat, hęc tamen sit obiter dicta, non enim eget Eminentiss. Card. huiusmodi extremis remediis; nec ignoro *Hippoc. lib. de morb.* secuisse venas sub mamma, *concomitatur enim ex hac parte spiritus calidus, oportet quoque deorsum purgare, medicamentis aut per clysterem*: ex quibus *Hipp.* verbis innotescit quam optimum sit in hoc casu purgare, & quāta doctrina ac iudicio fecerit *Trallianus* dādomedicamētum; sic *Petrus Salius in comm.* dixit purgationem vtilē esse si ęger pharmacum haurire poterit, vt deorsum medicamento euacuante materia peccans tum reuellatur, tum è corpore educatur, si autem bibere nequeat, vel locus pharmaco non detur vt per clysteria (nęc ad reuellendum summè valent) talis purgatio tentetur. *Sennert. cap. de Ang* dixit: *Et omninò affectus grauitas sæpè purgationem ità vrget, vt statim instituenda sit, nec tempus matutinum expectari possit, etsi enim & ad venæ sectionem, & ad purgationem horæ matutinę sint commodissimæ, tamen vtraque etiam tempore vespertino institui potest, si quid mali impediat, vel vt venæ sectio, vel purgatio maturetur vrgeat: Itaque*, subdit, *si suffocationis periculum vrgeat manè instituta venæ sectione, vesperi exhiberi potest purgans*, quod pręter *Trallianum fecit Gal. 4. meth. cap. 5.* in quodam cui lingua tumefacta erat, vt ore contineri non posset. sic *Sennert.* exhibet cassiam, mannam, thamarindos, syr. ros. & viol. sol. rhab. elect. Diaseb. Diacatthol. Recentiores Chymici hic etiam vomitoria, & antimonialia (vt refert idem auctor) exhibent, sed nulla, vt ait, euidenti ratione adducti neque ea tutò in morbo, qui aliàs suffocationem minatur exhiberi possunt. Ita refert *Trincauell. lib. 5. ca. 7. de rat. cur. part. corp. aff.* fœminam quandam sumpto medicamento purgante, & quidem cassia saltem excitato vomitu statim strangulatam interijsse, pro quo etiam vitando *Rondel.* vtitur pillulis, quę tamen facilius vomitum mouent; sic *Zacutus loco sup. cit.* dixit cathartico esse corpus exonerandum, quoniam vehemens est ad partem affectam, & inflammatam humoris confluxus ex quo læsa respiratione strangulatio sæpissimè contingit; quinimò in sui tutelam *Gal. lib. 6. de med secun. loc cap. 3.* adducit, qui dicit in Anginę initio medicamenta esse exhibenda, quæ pręterquam vniuersum corpus vacuent, transferantque ad intrà humorum momentum ab affecta parte vacuare nata sint, hæc electiuè vacuantia dicuntur, & licet humor sit crudus, quia vrget morbus citrà coctionem vacuandus est; quicquid tamen sit ego catharticum non adhiberem cum materia quæ faucibus hæret haud sit mobilis, sed fixa, & cruda, leniens tamen admitterem cum aliquam materię fluentis ad partem reuulsionem possit moliri; quod si per hæc parum proficiatur, vltimum ait *Celsus* est incidere sub ipsis maxillis in collo citrà vuam, vt per ea vulnera morbus erumpat, quibus si non fuerit æger adiutus scire licet malo victum esse: hæc tamen in nostro casu non conueniunt, cum sit satis leuis Angina, quæ non nisi leuibus curatur præsidijs, sic potiùs cucurbitulis vtemur, non sub mento vt facit *Celsus* quo id quod morbum exhibet detrahatur

hatur, sed in spatulis bracchijs occipiti, & alijs partibus infernis. Interim gargarismata facienda veniunt, ab initio repellentia, deindè discutientia, hoc unum adnotando quod doctiss. meus *Vallef. in comm. acut.* monuit vt fugiant valdè quidem adstringentia, & repercutientia, quia quæ talia sunt etiam reddunt respirationem difficilem, & excreationem prohibent, atque periculum est ne fluxionem repellant in pulmonem, (quod adeò vitandum, vt *Dodoneus* existimarit Anginam ex inflammato pulmone fieri,) modicè tamen adstringentia in principio sunt, Diamoron tàm pro eclegmate, quam gargarismo, sic etiam syr. de ribes, cum dec. hord. plantag. rof. optimus erit; quod tamen ego vt optimum probaui, est succus agrestæ cum aq. hord tantoperè à multis commendatus, & potissimum à Saxonia, sic *Galen.* rhois succum, aut vuæ acerbæ commendat; quod si pituitæ caussæ gratia, oxymelitis portio addatur à præfato *Vallesio* maximè commendatur; vnum tamen aduertitur à doctissimo *Saxonia*, & alijs, vt scil. huiusmodi decocta in faucibus detineantur, absque gargarisma, nam gargarismus ducit humores ad locum affectum; his prestitis ad sputum facilitandum deueniendum, ideòque coquentibus, ac modicè resoluentibus vtendum, qua ratione *Claudin.* gargarif. proponit ex decocto florum chamom. anethi, altheæ, beton. pulegij, sthæcad. adiectis syr. vel de beton. uel de sthæcad. *Vallef.* & fortè melius contentus est sola mulsa solo decocto caricarum, & passul. syr. capill. ven. aut potentius resoluentibus vt syr. de prassio, hyssopo, saluia; quia ipsemet idoneos pulueres illis admiscet, velut certè qui ex canino stercore fit, quem omnium optimam resolutionem efficere asseuerat, quod sanè remedium preterquam de *Pauli*, & *Auicen* testimonio maximè valet, à *Valleriola in suis obseruat.* occulta quadam vi prodesse dicitur; *Amatus Lusitanus* illud melle exceptum aptat, quemadmodum & cinerem hyrundinum crematarum; sunt præt. alia remedia què à proprietate videntur prodesse; vndè alij laudarunt hyrundinem exsiccatam salitam, & in puluerem redactam sumptamque ad dra. 1. Præt caput viperæ collo suspensum filo serico purpura tincto vt *Gal. 6. de simplic. medio facult Sennertus* proponit rasuram dentis castorei; doctiss. *Valleriola* ait rasuram dentis apri ad drac. 1. exhibitam cum ol. amygd. dulc. & sacch. cand. præsentaneum esse remedium, & arcanum; sic *Camerarius* in horto ait cassiæ Aegyptiacæ succum extractum, cumque aqu. plantag. mixtum mirum in modum prodesse. sic *Constantinus in supplem.* linguæ, ait præstantissimum esse remedium aquam ex floribus, ac folijs Periclymeni vulgo Caprifolij; *Ioannes Marquardus cap de Angina* ait lignum hederæ maximè esse proficuum ad apostemata gutturis sic *Card. lib. 7. ca. 38. de variet. rerum* Rubetam synanchicis coctam, & pro emplastro impositam adeo prodesse affirmat, vt quendam hoc auxilio, cui tanquam morienti de more candelæ accensæ fuerant, liberarit est autem Rubeta rana quædam venenosa vt *Iuuenalis*, *et Plinius* dixerunt. Alij nido hyrundinum pro cataplasmate vtuntur, sic *Amatus Lusitanus* dixit: *Nec sunt audiendi qui ex nido integro tanquam ex terra frigida emplastrum fieri formidant, cum re vera terra nidi hyrundinis cum paleis, & cæteris in eo contentis discutiendi vires habeat,* hoc tamen cataplasma non ab initio probandum, sed augescente morbo in quo discutiendi indicatio consurgit, proindè multi auctores ol. amyg. dulc. & chamomelino cum lana succida vtuntur; *Saxonia* vtitur linimento ex floribus cassiæ n. extr. vnc. 3. ol. amygd. dulc. butyri an. vnc. 1. & muccillag. sem. malu.

vnc.

unc.1.s.uel poterit adhiberi cataplasma, quo ego sæpissime vtor fælicissimo euentu ex succo apij, mica panis, melle, farina hord. quę omnia ol. amygd. dulc. excipi ualent. Tandem vtendum ijs quæ habent maiorem vim attenuandi, dissipandi, & exsiccandi; quod si ad suppurationem tendat inflammatio, tunc maturantibus incedendum, cuius caussa *Claudinus* loch de althee commendat. Hæc habui quæ possem asserere pro recuperanda salute Eminentissimi Cardinalis Columnæ, qui verè sanctæ Ecclesiæ est columna, cum illi vniuersus orbis penitus innititur.

PRO PERILLVSTRI ATQVE *Excellentissimo Domino Mauritio ab Antonellis Patritio Aquilano, & V.I.D. orthopnæa laborante.*

CONSVLTATIO XXXXI.

NOn immeritò *Asclepiades* respirationem animæ generationem vocitauit, *Praxagoras* animę roborationem, cum eadem ex *Phylistione ac Diocle* caloris sit ventilatio vnàque refrigeratio; dum enim homo respirat anima suo munere fungi videtur, sicut continuo exitum habere, dum deprauatè id agit; adeò vt *Seneca* non sit veritus dicere difficilem respirationem esse continuam mortis meditationem; continuò enim videtur asthmaticis spiritum intercipi, & animam, velut pati, vt non miter nobilissimum nostrum languentem orthopnea ingemiscentem extremis angustijs vexari, meatibus spiritus interclusis, pulmone nempè, & bronchijs, vnà cum aspera arteria, ab humore crasso, lento, & viscido, sic *Aristot.* ait: *quæcunque faciunt pulmonem durum aut propter abscessus, aut excrementa aut febres, densum spiritum faciunt, quia non possunt pulmonem longè attollere sursum, & demittere, tandem autem quando non amplius possunt mouere moriuntur expirantia*, & subdit: *Iuuentus est primæ refrigeratiuæ particulæ idest pulmonum augmentatio senectus autem eorum decrementum:* sic enim cum spiritus nequeat liberè permeare anhelitus difficultas assurgit, vt meritò dixerit *Hippocr in acut. nam & ipsum sputum impactum prohibet quidem spiritum intrò ferri, cogit autem citò extra ferri, atque sic mutuam opem ad malum inter se conferunt:* sic aiebat *Saxonia cap. de asthmate*, in orthopnęa scilic. & asthmate propter instrumentorum angustiam modicum aerem recipi, quod docuit etiam *Gal. 3. de diffic respir. cap. 6* quamuis de hisce instrumentis non satis conueniat apud Auctores *Auic.* siquidem dixit in asthmate læues Arterias nonnunquam pati, & esse obstructas, quod à quibusdam Neotericis reijcitur, quia si obstruerentur pulmonum propagines læuium arteriarum cor laboraret, pulsusque fierent inæquales, minimèque asthma excitaretur, nisi bronchia pulmonum simul obstruantur: *Holler.* asthmatis caussam quandoque etiam extra bronchia pulmonum in alijs pulmonis vasis immò in ipso pulmonum parenchymate seu substantia consistere, sic quendam scribit in quo pulmo tanquam spongia imbutus multo humore pituitoso inuentus est, vnde *Senner.* ait id patere ex eo, quod qui asthmate laborant non

conti-

continuo cum stercore & sonitu respirant, neque etiam semper tussiunt, & tussis aliquando est sicca, quod minimè fieri deberet, si materia in asperis pulmonum arterijs semper consisteret, nam aer materiam transiens, & displodens sonitum, & stertorem excitat, & quicquid in aspera arteria, eiusque ramis existit, tussim excitare solet; quod dixit etiam *Zacutus lib. 8. cap 7. de diffic. respir.* quia viæ spiritus quibus confertim attrahitur, & expellitur sunt aspera arteria, & eius bronchia, quare ex ipsorum læsione respiratio læditur; indeque reddit rationem cur in arterijs læuibus id non contingat, quia hæ arteriæ licet sint viæ spiritus, per eas tamen paulatim, & sensim aer cordi suppeditatur, & ideò quando comprimuntur quia non suppeditatur aer sine molestia, & cordis calore ipsum cor affligitur, & pulsus inæqualis in omni genere inæqualitatis efficitur, quare non vnus asthmatis seu orthopneæ locus statuitur; quinimò doctiss. *Pereda in adnot. ad Io: Micchael. Paschal. Iacotium* arguit, eundemque deceptum esse promulgat existimantem Monachum Collegij de Arras asthmate mortuum integris pulmonibus, solum abscessu in vena arteriali existente, *qua enim ratione* ait *ex illo abscessu posset lædi respiratio non video*; sic *Saxonia* sanxit aliquando contineri materiam crassam, & pituitosam in spatioi nani quod est inter pulmones, & constas, & tunc comprimit pulmones. *Hipp.* summus non est visus in pulmonem, seù asperam arteriam difficilem anhelitum redegisse, sed in venarum interceptionem, vt patet ex *lib. de mor. sacr. tex.* 7. per hęc verba; *Qui verò pueri mundi sunt, & neq; vlcus vllum, neque mucus, nec saliuia vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet vt à comitia li morbo corripiantur, si verò ad cor progressum fecerit defluxus, palpitatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur, aliqui verò etiam incurui fiūt, cum enim descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor; perfrigeratur sanguis, ven autem violenter perfrigeratæ ad pulmonem, & ad cor assiliunt, & cor palpitat, vt præ hac necessitate anhelationes incidant, & spiratio ceruice erecta, non enim spiritum suscipere potest, donec id quod influxit, à sanguine superatum sit, & calefactum in venas fuerit diffusum, deinde & palpitatio, & anhelatio sedatur; si enim amplius influxerit tardius, sin minus citius*: en ergo vt benè explanat *Hipp.* orthopneæ originem fieri ex venarum interceptione, præstita ex destillatione frigida ad pulmonem, & ad venas, vt in nostro casu contingit, cernimus enim nobilissimum virum immani destillatione premi in pulmonem, & eorundē bronchia destillantee, orta sanè non ab alia caussa quam ex itinere sub flamine seu vento; *Venti* enim ex *Hip. 2. de diæta tex. 2. omnes naturam habent humectandi, & frigefaciendi, tum animalium corpora, tum nascentium ex terra*, vndè refrigerato capite & humectato per expressionem orta est fluxio cum caro in capite dixerit *Senex*, & venæ tentæ fuerint, hæ enim horrente carne, & ad angustias perueniente, adstrictaque & excludente humiditatem exprimunt: exprimunt quidem quia multa materiæ vbertas à flamine sit subministrata capiti, venti enim dixit *Hipp.* dant magis, quam accipiunt; exprimunt autem in pulmones, quia vt dixit idem *Hipp.* pulmo tanquam natura rarus, & siccus trahit in se humorem, caput autem illum in pulmones transmisit, ob maximam synthimoriam quæ intercedit inter pectus & caput, guttur enim non est contectum, vt volebat idem *Senex*. sic *Petrus Salius p. comm. de morb.* dixit: *Pulmo est membrum ratione vasorum, adeò fistulosum, & cauernosum, ratione substantię adeo molle, & laxum, vt in defluxionibus recipiendis*

dis paratissimus existat, quas eo facilius recipit, quo è directo substratus est cerebro omnium membrorum excrementosissimo, à quo per tracheam arteriam vas amplum & magnum, & quod constringit, aut conuiuere nequaquã potest destillationum varia recipit genera. Neque putandum est vt Medicorum vulgus credit semper à capitis destillatione asthma prosilire, siquidem non rarò absque vlla capitis fluxione illud assurgit; sic *Senner. lib. 2. cap. 3. quęst. 2.* fræquentissimè asthma fieri retur ab humoribus crudis circà hepar, imò in vniuerso venoso genere collectis, & per venam arteriosam in pulmones effusis quod desumpsit à *Petro Salio loco supr. cit.* quinimo *Carolus Piso* nedum crudam materiam & pituitosam ab hepate in pulmones transmitti credidit, sed serosam; sicque *Saxonia* dixit ab hac tenui atque serosa materia subitam quandam orthopneam fieri, quæ aliquot horas tantum durare consueuit: sicut vbi maxima est plenitudo, atque angustia continua fit orthopnæa proptereaque alij dixerunt flatuosam, quod volens significare forte *Aretæus* dixit imminens asthma cognosci ex flatibus existentibus in præcordijs, & eructationibus; sunt præt. qui inter caussas asthmatis recensent tubercula in pulmonibus enata, vel propè ipsos, sic *Hipp.* narrat historiam Agasis filiæ *6. epid. sect. 4. sic Realdus Columbus lib. 15.* se in autopsia inuenisse refert tuberculum steatoma, aut ateroma configurans, *Saxonia* multas alias se asthmatis caussas experientia inuenisse fatetur. & primo ex pulmonum aqua multa contenta in pectore, qua ratione in dissectione cuiusdam Clarissimi ex familia Marcella fuere inuentæ multæ libræ in capacitate thoracis, & pulmonibus sic refert Maximilianum secundum Imperatorem palpitatione laborantem hoc morbo interiisse; sic orthopnęam refert nedum ab humorum pręsentia posse fieri, sed ex pulmonum siccitate, vidisseque se refert quendam religiosum orthopnea laborantem curatum ac si humoribus crassis redundaret, cui fuere inuenti ambo pulmones tabe affecti & exsiccati; omitto alias caussas vt coalescentiam cum constis, qua ratione *Hippoc. 2. de morb. tex. 57.* dixit: *si pulmo ad latus prolapsus fuerit, tussis tenet, & erecta ceruicis spiratio,* omitto lapides in pulmonibus contentos vt scribit *Paulus lib. 3. cap. 31. Gal. 5. de loc. aff. 8. & Fernell. 5 pathol. cap. 10*, qua ratione multi dixerunt in arteriis fuisse inuentos lapides, animalcula, muscas, mucilliones, strobilos, nucleos, cimices, vermiculos, & similia quæ vt ait Schenghius pertinacem tussim excitant, & cum eadem reiiciuntur; omitto denique gibbositatem vt docuit *Gal. p. dediffic. respir. cap. 11.* solam fluxionem in nostro casu admittens, quod patet & ex tussi, & ex continuo screatu materierum crassarum, quod si aliquandò nihil expuere videatur, id non ex absentia humoris promanat, sed quia vt ait *Fernell. lib. 5. de part. morb. & sympt. cap. 10.* humor crassus pulmonum bronchiis sit pertinaciter impactus, & vias coarctet per quas spiritus euadit; quamuis non rarò id ego putarim ob vires languidas fieri & ob impotentiam, qua ratione doctiss. *Mercatus cap de difficili respiratione* dixit tres esse eiusdem caussas, flammeam nimirum in corde, & pulmone caliditatem, coarctationem viarum respirationi seruientium, & facultatem animalem impotentem, languidam; sic reminiscor apud *Hippocratem*, legisse historiam vxoris Nicostrati in Cranone cui ait *Hip statim anticipauit impotentia colli, & aliorum, & cibus inclusus est vsque ad decimam, spiritus densus, paruus, impotentia:* subdit *Valles.* meus doctiss. *sed cur dicens spiritus paruus, densus, addit impotentia? præcipuè cum dixisset mox, anticipa-*

uit

uit colli impotentia, & aliarum partium videtur enim frustra repetitum illud nomen impotentia; certè rarum quiddam, & magnum innuens. Id vero est respirationem talem non esse factam ob dolorem partium supra septum transuersum vt in prognost. ab ipsomet Hip. dicitur fieri solere, & qua sola caussa fieri posse à Gal. putatur, sed ob impotentiam mouendi septum transuersum; quod non crediderim contingere in nostro languente, sed potiùs ob materiæ crassitiem quæ diuelli nequit, propter antequam eadem materia crassescat adeò vt respirationem intercludat ad curationem deueniendum, nam vt aiebat Fernellus *Malo ingrauescente lentus humor in grandinem concrescit, atque hæc tandem in veros calculos, quibus interdum dissectos pulmones confertos deprehendimus, aliosque in his præduros, ac solidos alios veteris casei constantia incipientes, alios gypseæ pituitæ duritie, omnes quidem propria cysti obductos*: quare quamuis morbus hic sit diuturnus solet tamen habere acutos paroxismos ob loci nobilitatem vt ait Senner. sic *Auic.* 10. 3. *tract. prim. cap.* 38. ait: *Et hæc ægritudo cum accidit decrepitis non forsitan sanatur, neque maturatur, cum ipsa in iuuenibus etiam difficilis* sit, *& hæc quidem ægritudo est ex ægritudinibus longis habens cum hoc paroxysmos acutos secundum similitudinem paroxysmorum epilepsiæ, & spasmi*: quinimo non rarò corruens destillatio homines suffocat; propptereaque ad eandem profligandam oculus dexter habendus, ab ea enim malum profilit; proinde multiplex insurgit indicatio, euacuandi vniuersum corpus, reuellendi humorem fluentem ad pulmones, consumendi materiam contentam in pulmone, & fluentem à capite, & prohibendi capitis aliarumque partium intemperiem, quæ se habent vt caussę generantes. idque faciendum reuellentibus, vt cucurbitulis sed vt amat *Trincauell.* spatularum summitatibus, bracchijs, & occipiti applicitis, ne materia trahatur in pectus, sic frictiones maximè laudantur, quemadmodum inustio, vel occipiti, vel bracchio sinistro, cum hunc morbum alias sit pati solitus æger, & morbus sit è reuersiuis quanquam potius id in prophylactica, quam therapeutica conueniat, quæ omnia si fiant post corporis euacuationem malum non erit, pro qua celebranda aliquod leniens exhiberem, vt ℞. mellis viol. sol. mannæ il. an. vnc. 2. f decocti cord. q. s. mis. f. pot. cap. præmissis tamen syruppis ex farfara, viol. de liquir. cum dec. communi; sunt qui validiora probent, verum meo quidem iudicio hos satis improbat *Zacutus* per hæc verba: *Si ex accessione vehementi p ... ente respiratione difficillima suffocationis periculum immineat, aut pulmo, & pleura coarctari videantur non dubitarem præcedēte prius phlebotomia, si, humor vires, & accessionis vrgentia eam expostulent purgationem lenissimam offerre, quod sępè vsu sum expertus cum vtilitate summa cuius ope humor fluens & fluxurus reuellatur infrà, & crassi si qui in ventriculo & primis viis redundāt humores vacuentur, qui thoracem comprimunt & respirationem impediunt*; sic *Mercatus* (loquimur enim in accessione) leuioribus vtendum esse purgationibus iniungit, ne citatius materia in pulmonem irruat, aut quæ in ipso continetur ex agitatione penitius sese inferat, & difficiliorem reddat respirationem.

Septalius vult materiam illam antecedentem & suffocationem auget esse euacuandam, vbi tamen præparata fuerit, at id in magno paroxysmo præstare periculi plenum est negotium, ne aut superueniente vomitu æger suffocetur, aut deiectis viribus vitalibus, animalis quæ per tussim excernit succumbat. Senner. ait in humore crasso non satis commodè purgantia exhiberi, verum si humor sit tenuior, & mobilis ad periculum suffocationis

vitandum ſatis commodè purgantia exhibentur ; *Carolus Piſo* ſtatim poſt ſanguinis detractionem purgationem auertendi gratia inſtituit, cum nonniſi cum periculo ſuffocationis purgatio protrahi poſſit, & humor ipſe per ſe ſatis ſit fluidus, neque magno apparatu indigeat; quicquid tamen ſit à leui hoc medicamento à me propoſito non horrerem reuellendi gratia, nec non etiam & expurgandi primas vias, ſic *Celſum* intueor *lib*.4. dicentem: *Auxilium eſt niſi aliquid prohibet in ſanguinis detractione, Neque id ſatis eſt, ſed lacte quoque venter ſoluendus:* en ergo vt *Celſus* lac non traſcendit ; id quoque adnotarem in aſthmate potiſſimum, vel orthopnea in qua libera eſt anacatharſis nunquam eſſe pharmaca iniungenda, cum illa ſputum *ex Hipp.* ſupprimant ; aut ſi bibendum eſt medicamentum antè ſputi purgationem faciendum ; De ſanguinis miſſione non loquor ſumus enim in viro admodum annoſo, vires ſunt languidæ, & æger pænè ſuffocatur ; adde etiam quod humor eſt frigidus, qua de cauſſa nec *Rhaſis*, nec *Aetius* meminerunt venæ ſectionis quamuis non ignorem innumeros ſanguinem miſiſſe, vt *Paulum Auicen. Celſum*, & ferè omnes, quod ſi velimus duas hyrudines venis ſedis affigere non erit abſonum ; interim ad materiam è pectore purgandam accedendum. *Quercetanus* oxymel de Nicotiana purgans vtique anheloſis deſcripſit, ſicut & ſyr. de Nicotiana, Valdè etiam laudatur therebintina, quæ vt ait Sennertus nedum pulmones abſtergit, ſed & hepar, lienem, renes, ſimulq; aluum citrà noxam ſoluit, ſic *Iacchinus* exhibet pariter therebintinam reſinam, quæ vna & meatus pectoris expurgare ſolent, & aluum, de qua *Gal.* dicit, quod omnia viſcera detergit elegantiſſimè, & quidem vis eius purgatoria non ſiſtitur in primis venis, quod multis aliis euenire ſolet, ſed penetrat vſque ad cauam, & vrinas, quod ex odore deprehenditur, vſus autem eius eſt eiuſmodi vt ad ſummum vncia media propinetur ex ol. amygd. dulc. cui etiam vis non exigua ineſt extergendi, quod ſi nimis (ait *Iacchin.*) delicatus æger non ſit etiam amararum; Medicamentum ſanè à me millies probatum, ſed ipſe cum *Zecchio* addo portionem ammoniaci, & ſulphuris puriſſimi ; ſulphur enim à Chimiatris dicitur pulmonis anima, poſſumque aſſerere me hoc medicamento mira vidiſſe ; ſunt qui in materijs craſſis fortiora exigunt medicamenta propt. vtuntur oxym. ſcyllit. vt Aet. alii ol. ſulphuris ad guttulas exhibent, quod nec ipſe improbo vrgente tamen neceſſitate ; ſic & eclegmata poſſunt commendari, eaque varia, quæ tamen æger viſus eſt vtilia probaſſe ſunt ſyr. de hybiſ. cum aqua ſcabioſæ, ideòque in illis inſiſtendum eſſe deſidero, nam vt bene aiebat *Hippoc.* modum qui ſanitatem facit ſeruato, nec quicquam addito, nec minuito ; quod ſi ad magis incidendum addere velimus aliquid ſyr. de hyſſopo non erit ab reſic ad pectus oblinendum vterer ol. amyg. dulc. liliorum alb. viol. & ſimil. ſunt præt. qui videntes hoc pathema perſeuerare veſſicantia in dorſo è regione pulmonis adhibent, nonnulli ſinapiſmos in anteriori parte thoracis affigunt, quod ego ſummoperè improbo, cum nimiam in partem affectam attractionem moliri poſſint, vnde'potius in bracchiis eadem veſicantia applicarem, ſic enim fieret maior reuulſio à parte affecta. *Galen* in huiuſmodi fluxionibus, quæ præcipites ſunt adhibet ceratum ex thapſia, a quo pariter abſtinerem; hæcque omnia probantur in acceſſione, quemadmodum & millepedæ vel aſelli à *Sennerto* commendantur, qui ſub clepſydris ſtabulantur, ſi ſcil. panno lineo excepti in vino macerentur, & vinum ſine expreſſione propinetur;

tur;

tur; quæcunque tamen vsque adhuc proposui ægrotanti in accessione existenti inseruiunt; extra enim accessionem multa probari possunt, tum ad materiam in capite exsiccandam, tum ad pulmones roborandos ne recipiant; propt. quamuis in accessione diximus pharmaca debere esse leuia, in prophylactica grauiosa esse poterunt, adhibendo agar. & hieram, sicut quia non sat est vnica euacuatio, postea ad caput deuenirem illud pill. de hyera cum ag. cocchijs, & aggregatiu. sic etiam clysteres admittendi, sic etiam errhina non reijcerem, sicut ab apophlegmatis. cauerem quia possunt materiam in pectus allicere; quod tamen præ reliquis probo est vsus chinæ, ac salsæ, in iure ebulliræ additis sandalis, & in fine ebull. scabiosa, tussilag. rad. hellenij, yreos, & borrag. vnaque melissa, a ligno sancto abstinerem, cum illud nimis attenuet vt ait *Petron.* atque ob id fluxiones magis accersat; ceratum capiti apponere non est inutile, vt ad intercipiendam materiam assumere Diatraganthum, Diacod. cum bolo arm. vel tale eclegma. ℞. sacch. viol. vnc. 1. diatrag. vnc. 5. boli arm. scrup. 2. phylonis pers. scrup. 5. syrup. iuiub. q. s. f. eclegma cuius portiuncula assiduè ore contineatur; sic theriacam mitridathum adhibere non est inutile; Electuarium à *Zecchio* proponitur, quod ego fieri haud potest quin commendem est tale: ℞. conf. anthos. beton. an. vnc. 1. pul. liquir. drac. 1. boli arm pulmonis vulpis præp. an. scrup. 1. syr. de hyssopo q. s. f. elect. cuius vnciam mediam, tribus horis ante prandium, & totidem dormiturus deuorabit: Ius galli ab omnibus ferè probatur in thoracicis affectibus, vnicus est Septallius illud improbans, quia ex longa ebullitione nitrosæ illæ partes, quibus maximè prodesse ius illud galli veteris crediderunt tanquam terrestres subsident, atque in percolatione eijciuntur, viscidæ, autem glutinossæ, crassæ tum & perpingues ex cute, pedibus, alarum extremis, musculosis denique & neruosis partibus promanantes maximè remanent, vnde non solum non adiuuabit materię ex pectore excretionem, sed crassiore, & viscidiore materia, & antecedente, & coniuncta reddita contumaciorem, magisque rebellem ad excreandum reddet; sed *Sonner.* falsum esse asserit partes illas nitrosas subsidere, & postea tanquam fęculentas abijci, etenim terrestres quidem, crassæ, viscosæ, ac fæculentæ subsident, nitrosæ autem propriè terrestres non sunt, sed salsæ suo modo, ijs quæ claro liquori permiscentur salis more, non verò subsident; deinde etsi verum sit coctione nimia vim tam purgantem, quam alterantem dissipari: tamen hoc facile præcaueri potest, si in vase clauso, & duplici balneo feruenti fiat decoctio, & tum minus aquæ, cum nihil absumatur affundendum. aut si hac coctione vim omnem ex gallo extrahi non posse, sed coctione in vase aperto opus esse quis existimet, gallus primo solus coquatur, deinde in decocto in vase clauso infundantur, uel ebulliant medicamenta purgantia & alterantia, pinguedo etiam facilè separari potest: sunt præt. qui laudent suffumigia, & alia quæ breuitatis gratia sileo: Illud tamen silere non possum ad nostri ægrotantis vtilitatem, quod vt plurimum ex toto asthmaticos liberauit, & est puluis hepatis lupi cum vino assumptus; hęc ergo habeo quæ dicerem, vestrę sunt partes viri doctissimi, vt quid sit agendum diiudicetis. De victus ratione nil dicere volui cum optimè instituta cernatur.

PRO

PRO IVVENE QVODAM SVLMONENSI Pulmonum hydrope laborante.

CONSVLTATIO XLII.

Difficultas anhelitus, thoracis grauitas, ſicca tuſſis, & ſonitus in thorace obſtrepens *ydερων* ſeu pulmonis hydropem mihi videntur indicare in noſtro ægrotante *Hippoc. 2. de morb. tex. 59. Si hydrops in pulmone fiat,* dixit, *febris, & tuſſis tenet, & aceruatim reſpirat, & pedes tument, & vngues contrahuntur omnes, & patitur talia, qualia is qui ſuppuratus ſit ſed debilius, ac dinturnius, & ſi quid infundas aut fomentum, aut ſuffitum adhibeas pus non ſequitur, atque ex hoc ſanè cognoueris non pus, ſed aquam intus eſſe, & ſi multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaueris, ebullit intrinſecus velut acetum, & hæc quidem aliquandiù patitur, poſteà erumpit, et ſtatim quidem ſanus eſſe ſibi videtur, ac à morbo liberatus, verum progreſſu temporis aluus incenditur, eademque illa patitur, et adhuc amplius:* quę quidem omnia ſymptomata rependens *Petrus Salius lib. de affect. particul. cap* 5. dixit difficultatem anhelitus in his promanare ob vias ſpiritus à plurima materia detentas, & propter diaphragma ab eadem compreſſum, & grauatum, ità vt hinc ægri ſuffocari continuò videantur, & quietem raro inueniant, vnde etiam & grauitas illa thoracis.

Sicca tuſſis pendet ex eo quia natura non poteſt nec materiam concoquere, nec eam ob ipſius tenuitatem extra ducere, vnde tranſcurrens per pectoris ſpacioſitatem ſonitum illum ſeu fragorem edit; ſic *Iacot. 1 comment. Coac.* dixit hunc affectum eſſe ſuppurationi affinem, in quo magna thoracis capacitas, ſeroſo humore, ac tenui ſcater, qui aut è cerebro per aſperam arteriam, & pulmones tenuitate ſua affatim ruit, aut è reliquo corpore, aut etiam ex abdominis capacitate in hydropicis cæcis ductibus eò penetrauit; tum enim ſuppurationis ſigna, atque ſymptomata inſunt, niſi quod neque febris affligit, aut non adeo acuta, neque ſuppurationis efficientes cauſę, vt rupta vomica, venæ eroſio, acris deſtillatio, neque ſigna antecedentia vt purulentum ſputum, aut cruentum præceſſerunt; cui quoque affectioni lypothimias eſſe ſuccedaneas dixit idem auctor regurgiante ad partes vitalis feroſitate nimia, ſic *Cardanus de cauſ ſign ac. loc. morb. par. 3.* dicit hoc accidiſſe Ioanni Baptiſtæ Ramundino Trapezitæ viro ſexagenario, qui maximam in pulſu inæqualitatem, & difficultatem habens ſpirandi derepentè obijt; diſſecto, pulmo aqua plenus, ac thorax inuenti ſunt; ſic *Franciſcus Michin. Holler. Coiter. Iacot. Marcell. Donatus, Iacobus cethaus Grato,* & alii, qui multos annumerant pulmonum hydrope laborantes, qui diſſecti magnam habuerunt aquæ vbertatem in pectore; vt proindè haudquaquam mirandum me dicere in noſtro ægrotante poſſe adeſſe huiuſmodi ſeroſitatum copiam, ortam ſanè & à cerebro nec non etiam & ab ipſo pulmone, vt à reliquo corpore, à cerebro quidem, quia vt aiebat *Senex: Cum à cerebro fluxio fuerit retrò ad vertebras, & in carnes hydrops fit;* poteſt enim tanta ſeroſi humoris in pulmones vbertas confluere, vt vel ſaltim hydropem pulmonis poſſit accerſere, quam materiam recipere ait pulmonem, quia ſit frigida dyſcraſia intemperatus, cuius ratione imbecillitatem contraxerit, nec non etiam & aptitudinem

dinem

dinem ad producendas huiusmodi ichorositates, non enim est absonum asserere quamlibet partem posse congerere in tertia coctione excrementum serosum potissimum ob incoctionem, & απεψιαν idque in assimilationes nam ad hoc vt fiat bona assimilatio necesse est vt adsit obiectum proportionatum, alimentum nempè, & vt pars nutrienda valeat in alterando; sic non ne videmus in hydrocephalo adesse maximam serosæ humiditatis copiam, vnde nam potuit produci nisi à capite nequeunte assimilare sibi alimentum.

Certè non denego ab hepate vt plurimum consurgere huiusmodi affectus, progenitis multis serositatibus, atque indè aut cum ipso sanguine ad pulmonem mitti, aut abdominis cauitate cæcis ductibus in thoracem penetrare, vel vt ait *Sennert.* potest id contingere dum humor vaporis specie in cauitatem thoracis penetrat, ibique rursus condensatur, quod facile fieri posse ait, cum membrana thoracem intus succingens satis densa sit; verum quid impedit vt aiebat *Hipp.* naturam inuenire sibi vias, quas Medicus reperire non potest? non proinde affirmo nunquam posse vel à pulmone, vel cerebro, vel alijs partibus produci, nam in vniuersali hydrope necessariam puto hepatis ευαγωγιν diminutam, quamuis id nec semper sit verum, at verò in particulari non est necessarium; potest enim illa pars serositatis aggregare multiplicem humiditatem, inibique retinere, sicque facere morbum hydropificum, vt in nostro casu contingit, pulmo enim ab immanissima, & diuturnissima destillatio ne adeò potuit labefactari, ut arripuerit occasionem producendi tales serositates, addita etiam nimię aquæ potione, quæ ex sui natura potest hydropem, & potissimum pulmonum accersere; sicque meritò dixit *Hipp. lib. de inter. affect. text.* 15. *Aqua inter cutem ex his fit, quum æstatis tempore siti vexatus aquam multam biberis, & pulmo expletus fuerit, rursus ad pectora dimittit, & cum in pectoribus fuerit calorem vehementem exhibet, vt pinguedo quæ in arteriis inest colliquescat, & si semel liquari pinguedo inceperit, multò amplius breui tempore aquam inter cutem facit*; frigida enim qualis nix & glacies dixerat *Hipp. in aphor.* pectori inimica; quare censendum ex vna aquæ potione morbum hunc fuisse progenitum, refrigeratis vndequaque pulmonibus, qui è sui natura frigidi existunt; sic etiam dixit *Auicen.* aquæ frigidę potum in Ieiunio calorem extinguere, quod forsan habuit ab *Arist. dicente* 3. *sect. probl.* calorem extingui vel marcore aut extinctu, vel à contrariis, vel tandem frigidæ potu: ideoque *Gal.* dixit aquę vitia pendere ex eius frigiditate mora, cuius culpa moratur in precordijs diutissimè, & fluctuationes excitat, & ventriculi robur resoluit, adeò vt deterius proinde concoquat; quamobrem haud mirandum sic pulmones posse generare hydropem primario vt ait *Senner.* suimet vitio, dum is frigidus est, & debilis, & alimentum suum non bene concoquit, vt superius dixi, sed in aquosum humorem mutat; quare difficillimus ob id redditur morbus facta viscerum ατονια, nam quamuis vt ait Hippoc. non rarò morbus solutus esse videatur, tamen regenita denuò materia reuiuiscit morbus, atque non rarò derepente hominem perimit eodem à nimia serositatum colluuie suffocato; ideoque ad præueniendum hoc discrimen à curatione non desistendum, quæ vt ait *Salius* duplicem nobis obiectat indicationem primò euacuandi, ac diuertendi materiam genitam, secundò prohibendi ne generetur: quoad euacuationem, quia hic humor coctionem seu πεπασμον explodit, & humor de sui

natu-

natura est fluxilis propt. vel nulla visa coctione humor est euacuandus; ideòque ab initio mannam eligerem, quæ vt notat *Martianus* serositates in pectore stagnantes exturbat, ac subinde ad syrup. accederem de eupat. de f. borrag. & mel ros. simpl. vt hoc multis diebus de mane assumpto, possimus ad purgationem deuenire, pro qua instituenda *Petrus Salius* commendat succum elaterij, & radicum sambuci, hic ad vnc. 1. s. ille ad quatuor grana ad summum; *Sennert.* præ reliquis comprobat rad. mechoac. rad. scialappę, gummi gotta, succum rad ireos, & Eaterium ad grana tria exhibitum; quare ego vt liberè fatear vterer rad. mechoac. & scialappæ ad drach. 1. & semis pro singulis, neque enim reor vnam sufficere purgationem, sed esse pluries iterandam; quod si hæ euacuationes non sat erunt, optimum erit ad insensiles euacuationes transire, atque ita ad decoctum chinæ accederem addita salsæ portione, cum aliqua quantitate ligni saxafras ad restituendum visceribus tonum, addendo in fine ebullit. rad. enulæ camp. tussilaginem, scabiosam, liquir. & alia appropriata. De sanguinis missione haud loquendum, cum nullo pacto videatur conuenire tum ob frigidos humores, tum ob viscerum atoniam; Interim ad duas inustiones cruribus affigendas deuenirem, vt scil. continuò materia indè euacuaretur, pro qua pariter præstanda indicatione dyuretica inter cætera alia medicamenta probantur à *Sennerto*; quinimò refert Cæsarem Maximilianum II. plurimum commodi sensisse ex dyureticorum vsu, subditque *Ioannes Crato* eundem suffocatum esse, cum motus ille materiæ fuerit impeditus; quare his pręstitis ad materiæ generationem prohibendam animus est reuoluendus, ideoque tabulas commendarem ex sp. arom. ros. diarhod. Abb. Diacurcumæ. Dialaccæ, trochism. cyphoid. addita cons. ros. vet. & sacch. q. s. quas sumendas vellem multorum dierum spatio; quod tamen præ omnibus commendarem ad pulmones exsiccandos, & corroborandos vsus esse posset florum sulphuris cum cons. ros. & florum anthos addita sacchari portione pro conficiendis tabulis sumendis quotidie de mane; nec inutilem esse putarim syruppum ex Nicotiana; interim videndum quomodo se habeat æger, vt consilium possimus capere in arena: quod tamen in hoc casu videtur esse obseruandum est victus ratio; ideòque dixerat *Salius*: Hi parcè viuant, cibariis vtantur exsiccantibus, merum & in minima quantitate bibant, quantum possint non tamen vltrà vires exerceantur, loca ab omni humiditate immunia habitent, in aereque sicciori omnia his opposita vitantes degant: hæcque pro tempore sint satis.

PRO REVERENDO DOMINO IOANne *Antonio Benedicto à Guelfalione Aquilæ Vicario generali. V. I. D. meoque germano charissimo leuium arteriarum affectu, & pulmonum hydrope laborante.*

CONSVLTATIO XXXXIII.

NOn immeritò diuinus *Plato* cerebrum diuinissimum appellauit membrum, nec solum præcipuum, sed etiam totum in corpore, nam vel retinen-

tinendo dolores gignit, vel transmittendo fluxionem parat, indeque millia milliũ accersit pathemata, cum dicente *Gal. 6. de sanitate Tuend.* illud intemperatæ sit adeò naturæ, vt multa excrementa gignat, vnde lædi subiecta membra contingat, in quodcunque excrementa procubuerint; vel enim ex eodem in ventriculum, & gulam fluxio fertur, easdemue partes in frigidam adigit dyscrasiam, sicque & *ἀπεψίας*, & incoctionis est caussa, è qua omnes morbi prosiliunt, quare his partibus oblæsis nil mirum si ad inuicem morbos faciant, vt enim aiebat *Gal.* particulæ altera ab altera nutrimentum trahunt, sic altera in altera quod superuacuum est à se pellit; caput enim cum pituita exuberet ex *Gal. lib. de nat. & ordin. cuiuslibet corp.* & sedes sit frigidi, & glutinosi ex *Hippoc.* haud miror si dum plusquam par est eadem scatet fluxiones paret, destillationes gignat; cum illæ ex plenitudine prosurgant; A cerebralium namque (aiebat *Commentator lib. de loc. in hom.*) imbrium penetrabili madore labefactatę, quæ subiacent partes innumeris pœnè morbis redduntur obnoxiæ, est siquidem fluxio quoddam repleti capitis symptoma, genitum à facultate, vel læsa in alterando, vel ad recipiendas materias ab aliis partibus ob imbecillitatem impulsa, vel dolore, vel calore trahente, sicque læsa alteratrice ydiopaticè materiæ multæ progignuntur, facultate quod sibi debetur assimilare nequeunte, quæ quidem materiæ vel à capite genitæ, vel aliundè receptæ qualitate, vel quantitate eidem infensæ proritationem ciendo fluxioni ansam præbent, sicque deorsum tendentes eò irruunt, quò maior est aptitudo in suscipiendo, & vbi maxima est synthimoria; quod intuens *Duretus* dixit: *Capitis, & pulmonum facilis est sinthimoria, per quam mutuas tradunt operas in eorum perniciem*: quod confirmans *Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss.* ad fluxiones recipiendas dixit aptissimum esse pulmonem; sic *Hippocrat. lib. de vet. Medic. tex. 39. & 40.* dixit: *Spongiformes partes, & molles, velut lien, pulmo, mamma vbi admotæ maximè fuerint, & adhæserint, ebibunt, duraque fiunt, atque augescunt humore accedente maximè pulmo*: quare haud miror meum germanum multis ab hinc annis fluxione molestatũ (vel ob malam viuendi normam, vel quia se se, & soli, & frigori non semel exposuerit, vel ob animi pathemata caput concalfacere valentia, vel ob Iecoris feruorem olim cutis efflorescentiam excitantem, vel ob aliud caput intemperans, vnaque idoneum ad generanda humida excrementa), eandem in pectus corriuando tussim fecerit humidam, multas materias easque crassas excreando; quę in dies adolescens, varia quoque symptomata sibi fecit consocialia; modò enim anhelitus difficultas insurgebat pulmonibus eadem materia oppletis, modò macies videbatur eadem fluxione in venas irruente, sicque sanguinem labefactante, modò quædam febriculæ nascebantur eadem materia vel deprauato pulmonum motum accensa, vel obstructionem sibi parante: quæ quidẽ fluxio quamuis non rarò delituerit vel capite reddito temperatiori, vel euacuata materia fluxionem excitante, vel exsiccata decoctis ex china, salsa, & aliis ad huc tamen in dies vires assumebat, vel minimo quidem patrato errore, quinimò noctu adeo eadem premebatur, vt somnificam quietem interciperet, vbi enim validæ sunt viscerum *δυσκρασίαι* perennis fit humorũ prouentus, qui vel in eandem semper partem illabentes vel illam in eandẽ intemperiem adigunt, vt dixerat *Gal.* sicque somnum intercidunt, ad quẽ tria requiri scimus, temperiem nempè, obiectum proportionatum, men-

tisque tandem tranquillitatem; vel iidem humores adeò reddunt debilem partem & imbecillam, vt ex recipiente fit generans, ex valida flaccida emergat substantia, & potissimum pulmo qui è sui natura flaccidus existens, & spongiformis è fluxionis copia magis conflaccescit; quo quidem patiente putarim & anhelitus difficultatem emergere, & pulsus inæqualitatem systematicam, seu collectiuam, vnaque continuam; Anhelitus enim illa difficultas, quam vis citrà tussim contingat, non ob id pulmones excludit, idque vel vt vult Zecch. in suis consil. ob equalem intemperiem tristem sensum non inducentem; vel secundum Gal. quia materia per parietes arteriæ: sic Hippocrat. lib. de corde tex. 3. ait: *sed quomodo aqua aceruatim irruens turbationem, ac tussim multam exhibent; propt. inquam quod contra respirationem fertur, quod enim per rimam illabitur, tanquam iuxtà parietem delabens aeris elationi non instat, sed leuem ac lubricam quandam viam humectatio ipsi præbet*: vel ex *Sennert.* quia materia in parenchymate pulmonis existat, non autem bronchiis vt probat ex Holler; vel quia in leuibus arteriis existat obstructio, quæ cum maior est, asperas arterias comprimendo tussim cit, quam quidem censerem in nostro cau facessere negotium, tum ob anhelitus difficultatem aliquando sine tussi, tum ob pulsus miram illam inequalitatem; quæ non vniformis existens materiæ potius infarctum indicat, eiusque liquidę, quam tuberculum, vel aliud, quod vniformem magis facit inequalitatem, vt vult *Petrus Sal. lib. de mor. particul. cap.* 21. idue quia magis in hæret, & est caussa magis fixa: Non mirandum ergo dum pulsum adeo diuersum intuemur, siquidem prout humor obstruens, vel in hanc, vel in illam partem magis impinget, ità vel maiorem, vel minorem efficiet inequalitatem; hinc quoque notat *Zacutus lib.* 2. *hist.* 12 *p.* 121. respirandi difficultatem à crassis humoribus ortam non esse perpetuo vniformem, sed modo remissiorem, modò intensiorem, à tuberculo vero semper æqualem, hacque vltima affectione laborasse Antipatrum à *Gal.* relatum probat *Holler. lib. pr. de morb. inter capit.* 30. cuius opinionis est etiam *Zacutus loco cit.* quamuis *Carrerius disput.* 42. *cap.* 4. contrarium sustineat, quem probabiliora dicere putandum, ni tuberculi nomine aqueam materiam læuibus arteriis contentam intelligere velimus; sicque *Hipp.* vocat aqueum tuberculum; quicquid tamen sit, cum huiusmodi partes spiritales, pulmonis inquam sint imbecillimæ, & ad suscipiendum aptissime ob raritatem, quinimo eæ è partes dum diù receperunt, quasi ατωνιαν sortitæ alimentum alterare nequeuntes aggenerant pariter excrementa, sicque sibi vel excrementorum itinera præcludere valent vt aiebat *Salius in p. comm. de morb.* vel arterias occludere tum asperas, tum lenes, immò eædem materiæ vlteriorem sibi viā parantes, ac simul hypocondria petentes in illis obstructiones peregerunt, vt ex manifesto innotescit meteorismo, ortæ sane non ab alio humore, quam pituiteo, & vsto, hoc à feruidiore hepate congenito, illo à cerebro, & ventriculo; quæ sunt subinde potissimæ caussæ, & εμπατωσις læsæ, vnaque εναπωσις. non ob id tamen crediderim ex hepate obstructo, vnaque diaphragma comprimente tantum modo difficilem illum emergere anhelitū, siquidem id fieret dum ascendit dum supinus recumbit, sed ex læso pulmone velà serosa materia, vel crassa, vel à tuberculo illoque aqueo, cuius meminit doctiss. *Petrus Salius comm. p de morb. p.* 117. aiens: De tuberculis autem ab aquosa materia pendentibus meminit *Hippoc. liber. de inter. aff.*

dum

dum tradens quot modis hydrops generetur hæc habet: *Fit etiam si tubercula in pulmone fuerint enata, & aqua repleta, & in pectore rupta, quod autem fiat etiam à tuberculis aqua inter cutem testimonium habeo in boue, & in cane, & in sue, in his enim quadrupedibus maximè fiunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent, si enim dissecueris, citissime cognosces, fluet enim aqua hæc Hip.* ideoque si pulmonum hanc obstructionem velimus aqueum tuberculum nuncupare, non est absonum, non enim potest esse materia dura, & impacta, siquidem cũ illa continuo comprimat, & vias coarctet, necessaria deberet esse anhelitus difficulas, eaque continua, quæ cum non rarò delitescat potius ad aqueam materiam, vel liquidam pituitam id redigendum esse putaui, quam pulmonis hydropem configurare potuisse vtique vereor; multa enim sunt quæ id possunt attestari, vt sonitus olim in thorace, dum enim humo se se inclinabat, quendam veluti fragorem percipiebat, non alia ratione, nisi quia vberrima materia per thoracis spaciositatem dimota sonitum illum edebat; præt. grauitas adest thoracis ob eandem materiæ copiam, difficultas anhelitus vt aiebat *Salius lib de aff. particul.* ob vias spiritus à plurima materia detentas, & propter diaphragma ab eadem compressum, & grauatum, ità vt ægri continnò ferè suffocari videantur, addit idem Salius in hoc morbo quoque pedum, ac palpebrarum tumorem connecti, non tanquam proprium huius morbi signum, sed tanquam humoris aquei abundantię inditium; qui sanè humor quamuis *Salius* existimet ab hepate progenitus, & ad pulmones protrusus, ego crediderim ex solo pulmone huiusmodi materiam posse produci, eo quia quælibet pars dum est intemperata cum nequeat quod sibi est simile assimilare in tertia coctione, indè est vt multa procreetur tenuis, aquea, & serosa humiditas, sicque *Hip.* cernimus hydropem dicere absque hepatis vitio fieri, quod *lib. 3.* etiam probat *Sennert.* sic *Holler. in Coac.* aiebat: *quomodo enim in ventre, sic in thorace aqua colligitur;* neque ob id negarem in nostro casu hepar in consensum pariter trahi, adest namque materiæ insarctum, calore pręternaturali refertur, & ex consequenti habile aqueas humiditates gignere, verum prothopaticus, hydiopaticusque affectus in pectore existit: neque obstat adesse pedum tumorem, eumque potius Iecur agnoscere affectum, quam aliter, siquidem hydrops pulmonis nonunquam hoc habet proprium, indeque *Holler. lib. 5. Coac sect. 2.* hæc habet: *In hominibus aliquoties vidimus, quibus videbatur aqua contineri ventri mortuis, & apertis in solo thorace largissima aqua diffluxit alteri sanies cruenta, his pulmo tabidus, & siccitate contractus, cuidam etiam altera parte corruptus, vndè multa sanies contenta in thorace inuenta*, hæc *Holler.* neque enim ex eo quia asseuero esse hydropem pulmonis existimo in thoracis cauitate, aquam non spatiari, siquidem vt ait *Senner. lib. 2. par. 2 cap. 9.* pulmo vix solus hydropem patitur, sed hydrops pulmonis, & thoracis ferè concurrunt, sicque non miror si orthopnęa non rarò innascatur, si thoracis sonitus, si faciei pallor, si macies, si pedum tumor; si orthopnæam indeque aiebat *Lacot. loco supr. cit.* se multos vidisse huiusmodi hydropicos mortuos cum orthopnæa, occupato enim diaphragmate vt ait à ventris mole, & bronchiis pulmonis tum plenis, tum coangustatis à circumfuso quodam sero flauo orthopnæa superuenit cum suffocatione; est autem morbus siccus quia nihil tussi eiicitur, nisi quod in fauces è cerebro descendit, propterèaque cum hæc omnia vberrimam sane materiam attestentur, quam

primum eidem sunt adhibenda præsidia, ne præstita epigenesi suffocetur æger; est enim hic morbus sat arduus, atque difficilis, indicatur enim vt ait *Salius loc. cit.* summa primigenij caloris imbeccillitas, & virtus naturalis satis languida, vnde viscera omnia læsionem subeunt, quarum omnium rationum caussa vix præseruari queunt, omnes enim in hydropem procliues existunt, quem vbi adepti fuerint, vix aut nunquam sanescunt, ideoque cum *Hippocrat.* priusquam aqua succrescat, pharmaca bibenda danda à quibus aqua, & pituita purgetur, inter quæ radix est mechoac. scialappę, succus sambuci, & ebulorum, elaterium tantoperè à *Zecchio* comprobatum; pillulæ de euphorbio, de mezereon, elephanginæ, puluis soldanellæ, & similia: De rhabarbaro non mediocriter ambigit doctiss. *Senner.* siquidem *Alex. Massaria* rhabarbari vsum in hydrope improbat, ideò quod *Gal.* scribat *lib. de purg. medic. fac. cap. 2.* medicamenta, quæ flauam & nigram bilem purgant dare in hydropicis inutile esse, vnde cum rhabarbarum bilem euacuet, non videtur conuenire, quæ aquosum humorem quodammodo coercet; Huius opinionis fuit etiam *Septallius lib. 7. animad. num.* 54. easdem ob caussas; *Guilielmus Placentinus cap.* 120. hæc habet: *Indubitanter credat omnis homo, quod solum cum exhibitione drach. 2. rhabarb. pulueriZati, & cribellati, exhibiti in aurora mixti cum vnc. 2. oxym compos. vel vnc. 4. aqu. lactucæ, scariolæ, & radic. fænic. multos curauimus. Senner.* tamen sic hanc quęstionem decidit; si enim hydrops à bile originem ducat, quæ per venas myseraicas, ipsumque hepar dispersa calorem natiuum viscerum corrumpit, & sępæ etiamsi sit crassior pertinaces obstructiones parit, immò in calculos quandoque degenerat, tunc vult exhibendum esse rhabarbarum.

Ego autem putarim tunc posse illud iniungi, cum videl. morbus ab obstructionibus pendet, vel à viscerum nimio calore nimiam bilem gignente, cum enim hydrops ex simplici viscerum ατωνια seu dissolutione, vel frigida δισκρασια pronascitur, tunc non absque ægrotantium dispendio rhabarbarum imperatur; quod agnoscens *Hippoc.* dixit: *Bilem verò ne moueto:* cęterum vt ingenuè fatear ego darem syr. ros. solut. mel. ros. sol. D. Aug. ratione tum pituitæ, tum melancholici humoris, adderem ad deobstruendum rhab. & agar. ambo infusa in aq. capil. Veneris, cum decocto cord. in quo ferbuerint drac. 2. rad. mechoacæ. Neque ad purgationem faciendam requiri censeo præparantia, tenues enim (vt ait *Manardus*, & alii innumeri) sunt humores, & propt. expulsioni idonei, quod si ratione crassorum humorum obstructiones agentium præparantibus vti velimus, poterunt dari syr. de eupat. de f. borrag. mel ros. simplex: neque enim putarim vnicam euacuationem sat esse, vbi enim αντιπραξια præsto adest aqueę materiæ aliorumque humorum vbertas; proindèque per epycrasim purgandum, vel rad. mechoac. vel manna, vel similibus ut puta pillulis elephanginis &c. neque enim putandum simpliciter sanare emissum humorem, sed curationi locum facere, ut dixit elegantiss. *Celsus*, propterea que ad debellandas obstructiones tum pectoris, tum partium hypocondriacarum deuenirem, vt subindè & partium roborationi possemus incumbere, & earundem alterationi, pro quo explendo scopo quam maximè probarem ius galli veteris illud enim omnes videtur indicationes explere, quamuis Septall. contrarium intendat, sed videatur Senner. nam illum optimè reijcit, illud ergo pręscribere tali pacto.

℞ qua-

℞.quatuor rad.aper.liquir.rasæ cort.rad.capparum an.vnc.1.capill.Ven.cetrach.graminis an p.ſ.hyſſopi.praſſij ſcabioſæ an.p.1.ſulphuris puriſs. drac.1.ſ.ammoniaci drac.1.agrimon.vnc.ſ.aniſ.fœnic.an.drac.1.borrag.meliſſæ, bugloſſę an.p.1.quod ſi ad aſſumendas aqueas humiditates addere velimus chinę rad.portionem vna cum ſandalis non erit abſonum; quinimò in eodem iure extingui poterit chalybs præparatus, vt melius obſtructiones reſerentur; quod ſi chalybs ſtillatitius propinaretur non malus exiſteret; ſic quoque his præſtitis poterunt vel ſyr.magiſtrales iniungi, qui alternis diebus ſumantur, conflati cum rebus purgantibus, vnaque aperientibus, ſic enim in dies euacuatur materia, quæ in dies congeritur, poſſunt commendari tabulæ ex ſpeciebus appropriatis ad roborandas partes, & diſſoluendos flatus; Nec interim fluxionis obliuiſci ſanè debemus, quæ ut primus morbus primo tolli debet,& quamuis illa euacuationem amet particularem,quia pluries pręſtita nil dico,de interceptionibus varijs quoque celebratis etiam taceo,ſolas auerſiones non omittens; pro quibus duas amarem inuſtiones in bracchio ſiniſtro vnam,alteram in dextro crure, non ignoro in occipite meliorem exiſtere inuſtionem vt puta parti affectę propinquiorem, ſed quoniam eandem renuit æger illam pariter miſſam facio; ſcio etiam à doctiſs.*Saxonia* probari quoque inuſtionem in thorace, ſcil.in thoracis medio,ſubditque. Videbitur fortè immanis operatio,ſed quid dicetis ſi *Aetium* legatis, qui hoc caſu octo facit inuſtiones, quas tamen ego minimè probo, maiorem enim poſſunt humorum facere attractionem, quam ſit euacuatio quæ ab illis inuſtionibus reſultat; propt.non debemus eſſe immemores materiæ in pectus illapſæ, quæ cum obſtruat aſperas non rarò,& leues arterias,maxima cura incedendum eſt,vt illas aperiamus tum eclegmatibus, tum therebintina à me millies in affectibus pectoris comprobata, quod ſi ſulphur etiam addamus animam pulmonis vt ait Sennert. non erit abſonum; ſic quoque pro incidenda materia in pectore oxymel vel ſimpl.vel compoſitum commendandum eſt præt.*Archigenes*, qui in affectibus ortopnoicis impensè laudat vſum millepedum, ſeu aſellorum, & ipſos exſiccat,exſiccatos cum melle excipit, & exhibet; à quo etiam accepit *Aet.Anton.Valet.in exercit.6.ad Holler.*qui ſcribit ſe à Græco quodam accepiſſe familiare eſſe hoc medicamentum in Græcia, ſubdit *Saxonia*: *Habent huiuſmodi animalia vt vult Gal.attenuatoriam,& diſcuſſoriam vim*; quod mihi ſatis arridet, eſt ſumere electuarium quod ab eodem *Saxonia* proponitur & eſt ſequens,quod ſumi poterit per quinque dies continuos ad vnc.ſ. ter in die naturalis,tribus ſcil.horis antè prandium duabus horis ante cænam, & ſex poſt cænam vt ℞.penid.vnc.3 mannæ el.vnc.2.ol.amygdal. dulc. rec. vnc.1. florum caſſiæ n.extr.vnc.ſ.pulm.vulp.præp.drac.2. ducantur in mort.f.elec. quod ſi velimus addere ſulphuris tantillum vt ſuperius dixi non erit malum,nam quamuis illud præfatus *Saxonia* inter grauiora remedia reponat, poterit tamen liberè dari aut viuum aut lotum cum aqu.farfaræ, quinimò *Auic.*illud præbet cum ouo ſorbili, aut cum melle; eſt quoque compoſitio in officinis Diaſulphur vocata, cuius datur vnc.ſ.flos ſulphuris eſt adhuc multo fortior datur ſcrup.1. in conſ.florum malu.& in therebintina perucida, *Auicen.*etiam exhibet arſenicum per os quod tamen vt cauſticum improbat *Saxon.*ego tamen vt ingenuè fatear à ſulphure non horrerem. Saccharum præt.roſaceum miris laudibus tollitur ab *Auic.*ſic Diacod.cum bo-

lo ar-

lo armena optimum erit, quemadmodum & ad intercipiendam, vnàque incrassandam fluxionem non absonum erit pillulas bechic. iniungere, vel alia fluxionem sistentia; hæc tamen quęcunque sint nullũ iuuamen allatura crediderim, ni compar victus ratio adiungatur, & potissimum circa potionem, quæ cum exuberent nimię humiditates vel nulla conuenit, vel saltem satis exigua. de inunctionibus, cataplasm. & alijs nil dico cum innumera peregerit: Hęc potui dicere circa morbum quo premitur meus germanus, vestræ sunt partes vt quid sit agendum dijudicetis.

PRO IVVENE PRATVLANO *Hemophtoide laborante vndque Empyemate ad Dominum Iosephum Lucchittum Medicum Populensem.*

CONSVLTATIO XXXXIV.

Dolor (quem scribis Iuuenem de quo agimus habuisse) nulli dubium est pleuritius extitit, vt benè mecum asseueras (vir doctiss.) eoque magis tactus consocialis anhelitus difficultati, febri, tussi, &c. nequet enim conditio eandem adulterinam fecit pleuritidem, cum *Hip.* 4. *de morb.* biliosæ, pituitosę, atque sanguineæ memoriam recolens, omnes vt genuinas, verasque nobis annumerat; quę quidem pleuritis cum non benè fuerit repurgata per ἀνακαθαρσιν tandem abijt in empyema; sic *Hip.* 5. *aphor.* 8. dixit *quicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad suppurationem vertuntur* indeque dixerat *Hipp. lib. de loc. in hom. itext.* 26. *Funt etiam suppurationes cum minùs excreant, quam influit in pulmonem, hoc enim quod in pulmone consistit, & quod influit pus fit*: quod contigisse in nostro casu credendum vel ob materiæ cruditatem, vel eiusdem tenuitatem, vel crassitiem, vel vlteriorem coctionem, qua ratione dixit *Senex. in Coacis.* in anginis esse mala sputa concocta, non alia ratione vt vult *Duretus in comm.* quam ob nimiam crassitiem, quam inuehit coctio; quare cum hæc materia primarium morbum faciens nimirum pleuritidem non fuerit repurgata in pus abijt; ob idque *Hip.* 1. *de morb.* dixit: *quicunque pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt, si peripnepmonia correptus in iudicatorijs dieb us non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum, ac pituita suppuratus fit*; quamuis inter Neotericos sint qui omnino denegent ex pituita alicubi stagnante pus enasci, cum illud tãtũmodo ex contusa carne, vel sanguine emergere assuescat, vndè iã patet necessum esse vel in sanguinẽ prius commigrare, vel in abscessu colligi; Alij verò pituitam in prędictis partibus facillimè in pus conuerti posse pronunciant, absque alia ipsius alteratione; cum hoc tamen affirmare vidẽtur nonunquam huiusmodi pus gradus perfectionem posse nancisci, quod probari potest ex *Hip.* 3. *de mor tex.* 16. vbi ait: *fit et suppuratus si pituita è capite in pulmonem destillet, & primum quidem latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputum paulò amarius solito, & tenuis aliquando adest calor, & non adurens*: & paulò inferius inquit: *Pus crassum ab accessoria, & intus putrescente pituita*; sic *Claudinus in his consult.* dixit pus à pituita pręstitum esse

esse improprie pus, quod potius mixtum purulentum dici meretur ad differentiam paris vere quod in abscessibus gignitur, sic *Nicolaus Piso cap. de empyem* dixit impropriè dici pituitosum humorem suppurari, sed illud euinci verum esse, concoqui, & non verè in pus conuerti, subditque infer: *Pus propriè fit carne contusa, vel ex precedenti phlegmone non discussa, vel tuberculo in pus transmutato*; vndè putat ex confluxu à capite ad thoracis partes decumbente phlegmonem prius generari, & ex ea fieri suppurationem; *Franciscus Perla in comm. lib. de loc. in hom.* dixit superuacanea cerebri excrementa descendentia, inque pulmonum cauitatibus collecta à naturali, præternaturalique calore in pus immutari, absque eo quod in substantia porositatibus infarcta phlegmonosum tumorem prius procreauerint; quicquid tamen sit parum refert hic asserere an verum pus fiat ex pituita, an veró ex sanguine inflammato, puto enim destillationem nostri languentis fuisse in pus siue illud fuerit legitimum, siue illegitimum parum refert, nam in nostro languente nedum ex destillatione, sed ex præexistente tumore pus legitimum fuit productum, illudque genitum à duplici calore, naturali nempè, & præter naturam, cum pus partim sit coctio partim putredo indeque *Piso* & alij dixere puris generationem fieri ab alteratione, quæ media est inter eam, quæ est secundum naturam, & eam quæ præter naturam existit; quæ quidem puris vbertas empyema in nostro languente progenuit, vt patet ex pectoris sensu grauatiuo, ex sonitu, seu fluctuatione, quod ex *Hippoc.* etiam colligere licet, is enim *lib de morb*, dixit: *Cæterum superiori ventre suppurati multipliciter fluũt, nam cum pituita de capite copiosa, & aceruatim in superiorem ventrem fluxerit, putrescit, & in pus vertitur in viginti diebus, & intus fluctuat & concutitur ad latera allabens*; quamuis non ignorem *Fernellium* dixisse in senibus præsertim pituitosis empyema quoddam ex suppurato in pulmonibus phlegmate colligi, empyematis specie Medicos, sæpe deludens, ex quibus colligitur nostrum languentem vero empyemate lacessiri, tum ex pleuritide non purgata orto, tum ex capitis destillatione, ea namque lateri agglutinata vnàque putrefacta latus vt plurimum inflammatur vt vult etiam *Hippocr.* et patitur eadem quæ ex pleuritide; Ex quibus nil miror si febres superaccesserint, nam dum pus conficitur dolores ac febres; febris enim illa ex maiori naturæ pugna à morbifica caussa illata pronata est, quinimò & à maiori etiam molestia à maxima plenitudine tributa, quæ forsan suppurationis tempore vigebat, sic quoque dolor ille dum pus conficitur in materiæ extensionem, eundemque rarefactionem reijciendus, ab efferuescentia eo tempore maiori preter naturam caumate vigente pronatam, tunc enim efferuescente calore materia maiorem subit rarefactionem, qua cum magis pars extendatur indè est vt dolor maior insurgat ni id velimus refundere in puris acredinem membranas vellicantem, qua etiam acredine putarim posse vas exedi, atque inde diæresim fieri, & sanguinis expuitionem produci; sed vt libere fatear id potius ad anastomosim redigerem atque ad vasis impotentiam, cum æger sit maximè plethoricus, sanguis affatim promanet, floridus, cum tussi, & in aliqua copia, illum tamen, & à pectore manare non ambigerem, quod patet ex tussi, & ex sanguine florido, sed etiam à vasis minoribus, cum non adeò copiosus sanguis emanet, & per diutina temporis intersticia, & quamuis tussis indubium videatur sanguinis à pectore manantis omẽ vt voluerunt *Auenr.* & *Auicen.* eadem tamen nos non raró decipit, vt patet

ex

ex *Gal.4.de loc.aff.* & tunc potissimum cum è cerebro confertim, & multus in fauces, ac pectoris interiores partes irruens protinus tussim promouet, hoc tamen internoscere valemus, quia dum sanguis à capite fluit maior ab initio tussis innascitur, tuncque potissimum, cum videlicet asperę arterię transitum tentat, quare maius signum esse videtur in sanguine spuma, vt propt. dixerit *Galen.4.de loc.affect.* eandem esse indubium thoracis affecti signum, quamuis neque id sit verum, cum non rarò è vasis sanguis promanans nullam habeat spumam, sed quando è substantia pulmonum, quę spuma est coagulata; neque me à venarum anostomosi arcet quia sanguis infrà triduum subsistat, nec emanet, non inquam, siquidem vena, vel Arteria crusta quadam obducitur, qua deinde aperta denuò sanguinem reijcit: hocque voluit *Senex* dum dixit *primo de morb. text.* 19. *Sepe verò his quibus aliqua venarum sauciatur à vulneribus, aut quibusdam laboribus, aut exercitiis aut alia quadam caussa, quum coaluerit, & sana esse videtur vena, alio tempore iterum rumpitur*; quare haud mirandum in nostro casu si clausa semel vena, iterum rumpatur, nam uel ob sanguinis vbertatem, vel ob motum, vel flatum, uel clamorem, uel aliam minimam caussam vena rursus diffringitur, si *Gal.* historiam narrat Sosymi Plinij liberti, qui solo clamore vlcus pulmonum reuocauit; neque ob id quod sanguinem eiecit per os, & pus, reiecit vlcus in pulmone admittendum, non inquam siquidem nec macie conficitur, nec difficultate spirandi premitur, nec tussi admodum magna, aut admodum frequenti torquetur, nec febre infestatur admodum valida, vel hecticæ speciem prę se ferentæ Præt. sputum quamuis fuerit sanguineũ & in aliqua quantitate non fuit ob id spumosum, secundum totam suam profunditatem, sed secundum superficiem, ita vt sanguis in transitu per pulmonem qui spuma est coagulata spumam conceperit, quod si spumosum nullo pacto expuatur, signum vtique est nullum esse vlcus in pulmone; hocque est quod voluit *Saxonia* quando dixit: *Sanguis multus, & spumosus vlcerati pulmonis est signum*; *Multus non spumosus vasis apertionem significat sine vlcere, cum dolore autem significat vlcus pleuræ*; sic *Gal.* 3. *comm. de humor.* scribit non omnem sanguinem ex pulmonibus exeuntem spumosum videri, sed illum tantum qui est cum vlcere pulmonis; sic *Iacobus Oethæus lib. obseru. propter* dixit se vidisse quoddam genus empyematis ex phlegmate productum, tres, aut quattuor, aut plures menses durans, ad quod tamen nulla tabis noxa subsequuta est, quod ait ex eo cognosci, quia ægri Phtysi minus sint apti, sed corpulenti, & quod corporis consumptio tabida nulla animaduertatur, quare ex his accidentibus *Aretæus* rimatus est Tabis ideam aiendo: *Nam si quis vel plebeius hominem viderit tussientem, imbecillum, macie confectum, hunc statim vera Phtoe laborare pronunciat*: quicquid tamen sit quoniam solet non rarò huiusmodi morbis in Tabem veram permeare, ac alia solet conuocare pathemata, ac non rarò magis vase reserato repentinam mortem inuehere, ideo *Aretæus* dixit; *Huius itaque vitij Medicus ad opem ferendam maturet necesse est*; & alias: *quis enim vomens sanguinem mortem non perhorrescat*, quare statim ineunda curatio, quę & empyema respiciat, & hem ophtoidem, seu sanguinis sputum; sanguis enim quatenus impetu fertur indiget reuulsione, deriuatione, reprimentibus & vias intercipientibus; empyema verò vt abstergatur materia & euacuetur, destillatio exsiccetur, & auertatur ideoque quoad sanguinis sputum summopere laudaui sanguinis missionem

nem

nem à te præstitam; nam vt aiebat *Senex* in prædict. *Hæmorragiam vena secta iuuat*; tum ratione deplendæ plethoriæ tum ratione reuulsionis, ac ob id *in epid.* dixerat *Hippoc. Venarum sanguinem sistunt animi deliquium, figura, alia interceptio, linamenti contorsio, appositio, deligatio*; vnde *Valles. in comm.* per interceptionem venæ sectionem indicare perhibuit, sic *Aretæus* in qualibet sanguinis profusione dixit venam esse secandam, nam siue ex fractura siue ex erosione profluat sectio venæ conducit, & eo magis cum simus in corpore optimi habitus, & quasi atletico, in quo sanguinem magis mittere possumus; qua ratione *Hip.* sanguinem pariter misit aiens: *Victum enim contractum esse conducit, & corpore quam maximè conquiescere, & à venere abstinere, edulijsque pinguibus & fauces exasperantibus, ac fortibus omnibus, venamque cubiti secare, & quam maxime silere*: nec mireris (vir doctiss.) me huiusmodi sectionem venæ tot auctoritatibus confirmare, ea enim in hoc casu à multis in dubium reuocatur, sed explosis ambagibus dicerem in multa sanguinis eiectione non conuenire venæ sectionem reuulsiuam, vt euacuatiuam in eadem pendente à nimia plethoria. vtraque tamen nos in nostro casu egemus, reuulsiua sanè ob sanguinem actu manantem, euacuatiuam verò ob eundem impense exsuberantem; ideoque idem *Gal.* vel in tabidis sanxit pluries esse sanguinem mittendum; hac tamen ratione vt prius æger reficiatur, mox sanguis detrahatur, & sic deinceps: qua de caussa etiam duas hyrudines venis sedis affigerem; ea *Hip.* auctoritate ductus qua dicebat *lib. de humor. ac in epid.* eos scil. qui hęmorroidas habent haud tabe premi; nec interim ab inustione in cruce desisterem, sicut illam quam gerit in occipite derelinquerem, sic enim & reuulsionem, & euacuationem moliremur; eoque magis cum alias fuerit purgatus, quam egò denuo renouarem cum simus in viro intemperato, cui præsto materiæ adsunt excrementitiæ; qua ratione *Hip. lib. de artic.* dicebat de sanguinis eiectione loquens: Præstat autem & aluum, mollire leui aliquo medicamento cibi saltem euacuādi gratia: ideoque syruppum ros. sol. ad vnc. 3. potandum darem cū portione rhab. vel thamarindorum, datis prius syr. de ros. de papau. & similibus; illud adnotando ne nimis adstringentibus incedamus empyematis ratione, quod repurgationem indicat: sic conseruam rosaceam de sero datum maximè probo, sicut eclegmata quæ mixtam habeant indicationem, & pus repurgandi, & sanguinem prohibendi; sic darem syr. viol. oxym. simplex cum portione tragacant, & si vrgebit sanguinis eiectio non alienū censerem adstringentia adhibere, nam vt ait *Zacutus* cap. de sang. sputo vrgentiori succurrendum etiam si cum noxa affectus contrarij; sic ipsè præsente tussi vtitur coagulis, theriaca, Diacurcuma cum aq. scabiosæ, aut decocto capill. ven. & si grumos in thorace adesse credamus posca etiam vtendum; sunt qui in hemophtoide adhibeant narcotica, vt requiem Nicolai, Theriacam recentem, Phylonium rom. & persicum hoc enim ex descriptione *Mesuæi cap. de sputo sang.* in compescendo sanguinis fluxum vndequaque manante est mirabile; cæterum cum hæc omia narcotica vi opii incrassandi vires obtineant, ab illis si fieri possit abstinerem, donec necessitas vrgeat, interim pro abstergenda materia in pectore, ac frænando sanguine vterer etiam ptyssana Hordeacea, sed cum hordeo torrefacto hæmophtoidis ratione, sunt qui lac probent cum *Gal.* vel Asininum, vel caprillū, licet hoc *Marcus Varro* infame vocitarit; quod tamen cum maciem non ha-

beamus derelinquerem ſicut nec eroſionem, & interim ad tollendam perennem illam deſtillationem me reuoluerem; quod commendauit pariter *Senex 3. de morb. tex. 26.* aiens: *Caput quoque reſiccato vt ne quid influat*; vnde chinæ radicem imperarem, cum portione lentiſci, & ſandal. citrin. in iure ebullitam addita in fine ebullitionis protul. plantag. meliſſa, ſcabioſa, & ſimilibus, quod ſi capiti etiam ceratum aliquod affigere velimus non erit malum; ſcio à nonullis empiemat. dyuretica commendari, quæ tamen quia virtutem habent nimis attenuandi, ſanguinem fuſiliorem reddentia, poſſunt iterum ſanguinis eiectionem procurare, cæterum Naturæ motus in his attendendus, lenibus enim dyureticis incedere bonum erit, cum ſciamus ex *Gal. Iacot.* & aliis multis purulentam materiam per venes fuiſſe repurgatam; hæcque ſint ſatis pro tempore: De victu nil dicere auſus ſum cum ſciam à te doctiſſimo viro optimè præſcribi.

PRO PERILL. DOMINO IOANNE *Franciſco de Zutijs Patritio Aquilano hæmophtoide laborante.*

CONSVLTATIO XXXXV.

NVlla eſt affectio quæ Medici maiorem diligentiam pro dignoſcenda affecta ſede prærequirat quam ſanguinis excretio per os dixit *Zacutus lib. 8. cap. 6.* cum enim tres ſint vt aiebat *Galen. Paulus Aetius* huius affectionis ſpecies, ſeu potius cauſæ eroſio, ruptio, & apertio, locum affectum agnoſcere ſatis eſt difficile: ſcio ut ait *Saxonia* & omnis Medicorum ſchola ſanguinem ſimplici expuitione excretum ex dentibus, palatoque manare, ſcreatu ex faucibus, vomitu ex ventriculo, tuſſi autem ex thorace; quamobrem cum tuſſi fuerit reiectus ſanguis noſtri languentis è thorace eundem veniſſe promulgandum, & potiſſimum è pulmonem vaſis, cum & in aliqua quantitate emanarit, & ſecundum totam ſui ſubſtantiam ſpumeſus, ſignum profecto vt vult *Capiuacc.* & *Iacot.* manifeſtum ſanguinis è pulmone manantis, ſic *Gal. 4. de loc. aff. 1.* dixit ſpumoſum ſanguinem, multum, & ſine dolore erumpentem indubium eſſe læſi pulmonis omen, ſpumoſum enim pulmonum ſubſtantiam atteſtatur cuius inducit ſimilitudinem, ideoque dixit *Hippoc. 5. aphoriſ. 13* *Quicunque ſpumoſum ſanguinem expuunt, his è pulmones eductio fit*: cum enim pulmo ait *Zacutus* veluti quædam ſpongia ſit, & non niſi ex tenui, vaporoſoque ſanguine nutriatur *6. de vſu part. 10.* eum ad ſuæ ſubſtantiæ modum aſſimilans efficit ſpumoſum, ac proindè hoc modo erumpens, pulmonem a quo egreditur indicat affectum *2. aphor. 43.* hoc autem ſignum de ſanguine ſpumoſo dixit *Iacchinus* & *Rhaſi.* & *Auic.* ſatisfeciſſe, ſed ſignum eſſe inefficax, ſic ait ſe ſæpius vidiſſe ſanguinem è faucibus & capite manantem ſpumeum extitiſſe; tamen ipſemet *Iacchinus* efficax eſſe ſignum ait, ſi ex ſpuma de pulmone arguamus, ſed non negatiue, quoniam à vaſis pulmonis ſpumeus non educitur; ſic *Hipp. 5. aphor. 13.* dixit: *qui ſpumoſum expuunt ſanguinem, ijs anagoge fit è pulmone*: ſubdit *Duretus*: *Vt ſpumat fit in pulmone, ita non ſemper ſanguis e pulmonis commeatu nec de ſubſtantia eius prorumpit*: quod multis Iuuenibus ait ſe vſu eueniſſe coperiſſe; quibus

cohabita

cohibita nariũ hæmorragia sãguinis anadrome cursũ habuit per pulmones & exitũ p os; quinimò sibi quoq; homini quinquagenario euenisse refert; cũ enim familiaris fuisset narium hæmorragia commodo valetudinis ad illud vsque tempus ætatis suæ, tum ea suppressa, nec tamen anadrome statis temporibus quiescente; qua data porta prorupit per anastomosim venarum pulmonis atque id quidem sæpe, & multum; quare quod sanguis emanet spumosus non est vt semper arguamus è pulmone prodire, potest enim non rarò aliundè manare, & in pulmone spumam concipere; cæterum cum *Senner.* dicendum quod quamuis ex alijs partibus sanguis profluens ex viscidæ, & aereæ substantiæ permixtione spumosus fieri possit, tamen ex toto spumosum esse solius sanguinis, quod è pulmone prouenit proprium est; & quidem subdit *Sennert.* cum plurimum spumat è pulmonis bronchijs erumpit, cum verò totus ferè spuma est, secundum partes internas, & externas non tantum in superficie spumas habens è pulmonis substantia prouenit; non alia ratione vt vult *Zacut.* quia cum tenuis sit, facilè à copioso aere, qui in illum velut in stagnum recipitur in cordis subsidium, rumpitur, ac diuiditur interueniente validissimo motu quo agitatur perpetuò, & ebullitione ex flagrantibus membris, quæ in pectoris, & gutturis sanguine deficiunt, saltem collatione ad eum, qui è pulmonis carne excernitur, atque ideo hunc non solum spumosum dixerunt Prisci, sed ex illis Aretæus ad spumæ similitudinem rotundum, ac parte extra partem distinctum; *Auicen.* abscissum non continuò fluentem sed per interualla, separatam ob nimiam diuisionem, & fracturam à plurimo aere, plurimumque permixto, quare fit vt ad tenuitatem, perspicuitatem & album colorem declinet secundum *Paulum*, & *Alzarauium*, adde & ob pulmonis similitudinem quodammodo inductam; adiungit *Auic.* tenuiorem esse, quam ex ipsiusmet pulmonis vasis, quamuis intrà ea calidior sit, quia plus potest multa aeris permixtio, in pulmonis carne ad attenuandum, quam coctio quæ intrà ipsum promouetur ad incrassandum; quicquid tamen sit non est dubitandum sanguinem hũc, & quia spumosum, & quia non exiguum à pulmone prodire ob anastomosim in venis factam, non exesionem ab humore acri, nam ego cum *Platero* dicerem hanc exesionem non formare hęmophtoidẽ simplicem, sed Phtysim, præterquam quod eadem exesio supponit materiam acrem, atq; mordacem vel salsam, quæ nulla in nostro casu præextitit, quamuis non ignorem quod asseuerat *Saxonia cap proprio* aliquando scilic. fieri in pulmonibus diæresin absque materiæ acrimonia, *Gal.* siquidem 3. *de causs. sympt.* 2. erosionem inquit fieri non tantum ex humoris acrimonia, quantum ex putredine, & propt. apertissimis verbis scribit atq; clarissimis exemplis docet plerosque tabidos factos sputo apparente minimè acri, & quod ab initio nihil mali polliceri videbatur, quos tamen omnes interijsse scribit *Galen.* verum ego censerem humorem quamuis insipidum acrimoniam putrescendo concipere.

Quamobrem quicquid sit explosa diæresi anastomosim in nostro casu admitterem in venis pulmonum factam, & a tussi præcedente, nec non etiam & à continua destillatione, quę venas & arterias laxando impetu facto à tussi illas aperire potuit, atque sanguinis reiectionem procurare; nam si ex *Petro Salio* ex continuo affluxu in pulmonem contrahitur quædam flacciditas, quid impedit vt ex eodem laxitas in venas, & arterias introdu-

catur, cuius gratia disrumpi possit, hoc tamen verum venas & arterias dirutas non esse magnas, sed exiles, & per pulmonis parenchyma dispersas, non enim multus sanguis eijcitur; quamobrem non paruipendendus est huiusmodi affectus, nam sanguinis sputum quodè pulmonibus manat vt plurimum insanabilem morbum facit, & tunc potissimum cum inflammatio superaccesserit, vt ait *Gal.5.meth.8.* sed si inflammationem superaccesserit casus non est deploratus vt ait Saxonia, imò nonnullos sanitati restitutos narrat *Gal.7.aphor.17.* est enim minus discrimen ex anastomosi, quam ex dieresi, ideòque aiebat *Zacutus*: *Sanguinis autem reiectatio ex ruptura vsque adeò periculosa non est, atque ex diæresi sed media asseritur inter illam, & tertiam omnium leuissimam*; quicquid tamen sit curatio ineunda, eaque cita sit opus est, ne in alium morbum commutetur affectus, neue exeunte nimis sanguine vna exeat pariter vitalis spiritus; quæ sanè quia à destillatione manauit eandem remouendam docet auersionibus, euacuationibus, & exsiccantibus, sputum sanguinis reuulsionē pariter indicat, vnàq. venę cōglutinationē, ideoq. pro sputo (quod nunc facessit magis negotium) reuellendo sanguinis missionem adhiberem, hanc enim omni cruentæ expuitioni optimum esse remedium dixit *Gal.* verùm iteratam clamat; proindeq. *5.meth.cap 3.* sic loquutus est: *quod si resolutus adhuc æger non sit etiam vena ex eo cubito incidenda quæ profusioni è directo respondeat, vbi paululū detraxeris, mox vnā horā intermittens, rursus detrahens, post iterum, atq. iterum pro laborantis viribus*: *& cap 8. Igitur vena cubiti interna protinus incidenda à qua bis terq. postea sanguis detrahendus*: reddit huius rei rationem *Zacutus*, inquiens iteratam phlebotomiam fluentis sanguinis impetum melius auertere, assuefit enim natura emittere sanguinem ad alium longinquum locum auocata: sit *Auic. 4. p. ca. 20. Oportet verò*, inquit, *vt foramen phlebotomiæ sit vehementer strictum, & sint vices multę; quæ non sint in vna diès* vide *Zacutum*. nam hæc & alia inuenies; sunt etiam qui venam talii secent, quod idem auctor faciendum esse existimat ab initio quando sanguis ex toto corpore ad thoracem incipit defluere, tunc reuulsio è longinquo facta loco præstantior est.

Neque ob id non purgandum, quippe non rarò sanguinis reiectio vt vult Auicen. è bile procedit sanguinem irritantem, ac naturam, proindeque idem vult esse purgandam bilem, quod facerem syr. ros. solut. cum portione rhab. hoc enim præterquam quod bilem educit, habet etiam virtutem adstringendi, maximè si fuerit torrefactum; adderem etiam portionem mirabolan. cum aqu. plantaginis, quod si adhuc perstiterit morbus in reuulsionibus adhuc immorarer, vnde cucurbitulas laudarem, frictiones, clysteres acres, & similia; interim ad sanguinem temperandum syr. vterer ex syr. de ros. myrth. cydon. portulaca, ribes & similibus, atque his non conferentibus adderem terram sigill. lapidem hæmatit, bolum arm sang. dragonis & similia vnde sequenti vterer eclegmate ℞. syr. ros. de ribes, myuæ cydo. an. vnc. 1. lapid. hæmatit. terræ sigill. an. drac. 1. misc. cap. lambendo: sic etiam ptyssanam ex hord. torrefacto laudarem, rarò enim sanguis absque aliqua acrimonia subsultat è vena, quæ attemperationem indicat, ideòque Galen. 5. meth. cap. 13. in curatione eius mulieris, quæ ex catharro, & tussi in sanguinis sputum incidit cremorem ptyssanæ dedit; sic *Iacchinus* ad hoc pariter facere dixit narcotica, quæ vt *Philo* auctor est à morte in hoc casu liberant, sic *Gal.* dedit in supradicta muliere theriacam quattuor mensium; quod si per

hęc

hæc sanè sistatur sputum ad catharrum deueniendum esse suadet *Gal.* qui vt breuiter me expediam tribus solui poterit chinę vsu, inustione in occipite, & tandem cerato commissuræ coronali apposito, sunt etiam qui laudent inustionem in syncipite, quam ego non admitterem, cum simus in materia graui, non apta sursum tendere, præterquam quod hæc inustio à multis improbatur, & potissimum *Septallio*, *Zecchio*, & aliis; quod sine his quidem sputum sanguinis euanescat, tunc sanè ad adstringentium vsum confugiendum, ea namque ab initio conuenire nequeunt, sicque *Iacchinus* refert quendam vsu maximè adstringentium præfocatum. *Iul. Cesar Scaliger* huiusmodi puluerem cuidam dedit, qui statim conualuit ℞.spodij, ros.rub. bol.arm. terræ sigill. lap. hæmatitis, an. drac. v. corall. rub. præp. Karab. margarit. non perforat. an. drac. 2 ſ. gummi drag. drac. 2. sem. papau. portul. maluæ ros. rub. sem. arnoglossæ, cornu cer. vsti an. drach. 3. acaciæ, succi barbæ hirc. succi glycir. an. drach. 2. amili torref. drac. 3 terantur, misceantur f. puluis, cuius dosis drac. 3. datur cum aq. pluuiali, quod tamen remedium scriptum reperitur apud Serapionem tract. 2. cap. 25. *Gesnerus epist. ad Theodorum Zuingerum lib. 3. pag.* 106. refert electuarium quoddam Hælidæi ad hemoptysim, quod nuper se habuisse dixit ab Augustano quodam Medico, & vt secretissimum refert; est autem tale. ℞. Hyosciami albi., sem. papau. albi an. drac. 10. terræ sigill. corall. rub. an. drac. v. sacch. ros. antiquiss. q. ſ. f. elect. cuius dosis drac. 5. manè & vesperi præmissis vniuersalibus, quod tamen electuarium improbatur à *Gratone lib. 5. epist. pag.* 377. quia habet virtutem incrassandi.

Possunt quoque proponi, quæ à proprietate occulta prodesse dicuntur, inter quę radix nigellæ existimatur; quicquid tamen sit victus ratio inter alia instituenda, ideoque cibus sit refrigerans, & modicè incrassans, cæterùm *Iacchinus* irridet hoc quod est catalogum ciborum numerare, dum enim symptoma vrget, & quousque cesset, sæpius integram inediam seruare expedit, vnde vel nihil vt ait dandum, si vires ferunt, vel sola sorbitione, & ea exigua contenti esse debemus; Nec enim augere sanguinem, sed minuere expedit, & morbus maximè vrget ab initio: quicquid tamen sit cum sciam optimè victus rationem instituti eandem missam facio. Illud tamen relinquere haud queo, quod scilicet quantum fieri potest non moueatur, atque silentium sibi iniungat, ne nimia loquutione maiorem faciat anastosomosim. Hæcque habui quæ dicerem pro curando morbo nostri languentis.

PRO PERILLVSTRI DOMINO Cæsare Goruo Patritio Sulmonensi sanguinis sputo laborante.

CONSVLTATIO XLVI.

Malorum Ilias, qua premitur nobilissimus noster languens ab initio ab vna capitis fluxione manasse proculdubio censendum; ea siquidem varias

varias corporis partes peruagando, mox crurum dolores fecit, illuc humore pituiteo, nec bilis experte decumbente, mox facta eiusdem humoris palyndrome ad thoracem, subsequuta est sanguinis per os reiectio, vel anagoge (derelicto in crus decubitu) idque non semel sed per interualla, quæ quidem reiectio fuit sanguinis spumosi, ac tussi pariter manantis orta vtputo à capitis salsa destillatione multo ante iam tempore, prægressa eaque tum à capite progenita, tum à Iecore feruidiori reddita salsa; salsum enim vt aiebat *Phylosophus* est combustum terrestre, quamuis non ignorem nonunquam simplicem pituitam in pectus corriuantem, ibique diutius inhęrentem putrescendo acredinem posse concipere, quæ tamen in nostra languente inspectatur salsedo nedum ex putredine gigni visa est, sed ex pituita admixta cum serosa, biliosaque humiditate; quæ in pectore commorando diæresim genuit, indeque & cruentam procreauit expuitionem, eamque spumosam, & cum tussi, manifestum certè omen è pectore sanguinem prosilire, cuius sanè conditionis sanguinem nõ alia pars quam pulmo solet eijcere, ideòq; dixit *Duretus; est enim spuma nihil aliudquam minutissimarum bullarum generatio in circumtenso humore vel à spiritu, vel à calore, sed inter omnia viscera vtriusque ęconomię spiritus, & nutricatus multum spumifera est pulmonis conditio, atque natura*: iuxta illud: *Effluentia similis esse debet substantiæ; vnde quid effluit:* quare spumans ob id etiam dicitur, in quo spuma fulua efflorescit, sanguis enim in pulmone follis modo agitatur, vnde spiritum concipiendo in bullas ferè illasque minimas deuiat; neque existimandum est huiusmodi sanguinem ab hepate manare, inque pulmone per transitum spumam asciscere, non inquam nam quamuis hepar obstructum illuceat, idque tum à pituita à capite descendente, tum etiam à ventriculo genita, & ab humore vsto à semetipso genito, vnaque sibi meatus præcludente, nihilominus sanguis vt credo, qui ab hepate promanat non eo rubore est saturatus, cum non ab arteriis manet sed venis, ac non subito, & affatim, sed per temporis interuallum, in quo potest supponi sanguinem quoquo pacto deperdidisse colorem: & quamuis spumosus compareat, spuma leuis est, & non secundum profunditatem sese insinuat; quamuis non ignorem non semper facere ad diagnosim spumam.

Et tunc potissimum vt ait *Gal.* vbi ex vasis prodit. quare potius à pulmone sanguis emanat, quam aliter; ibique aliqua labes supponenda, vel vlcus vnde Tabes, vel venarum apertio; siquidem *Senex*, & cum eo *Duretus p.293.* 48. duplicem Tabis sortem constituit, vnam sanè in vlcere pulmonis, alteram verò in vasis ruptione, quam sanè duplicem differentiam sic expressam legimus in ea scil. Coaca: Ibi demum in metu sunt maximo Tabes tum à ruptione venarum crassarum, tum à catharro è capite, verum hæ ruptiones non possunt simpliciter Tabis propriè sumptæ nomine nuncupari, nisi quatenus ex sanguine extrauenato pus fit vnde vlcus, ni ipsammet apertionem vlcus appellare velimus, & potissimum in diæresi de vlcerę in nostro languente maximè dubitandum, sed quoniam relatio est satis manca, in hoc à Tabis iudicio retrocedendum, suspendendaque est sententia donec noua accedat relatio. Interim ad hæmophtoysin eneruandam animus est reuoluendus cum non leue inde periculum immineat, ideòq; dixerat *Aretæus: sanguis omnium color, omnium calor, omnium est alimentum, terroremq; incutit vtcunque sanguinem ab ore manantem intueri;* ad quod alludens *Virg* dixit:

Fori-

Foribus domus alta superbis,
Purpuream vomit ille animam:
Manè salutantum; totis vomit ædibus vndam.

Exeunte enim sanguine cor exhauriri videtur suo viuifico nectare, vnde & mors accedit, nam quamuis coalescere videantur venæ rursus tamen vel ex leui caussa aperiuntur, vnde est illud *Hippocrat. lib. de loc. in homil.* Agitata vlcera perenni motu, denuò lacerantur; adde etiam tabem inde posse accedere, eadem enim aiente *Dureto* caussas ducit vel à catharro ferino, vel à ruptione venæ pulmonis, quamobrem ad curationem deueniendum, Dicebat *Holler. in Coac. Ergo in eiusmodi expuitionibus, apertis vasis adstringentia; ruptis glutinantia; exesis sarcotica; & boni succi alimenta statim adhibenda sunt; deplenda plenitudo & expurgandum vitium, temperandus humor, omnia quidem prius, quam vel febris, vel inflammatio, vel denique purulentum vlcus existat*; ex quibus verbis nobis sunt eliciendæ indicationes; nam cum dixerimus adfuisse destillationem ortam ex humore tum pituiteo, tum seroso bilioso, hoc à Iecore genito, illo à ventriculo, & capite, en plenitudo, quæ purgationem indicat; fluxioque auertentia, & exsiccantia quia acer & mordax vnaque salsa, en attemperantia, quia exesa est vena ob dyæresim sarcotica requiruntur; quare quam primum instituenda est purgatio syr. viol. sol. ros. sol. cum portione mannæ el. addita rhab. & agar. trochis. portione inf. & cypres. in aq. plantaginis prius tamen præscriptis syruppis de s. beton. de liquir. & ros. simpl. cum decoct. scabiosæ; plantag. portul. & quoniam huiusmodi destillatio non vnica euacuatione edomabitur, propter si per epycrasim caput pillulis sed leui dosi repurgemus non erit absonum, quales sunt de agar. cocchię aggregat. sic à doctiss. *Claudino* maximè laudantur errhina ex succo betæ, sampsuci, carthami cum melle ros. zuccar. cui ad maius robur addit tantillum succi rad. cyclaminis; sic quoque non alienum erit pro reuellendo sanguine, euentilando hepate, & temperandis humoribus dum pluries sanguis est missus hyrudines venis sedis affigere, sicut inustionem facere; & sinistro bracchio, & dextro cruri non alienum erit, hæc pro reuellenda materia ab hepate, illa vt ab hepate: Interim pro exsiccanda è capite fluente materia non absonum erit chinam cum lentisco, & sandalis adhibere in iure vt maciem euitemus; adiectis in fine ebullitionis scabiosa, plantagine, portulaca polygono, & similibus; quod si ceratum suturæ coronali derasæ affigatur optimum erit; Neque ob id materiæ ad pectus influxæ immemores esse debemus, sed illa & lyncribus deturbanda, quæ & materiã expectorare valeant; atque apertioni venarũ non obstent, ideoque oxymel adhibere syr. de liquir. cũ aq. scabiosæ, & portul. cũ loch. de pulmone vulp. de pino, sano, & experto: sic ad abstergendã materiam, optima erit prysana confecta ex hord. torref. & sem. melonum obstructionum caussa quæ in hepate inueniuntur. quamuis non ignorem prysanam in obstructionibus non conuenire, sicut neque lac vel Asininum cum sacch. vel caprillum, vel humanum; lac enim non conuenit vbi hyppocondria suspensa murmurarint ex *Hipp.* sic etiam pro attemperanda materia iura possent commendari, vbi fuerint incocta portul. plantag. polig. acerosa, borrag. scabiosa, & similia sicut pro eadem materia declinanda ad vias vrinæ summè proderit addere capill. ven. liquir. gramen &c. Ceterum pro agglutinanda vena, & consolidanda saccharum ros. antiquũ

com-

commendandum, *Claudinus* laudat trochis de camphora, cum aqua pimpinellæ, quo spectat syr. mayrth. cum puluere equiseti qui citrà insignem adstrictionem potest agglutinationem facere; sic etiam sacch. violaceum commendari potest, cum seminibus hiosciami, vt pro pectore erit ex vsu gummi ammoniaci portio cum therebint. ac puluere ireos adiecta portione sulphuris puriss. hęcque sint satis pro tempore, illud tamen vnum monerem, ne scil. nimio vtatur exercitio, vinum pauciferum bibat subdulce benè dilutum cum aq. Kalibeata, a coitu abstineat, & venationes omittat.

PRO ADM. REVERENDO DOMINO D. FLAVIANO *Euangelista Canonico Aquilano Empyemate laborante.*

CONSVLTATIO XXXXVII.

EX relatis à doctiss. viro affirmare non dubitarim morbum quo premitur noster æger Empyematis naturam sapere; Empyematis enim nomen non apud omnes idem sonat, nam vt aduertit *Duretus in Coacis Hip.* solitus est empyema nuncupare omne omnium partium phyma, quod in pus alteratum est, quamuis empyici per antonomasiam dicantur quibus collectum est pus in thoracis capacitate; de quo empyemate nunc loquimur, orto sane non ab alia caussa quam à capitis destillatione, sic dixerat. *Hippoc. liber. p. de morb. tex. 11. suppuratur ventre superiore, cum pituita de capite copiosa, & aceruatim in superiorem ventrem fluxerit, tunc putrescit, & in pus vertitur, putrescit autem maxime in diebus viginti vna, hoc igitur pus concutitur, & intus fluctuat ad latera allabens*: quamuis *Petrus Salius in comm.* dixerit tale pus à destillatione genitum non verè, & simpliciter, sed analogice, & æquiuocè pus vocari, nam illud est vere pus quod ex materia in membro particulari collecta, & conculcata dum alieno calore alterata putrescit à natura per quandam coctionem mediam inter naturalem, & eam quæ toto genere est preter naturam deuincitur. At hoc pus (cuius meminit scil. *Hipp.*) non gignitur ex huiusce modi materia in tali loco recepta, sed ex ea quæ intercapedinem, & vacuitatem intrà thoracis membra existentem putrescens in tale excrementi genus permutatur, quæ permutatio potius ex diuturna mora, quam ea materia eò loci trahit, (cuius ratione corrumpitur, & putrescit) pendet, quam ex actione Naturæ alterantis, & per aliquod coctionis genus eam deuincentis: quare si hoc excrementum pus dicitur, non simpliciter tale est, sed per analogiam ad verum appellatur pus, cum ambo pariter occasione putredinis generentur, & in consimilem colorem permutentur; quicquid tamen sit, siue verum sit pus, siue improprie parum refert, sat est asserere illud ex destillatione fuisse pronatum, dum eadem in thoracis cauitatem fuit illapsa, quamuis *Hipp.* duo prærequirat ad hoc vt putrescat, nempè vt pituita destillans sit copiosa, secundo autem vt aceruatim, & nō per multum tempus aut per multas vices defluat; tertio addit Salius quod ista pituita per tussim non expurgetur; quod putauerim esse necessario requisitum; nam cernimus non rarò pituitam defluere sensim, & paulatim, & nihilominus eandem non expurgatam in pus degenerare; quamuis non

tam citò; quod autem hæc destillatio fuerit in pus versa, ac empyema produxerit patet ex multis, primo ex sonitu ὑδατισμτῷ à *Cælio Aureliano* percepto in eadem thoracis parte, quamuis hoc non sit tecmirium empyematis symptoma, nam quandò est copiosum pus, & crassum, præ crassitie vt ait *Salius* facile moueri, & agitari nequit, si autem fluctuare non poterit, nec etiam ad concussionem poterit dimoueri; secnudo ex tussi quę molestior existit quoniam procedente morbo destillatio inualescit, indeque partes spiritales magis afficiuntur, adde hanc maiorem molestiam communicari ijsdem partibus à pure ob malam qualitatem molestante; tertio ex thoracis grauitate, nam multa congesta materia grauitas consurgit, quocunque eadem allabatur; quarto ex febricula illa quam putridam præfatus auctor nuncupat, nam ex suppuratione in thorace facta putredo humoribus in venis, vel circa communia vasa existentibus communicatur, quibus putrescentibus putridarum febrium diuersa genera oriuntur; secundo ex macie illa nam ex præsentia enarratæ destillationis quæ omnino praua qualitate referta est, & cum præsentia putridę materię in cor assidue vaporationes prauas expirante vnaque alimentum improportionatum reddente macies consurgit: Præt. vnde ephydrosis illa, cibi fastidium, & continui horrores nisi ex pure intus concepto? hocque voluit *Hipp.* significare cum *pri. Coac.* dixit: *qui fræquenter exsudant, ac insuper rigent perniciosum hoc est, & in fine suppurationem habere comperiuntur, ventresque perturbatos:* subdit *Duretus*: *Ergo talis horror, aut rigor neutiquam periodicus aut criticus potest haberi; Atque empyemata quidem cum internarum partium omnium, tum vero maxime thoracis, atque pulmonum primum rigore, & noua febre denunciantur, quoniam puris acrimonia vellicantur, & eroduntur partes quæ sunt vicinæ atque communes obsessæ, sequitur & ipsum rigorem sudatiuncula vicissim, & crebro exudans facultatis infirmitate ob quam succialibilis dissipatio fit;* Præt. si ab excretis etiam iudicandus est hic morbus quis denegabit sputum illud esse purulentum? quamuis in hoc explorando non leues insurgant difficultates, nonulli enim pus igne, nonulli aqua explorant, quos omnes reijcit *Aretæus, sic Petrus Salius p. comm. de morb.* ait id ex tribus esse perpendendum, ex fætore, ex subsidentia in aqua, & ex colore, cum pus liuidum existat; cæterum hęc omnia falsa existere non est præsentis instituti declarare; quamobrem de empyemate non est dubitandum, quod an aliquod vlcus in pulmone peregerit, haud facile est explanare; non inquam; siquidem nullum prægressum est sanguinis sputum, febris non hectica illucet, sed putrida, proptereaque vsque adhuc labes in pulmone explodenda, quamuis eadem temporis tractu possit introduci, ob idque aiebat *Hip. p. de morb.* de suppuratione loquens: *Temporis autem tractu exasperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhærente, ac putrescente:* quamobrem antequam huiusmodi labem contrahat pulmo medendum, facilius enim dicebat *Hippoc.* est imminentium, quam presentium depulsionem facere: cumque dixerimus adesse duo, destillationem scil. & pus in thorace, illa euacuationem & exsiccationem indicat, & auersionem, hoc repurgationem & absterfionem; quibus scopis an satisfacere possimus cōsiderandum; siquidem hoc malum non raro solet non parum discriminis inuehere; verum cum noster æger facile decubitū ferat, tussi admodum non conflictetur, siti non valida vexetur, dormiat, vires constent, febris non sit multa, & quod præ reliquis est sputum sit pro ratione morbis sperandum

= Nota

randum eſt ægrum conualiturum; quod voluit etiam *Senex* qui *liber ſecun.*
prognoſt. 63. dixit : *Hi vero potiſſimum ſuperſunt , quos febris eodem die*
dimiſeriit poſt eruptionem, ac cibum citius appetunt, & ſiti liberati ſunt , & venter exi-
gua, & conſiſtentia deijcit &c. De febre ſibi dubium proponit *Saxonia* qui fieri
poſſit, vt diſrupto abſceſſu , & tempore quo materia putrida eſt cordi ma-
gis propinqua poſſit febris deſinere.

Reſpondet *Saxonia* ſignum ſalutis eſſe ſi febris quæ ante rupturam fue-
rat magna non prorſus deſinat, ſed deſinat eſſe magna ; *Zacutus lib.8.cap.11.*
ferè eandem habet opinionem; dum ait quod licet in ſuppuratis febris non
ex toto eradicetur, & dum repurgatur perpetuò febricitent ex *Auic.10.3.tra-*
*ctat.5.cap.*4. quia pus non vniuerſum exit à parte ſuppurata, & eſto exeat, ita
ut nihil humoris purulenti remaneat in particula , ſed caro optima gigna-
tur in parietibus, & cauo vlceris putridi tamen vapores a pure eleuati cor-
di communicati febrem ſuſcitent , tamen poſt rupturam fælicem exitum
exoptamus , hic ex febris remiſſione eſt expectandus facta collatione ad
impetum præcedentis , quæ intenſior apparet dum abſceſſus aperitur ob
materiei exitum.

Verum ſi mihi liceat reſpondere, dicerem *Hippo.* loquutum eſſe de abſceſ-
ſu rupto, & toto totaliter repurgato; non enim implicat naturam materiam
per ἀναχωρεῖν totam ſimul repurgare , vt nonnunquam accidit in vomicis, quę
vna cum ſua cyſti repurgantur, ſicque euacuato totaliter pure febris vt ceſ-
ſet neceſſe eſt ; vel dicendum non raro materiam illam purulentam natu-
ram tranſmittere in aliquem locum ignobilem vt ad vias vrinæ per ſeceſ-
ſum; atque ſic quoque febris ceſſat; quicquid ergo ſit ſperandum eſt ægrum
eſſe conualiturum cum omnia ſymptomata miteſcant , febris vel nulla, vel
pauca , ſputum bene repurgetur , & omnia cum conferentia contingant :
ideoque curationi incumbendum , quæ vt ſuperius diximus ab aliqua leni
tamen euacuatione auſpicanda, ſic *Aetius tetrab.2.ſerm.4.ca.65.* quamuis em-
pyicorum pus frequentius per ſputum, aliquando ad aluum, aut vrinæ vias
inclinans , emollientibus aluum, aut vrinam prouocantibus auxilijs repur-
gare conſulit, vt narrat *Zacutus loco ſup. cit.* id tamen ego peragerem leni ali-
quo medicamento, vt manna, caſſia, melle viol. ſol. & ſimilibus pręmiſſis ta-
men debitis ſyr. ex beton. ſcil. borrag. & liquir. cum decocto in quo ſit talis
virtus; a grauioribus abſtinerem, nam ſi verum eſt vt eſt veriſſimum *Hippocr.*
axioma, nempè pharmacũ ſputũ inhibere , cum noſter æger per ἀνακαθαρσιν
repurgetur fruſtra ad graue medicamentum illudque reuellens ſputum de-
uenitur; ſicque improbarem doctiſs. alioqui *Claudinum*, qui in *ſuis conſilijs* ca-
tapotia exhibet, & alia pharmaca eradicatiua; quod ſi nullum in empyema-
te extaret ſputum, tunc ſanè hiſce pharmacis poſſemus incedere ; De ſan-
guinis miſſione hic non loquor ſicut ne de hyrudinibus , cum hæc medica-
menta ſint præſtita , & nunc in corpore emaciato non indicentur ; ſicque
Zacutus dixit, quod ſi ſuppurata vomica verum empyema conſtituit , & vi-
res validæ eſſe non poſſunt, quia puris fætor, acrimonia & malignitas ſpiri-
tus reſoluunt, vitalem facultatem labefactant, naturales vires eneruant, ſan-
guinis miſſio penitus fugienda ; vnde potius inuſtiones celebrandæ ; quas
cum geſtet, non eſt vt de ijs verba ſubiectam, repurgato ergo leniter corpo-
re ad chinam deuenirem, vt ſcil. poſſet exſiccari deſtillatio, quæ empyemati
anſam ſubminiſtrat; illamque in iure galli ebullitam iniungerem , quò ſcil.

macies

macies a diuturno morbo inducta instauretur, addita sandal. citrin. portione cum ligno de visco quercino, & alijs adiectis herbis pectoralibus; pro interceptione eiusdem destillationis posset commendari sacch. rosatum vetus cum portione boli armenæ, sic Claudinus in hisce casibus miris laudibus tollit theriacam recentem cum conf. viol. exhibitam, quam vt liberè fatear non admitterem, nam cum recens theriaca ob vsum opij prævaleat nimis incrassando anagogen prohibet, quæ a nobis adiuuanda; potius ergo vterer Diacod. in tab. cum bolo arm. & inf. papauerum vt laudat *Zoroaster Tirnellus in suis consil* sic pro expurganda materia ibidem contenta oxymel, syr. de hyssopo, oxym. scillit, loch. de farf. de pulmone vulpis optimum erit; ego bolum *Zecchii* præ aliis comprobo ex therebintina ammoniaco, & sulphure, quinimò Claudinus laudat vt omni hora flores sulphuris adhibeantur cum syr. capill. ven. viol. & de farfara.

Quod tamen ad abstergendam in peccatore materiam videtur esse commendandum est ptyssana hordeacea cum sem. melonum dissoluta cum iure in quo ebull rad. ireos, hellenij, & sc. biosæ addita portione sacch. cand. viol. hæc enim præter abstersionem habet virtutem temperandi, & maciem resarciendi; sunt qui lac Asininum comprobent, quod aliqui renuunt, quia cum crassam habeat substantiam, pus incrassat, & excretioni reddit contumacius; verum *Zacutus* subdit: *Si affectio diuturnior sit, imbelles vires, febris calor vrgeat vehementer, tabescat æger maximè si copiam non multam puris thorax contineat, tunc salubre præstat commodum lactis vsus*; quæ cum in nostro casu non inueniantur, potius ptyssana contenti erimus; Nec desunt qui in curando hoc morbo inustiones adhibent, cataplasmata, & sectionem ipsam, ducti ea *Hippoc.* sententia, quę dicebat *Hydropicos celeriter secare tabescentes vrere statim*, ideoque sunt qui laudent empl. de meliloto, ex cocleis, vel ostreis cum testa tusis, sicut & ceratum de beton. cum portione Diapyrites &c. Sectionem vt refert *Cælius Aurel.* improbandam esse crediderunt *Euenor, Erasistratus, ac Thessalus* at *Asclepiades, Themison, & Soranus* eandem met comprobarunt; quinimò *Cælius Aurel.* 3 *tard pass cap.* 8. hæc habet: *Omnes enim paracentesi curatos*, vt aiunt, *mori, apertissimè mentiuntur, nos enim quosdam vidimus euasisse, plurimi verò moriuntur, siquidem medentium tardante consilio serius paracentesis adhibetur*, & quamuis hic auctor videatur loqui de hydropicorum sectione, hoc etiam de tabescentibus dicere quoque par est: nam vt asserebat *Valles.* 6. *epid tex.* 9. tabidi fiunt ex suppuratis, suppuratorum verò, & hydropicorum idem periculum dixit his verbis *Hippoc. Quicunque suppurati, aut hydropici secantur, aut vruntur, hi pure, aut aqua aceruatim affluente omnino moriuntur*: verum hoc præsidium præterquam quod serius adhibetur vt ibidem *Valles.* confirmat, tamen & propter ægrotantium mollitiem, & eo quia non est apud eos illa auctoritas qua antiqui vtebantur Medici, indè est vt horum quippiam iubenti nunquam obtemperetur, vsque dum morbus omninò vicerit, tuncque postulant nonnulli id sibi fieri velut in re desperata, quo tempore nil aliud fit, quam quod quę tempestiuè suscepta contulissent, semper infamentur auxilia, atque hoc est quod dixit *Gal. in meth.* nempè impudentis consiliis esse apud Vulgum infamare præsidia quæ reliquis fuere saluti: quapropter cum *Vallesio loco cit.* dicemus: *Satius sit Medicos nisi tempestiuè voluerint ægri parere intempestiuè nihil facere*: neque enim putarim hoc medicamentum esse adeò crudele, ac dirum vt homines nequeat liberare empye-

mate laborantes, nam si nonnulli transfosso casu thorace sanitatem sunt adepti, cur non id ab Arte factum prodesse poterit; sic *Plinius lib. 7. cap. 50. nat. hist.* diuinæ fortunæ vulnus ait Phærco Iasoni quidam exitij eius cupidus intulit, nam cum inter insidias gladio eum percussisset, vomicam quę à nullo Medico sanari poterat, ita rupit vt hominem pestifero malo liberaret, quod præter Plinium refert *Valer. Max. lib. 1. ca. 6.* verum quoniam vt ait *Gal.* Talia remedia videntur artis limites excedere, nosterque æger egere haud videtur, ob id huiusmodi sectionem missam facere. De victus ratione non loquar cum eadem ad amussim vt dicitur sit instituta.

PRO PERILLVST. DOMINA *Magdalena Gappa Vxore V. I. D. Cosmi de Benedictis Aquilani Phtysi laborante ad Medicos Neapolitanos doctissimos.*

CONSVLTATIO XXXXVIII.

Nobilis qua de agimus languens temperamenti sanguinei, ætatis suæ annum agens trigesimum, feruidiori Iecinoris crasi donata, exilium virium, & humidi capitis, in affectum rheumaticum dum incidit, non miror, pluribus enim in motu, & frigidioris aeris mora erratis incubuit, à quibus quidem caussis omnia quæ patitur habuisse originem non est dubitandum; Aer enim quid diuini in morbis habet, motus autem immodicus non mediocriter obest vt dixit *Gal nimium enim quod est reprehendo semper omnemq; qua exerceri velimus artem esse moderatam volo*: vnde *Hip. in epid. labor dixit, cibus, somnus, venus omnia mediocria*: Aer ergò impensius quam par est frigidus, & humiditatem exprimendo, & motus calore liquefaciendo ad fluxionem excitandam conspirant, quæ in infernas partes à capite protrusa partim sua sponte cum vberiorem in se subiectaret materiam, partim verò alterius impulsu vi scil. & caloris, & frigoris in infernas partes, & potissimum thoracicam spaciositatem inibi labem impressit, & potissimum illam anhelitus difficultatem, quæ eandem cogit & erecta ceruice spirare, & semper in partem dextram decumbere, ob leuæ partis pulmonis suspensionem; quæ quidem spirandi difficultas noctu magis augetur, cum eadem fluxio ex *Hip.* noctu magis vrgeat; eaque cum & tenuis, licet cruda tussim siccam cit, ac sine sputo quamuis *Iacotius in Coacis* tussim siccam regerit in virium infirmitatem, aut materiæ crassitiem, aut obstructionem perfectā bronchiorum; Tenuis enim (ait) humor cum subleuatus est, inter tussiendum à spiritu diuisus refluit lentus verò, aut valdè crassus non tàm facilè à corporibus quibus impactus est abstergi, neque etiam à quauis occurrentis spiritus violentia impelli potest, & sursum efferri, vires autem infirmæ neque multum, neque vehementem spiritum mouere possunt, neque vehementem thoracis contractionem ferre, sine qua tussire nemo potest: quicquid tamen sit, destillatio perennis nedum hanc genuit perennem tussim, qua prius nihil expuebatur, sed nunc eadem in pulmone diutius moram trahens, inibique putrescens in pus conuersa purulentam per tussim eijcit materiam, quæ sanè aliquod

quod

quod vlcus in pulmone videtur ominari; cum dicente *Hip. A ſanguinis ſputo puris ſputum, à puris ſputo Phtyſis*: Nec ignoro *Iacotium* doctiſſimum lib. 6. Coac. dixit *Galen.* raros quoſdam caſus recenſere, in quibus Phtyſici euaſerunt, nulla antecedente hæmoptoiſi, aut ſuppuratione, aut acri deſtillatione, propter humiditatem cum aliquanto humore, quę ſatis eſſe queat pulmoni putrefaciẽdo, viſceri molliſſimo, in quo pituita aſſatur, exulcerat, aut putrefacit per moram. Adiuuat quod effluxu, & excrementorum meatibus pulmo deſtituitur, habetque facultates naturales poſt glandulas maximè imbecilles, & cor uicinum quo exuritur, & acuitur pituita. Nec ignoro vtrumque pus ſcilicet, & ſanguinem nequire eſſe pathognomonicum. Talis inditium, & primo de purulento ambigit *Zacutus lib. 8. cap.* 10. de Phtyſi, aitque poſſe dari Phtyſim abſque ſputo purulento; quandoque enim exulcerato iam pulmone ſanguineum tantum apparet ſputum, & ex eo vera ẽt Phtyſis ſignificatur, accẽdentibus etiã alijs indicijs, vt colligitur ex *Gal. 5. meth.* 8. *&* 14. *&* 4 *aphor.* 81. vbi renum vlcus ex ſolo ſanguinis mictu ait poſſe ſignificari, id quod etiam de pulmonis, & aliarum partium vlceribus intelligendum eſt ait præfatus *Zacutus*; quin & addunt aliqui non ſolum in vera Phtyſi cruentum ſine pure aliquando excreari, ſed nonunquam etiã purulentum nullo ſanguinis ſputo præcedente, aut permixto, idque ex citato *Hipp.* doctrina diſiunctiuè loquentis elici poteſt, ait ſi ſanguinem, aut pus minxerit: quare non videtur eſſe indubium Phtyſis indicium purulentum ſputum, ſed cur Medici ex pure diagnoſim accipiat Phtyſes dicit idem auctor id contingere, quia cum plurimæ Phtyſis illud ſputum commonſtrent, obtinuit ferè vſus vt Phtyſici exploratio à ſputo purulento pendeat, ſi cætera etiam appareant ſigna: quare non eſt ità facilè ex ſputo Phtyſim cognoſcere, ſed ſi alia quoque accedant ſymptomata, vt puta febris hæcticæ naturam ſapiens, ſi macies, ſi grauitas circà pectus, &c. quæ cum omnia in noſtra languente reperiantur, dicendum eam vera Tabe laborare ex vlcere pulmonum nata, neque mihi faceſſit negotium quod vnquam ſanguinem eiecerit, nam poteſt dari Phtyſis abſque vlla cruoris expuitione, ſiquidem *Fernell. 5. pathol. cap.* 10. ait ſe multos vidiſſe homines, ex emiſſione ſola liquidi, & ſubflaui humoris tabidos euaſiſſe; quamuis multo poſt tempore cruoris aliquid reijcerent, ſubdit: ſed non paucos etiam animaduerti tabe ſenſim ſublatos, in quibus nihil omninò cruoris toto morbi decurſu cõparuit ſic *Arg. com 3. in art. Med. Gal.* refert historiam vxoris Leonardi Piſienſis Medici iam tabida, quæ duos ferè annos vixit, & poſtquam mortua eſt, & diſſecta refert ſe inueniſſe in ſuprema pulmonis parte quæ primis coſtis ſubijcitur vlcus in quo vix caſtanea includi potuiſſet, aitque hanc nunquam ſanguinem expuiſſe quod extrà vaſa pulmonis vlcus exiſteret, vnde colligit *Argenterius* non omnes qui tabe pereunt ſanguinem expuere, & eos qui id faciunt non ſemper cum tuſſi eum reijcere, ſed ſolum cum vlcus in profundiorib. pulmonis partib eſt, vbi maiora ſunt vaſa quæ ſanguinẽ continent; verũ hoc melius fatetur *Claud.* qui in ſuis conſult. fatetur poſſe quempiam eſſe Tabidum abſque ſanguinis expuitione, dumõdo ea tabes, & cõſequẽter purulenta materia ortũ duxerit à capitis deſtillatione contingere ſiquidem poteſt deſtillationem in pulmonem delapſam in cauitatibus non autem in ſubſtantia partium illius ſuppurari, hincque vaſa non exedi, quæ cum non exedantur, neque ſanguinis ſequitur expuitio, pro-

pterea-

ptereaque non eſt noſtra languens à Phtyſi ableganda, quia ſcilicet ſanguinem non expuerit ſed Phtyſica dicenda vtique venit ex vlcere pulmonibus concepto, ad quem morbum eandem reor traduxiſſe deſtillationem illam perennem; nam vt benè dixerat *Hip. ſi per palatum in guttur multa fluxio contingat, vt plurimum morbi tales oriũtur, replentur enim pulmones pituita, atque ea ipſa pus fit, id quod pulmones exedit*; quod replicauit *lib de loc. in hom.* dicens *Pus in pulmone, & in thorace conſiſtens, ac congregatum vlcerat, & putrefacit*: hinc haud miror, & febrem acceſſiſſe, quæ non diris cernitur complicata ſymtomatis, cum nec ſiti infeſtetur tum ob affluxum à capite guttur, & linguam perenni quodam modo proluentem, tùm ob pituitæ pręſentiam in ventriculo; tum denique quoniam febrile cauma non eſt adeò validum, vt intenſiorem ſitim potuerit procurare, quæ quidem febris hecticæ ideam ſeruarę videtur; quoniam in eodem ſtatu ſemper permanet, nec vnquam remittitur calor qui eſt acer, ac mordax, quãuis aliquam videatur habere remiſſionem, quæ non ob id hecticam excludit, ſed eam admittit putrida febre coniunctam, neque enim id aduerſatur habitus rationi, calor enim hecticus intendi & remitti optimè valet non variata habitus ſpecie, vt probat *diuus Thomas part. 2. quæſt. 52. art. 1.* quia caliditas illa quamuis augeatur, eius motus non terminatur primò & per ſe ad diſpoſitionem, & habitum ſed vt paſsio ad paſſibilem qualitatem, præt. hecticam in noſtro caſu confirmant alia ſymptomata quia ſcil. ingraueſcit à cibo, iſque miram eidẽ impartit imbecillitatem indèque pulſum facit debilem, frequentẽ, ac durum: quam hecticam ſecundæ ſpeciei nuncuparem cũ in vrinis aliquæ telæ araneæ notæ compareant, quamuis ex *Gal.* ab vrina nullum ſignum poſſit deſumi, quod certum quid afferat, nec ignoro omnia hæc ſigna dubijſſima eſſe ad cõmonſtrandam febris lecticę ideam ſeorſim ſumpta verũ ſimul ſumpta commonſtrant: ſic *Sennert.* de vrina loquens oleaginoſa in hecticis dixit, quod quamuis hęc vrina in alijs affectibus compareat, tamen ſi iam ex alijs ſignis cognitum ac perſpectum habeamus adeſſe hecticam, talis vrina apparens inſeparabile hecticæ ſecundi gradus ſignum eſt, adipoſæ enim, ac carnoſæ ſubſtantiæ colliquationem ſignificat; quare ob id affectus noſtræ languentis redditur validior, & ad internecionem magis idoneus, duo enim morbi ad inuicem facti conſociales magis ad interitum conſpirant; quis enim denegabit Phtyſim cum hectica non eſſe lethalem? en *Hip.* dixit: *Tabes, & Hydrops neceſſario perimunt*, quod cernens *Allex. Trall.* dicere non eſt veritus facilius eſſe homines à ſenectute reuocare, quam Tabem curare; ſic *Gal. 4. de loc. aff cap. 5.* dixit pulmonum vlcera curationem non admittere, quod vt ait *Zacutus* duplici ratione probatur, ratione, & experimento; ratione quidem quoniam vt ſoluta, vlcerataque pars vniri, glutinarique poſſit quies omnino requiritur, (per motum ſiquidem rumpitur, dilaceraturque vulnus) quod fieri haud poteſt in pulmone qui continuò dimouetur; experimento autem quia neminem unquam ità affectum reſtitutum videamus; cęterum quia vt aiebat Quintilianus declamat. 8. Iniquiſſimum eſt deſperationem vocare, quoties remedium Medicina non inuenit; propt. quamuis maximè dubij in hoc morbo, quinimo quaſi tuti de futuro interitu Medicam manum non denegabimus: nam vt aiebat Hipp. lib. de loc. in hom. quũ morbus periculoſiſſimus ſit in his periclitari oportet, ſi enim ſucceſſerit, ſanum facies, ſin minus quod alias futurum erat

idipsum perpetitur: proptereaque omne saxum reuoluendum, nam vt aiebat Auernr. sicut fiunt monstra in natura, ita & in arte: quattuor ergo sunt quæ nobis subministrant indicationem, destillatio, materia in pectore, febris & vlcus in pulmone, destillatio euacuatione exsiccatione, interceptione, & auersione edomanda, materia in pectore quæ abstergenda, vlcus quod & abstersione, & consolidatione opus habet, & febris quę refrigerãtia & humectantia indicat: quoad primam indicationem quæ euacuatione perficitur, cum inæqualis intemperies supponatur, & ob id continua heterogeneorum humorum congestio alicui euacuationi ijdem destinandi, ideo ego præparata materia syr. de liquir. de s. borrag. & de endiuia cum dec. comm. ad syr. ros. sol. deuenirem, & ad portionem mannæ deuenirẽ dissolutam in iure, ad validius medicamentum non deuenirem, nam vt bene ait Senner. corpus extenuatum est, viresque sunt deiectę verùm *Zacutus* miratur cur *Gal. 5. meth. 14.* pillulas dederit ex aloe, & alia fortiora exhibet: aliens: *Oportet autem in principio nullius rei æquè esse sollicitum quam vt neq; tussiant, neque ex capite aliquid in pulmonem defluat, cauetur id triplici præsidio, purgatione primum, secundo, medicamento quod Diaspermaton dicitur, tertio ipsi capiti prouidendo, quod purget diuersas facultates habeat oportet, cuius generis nostræ sunt pillulæ, quæ ex aloe, scammonia, colocynthide, agarico, bdellio, & gummi arabico conficiuntur, ad plures videl. excrementorum purgandas species.* Respondet *Zacutus* ea *Galenum* exhibuisse in principio quando vires valent, quantitate parua, & correcta ijs, quæ horum acrimoniam attemperant, vt superbibita ptyssana 2. acut. 13. Respondet secundo idem *Zacutus* asserendo salsam pituitam suapte natura crassam, & à capite defluentem, quę præstat occasionem salso catharro, & vasa erodit acrimonia sua, sanguinis profluuia excitat, & vlcus dilaniat, à vijs ductuum valdè semotam detrahere tentat his medicamentis, quorum efficaciam bdellio, & gummi arabico retundit, Hæc enim sua emplastica vi partes internas roborant, & lentore, ac crassitie acres scammonij, & colocinthidis vires coercent, & refrenant: atque idem dicendum est ad *Hip.* aientem *lib. de loc. in hom. tex. 31. Medicamentum præbe elaterium deorsum purgans, & infernè aluum lacte infuso elue.*: ni vellimus asserere cum *Martiano* nomine elaterij *Hip.* non intellexisse cucumeris syluestris succum, sed medicamentum deorsum purgans; cæterum mihi magis arridet *Francisci Perlę* opinio, qui ait *Hip.* in hoc tex loqui de Tabe dorsali, vbi nulla sputi ratio habenda est, immo cathartica medicamenta plurimi vsus in hac esse possunt, dum caput expurgare fluxionibus à posterioribus auertere partibus apta sunt, sic *Hipp. lib. de inter off.* in Tabe à spinali medulla Hippophais succum, & granum Gnidium exhibet, quæ valida sunt medicamenta, quicquid tamen sit ego dicerem *Hip.* ideò in Tabe commendare huiusmodi valida medicamenta, quia supponit morbum esse à principio, atque nullum sputum adesse, tunc enim ad expurgandam materiam in pectore stagnantem *Hip.* adhibet valida medicamenta, quæ eandem possint eradicare; quod etiam in pleuritide fecisse accipimus *lib. de morb.* vbi ait: *At si æger biliosus sit natura, & non purgatus correptus fuerit à morbo, priusquam saliuam biliosam expuat, medicamento bilem probe purgato, si verò iã expuat biliosa medicamentum ne dederis si enim dederis sputum sursum prodire non poterit, sed septimo aut nono die suffocabitur*: *Senner. cap. de Physi* ait *medicamenta valida esse exhibenda dum Phtysis imminet, & prę sertim ob catharrum*: quicquid tamen

Nota

Nota

men sit leniente pharmaco incedendum, nec vires primo magis corruant, secundo ne sputum præpediatur; De sanguinis missione non loquor, sicut nec de hyrudinibus, cum has affixerit, & sanguinem miserit; Inustionem vtique occipiti probarem, quæ & euacuare, & materiam deriuare à capite poterit; sicut neque cucurbitulas improbarem spatularum summitati, bracchiorum musculis, & occipiti affixas, pro exsiccanda materia summè laudo chinæ consumptum cum sandalis, & ligno visci quercini; adiectis scabiosa, rad. tussilag. borragine, endiuia, hellenio, hord. & similibus; *Franciscus Arcaus*, *& Thomas Erastus* vt est apud *Sennert.* summè laudat decoctum ligni guaiaci, cæterum cum illud explodat ab affectibus pectoris *Alex. Petron.* quia fluxionem nimis attenuat, illud missum facerem; ac china essem contentus; Interim ad intercipiendam materiam à capite prolabentē vsus sacch. rof. esset ex vsu, adeò vt *Auic.* dixerit se multos solo vsu sacch. rof. persanasse, hæc sunt eius verba *lib. 3. fen. 10. tract. 5. cap. 5. si non timerē dici mendax, narrarem in hac intentione mirabilia, & referrem summam qua vsa est phtysica, peruenit res eius ad hoc, vt ægritudo cum ea prolongaretur adeo donec perueniret ad mortem, & vocarentur ad ipsam qui prepararent ea quæ morti sunt necessaria, tunc quidem frater eius surrexit ad eam, & curauit hac cura longo tempore & remixit, & sanata est, & impinguata est, & non est mihi possibile vt dicam summam eius quod comedit de sacchаro rosaceo*: *Crato in consi.* 152. refert etiam Phtysicum qui cum nil aliud comederet præter sacch. rof. tribus annis eo vixisse. *Petrus Forestus lib. 16. obseru.* 58. hæc habet: *quædam Phtysica pro deplorata à Medicis relicta, vt Romæ nobis relatum est, cum ibidem agere m sequente remed io intrà duos menses sanitati restituta dicebatur*: Pullum exenteratum capiebat, ac in ventre vnc. 3. sacch. rof. ponebat, ac demum aqua lento igne in olla cooperta coquebat illoque decocto supra cineres per totam noctem ollam relinquebat, mane vero ex pullo contuso cum suo iure manens in lecto sumebat superdormiens, quo quidem remedio sana euasit: ego quoque mirabilia ex sacch. rof. expertus sum, quinimo soleo ad vsum *Zecckij* sequens parare remedium; sumo pullum exenteratum cui sint coll. alæ, & pedes resecta, deinde illum impleo vnc. tribus sacch. rof. & totidem sacch. viol. addo hord. scabiosam, tussilaginem, hellenium, liquiritiam, borrag. passul. & similia, consuo, & tandem ad bulliendum in s. q. aq. pono donec sit benè doctotum, excolo dictum ius, & de mane cyathum propinandum iniungo; admonendo vt pullus antequam necetur per octo saltem dies hordeo in lacte nutrito nutriatur, habet enim hoc ius vim reficiendi, abstergendi, pectus aperiendi, & febrilem ardorem compescendi; quo etiam vterer in nostra languente cum hisce omnibus opus habeat; Interim ad materiam in pectore stabulantem expurgandam & ad consolidandum vlcus deueniendum; in quo casu eclegmata commendo ex syr. de liquir. de hybicocum loch. de pulm. vulp. sano & exper. inter reliqua maximè probo vsum mulsæ, quæ maxima vi pollet in materia abstergenda vt ait *Sennert.* fortiora ait esse scil. tussilaginem, cappill. veneris, marrubium, agrimoniam, hyssopum, scabiosam, rad. iridis, & similium; quod tamen mihi videtur præ ombibus posse commendari est vsus therebint. lotæ cum aq. scabiosæ adiecto tantillo sulphuris quod anima pulmonis nuncupatur; sic *Schenchij filius Ioannes Georgius* ait Balsamum terrę vel sulphuris spagyrica encheirisa exactę paratum pulmonum deploratissimis morbis per pręcipuo

auxilio est, nec habet pulmo hac Medicina excellentiorem Mumiam: sic *Hieron. Rub. lib.* de destillatione quandam aquam sulphuris commendat, quæ videri potest apud *Schenchium pag.* 250. qua quendam Iuuenem Rauennatem pulmonum substantiam expuentem liberasse asseuerat; nec interim vlcus non est consolidandum si fieri possit pro quo explendo scopo radix symphiti maioris, consolida, plantago hedera terrestris, & rosf. folis commendantur; plantula sanè elegantissima vt ait filius *SchenKij*, mercuriali æthereo fluore glutinoso roscida, quæ ob sal balsamiticum ait pulmonibus vnice confert, contra Dodonæi Medici Cæsarei sententiam; quod si hæc non arrideant, sumi poterit idem sacch. rosf. admixtum bolo arm. & syr. vel puluere symphyti, de cuius vsu loquens Mesueus vt est apup *Senner.* tres conditiones proponit, primo vt abstergentia, & mundificantia præmittantur; ac proinde initio conf. rosf. recens, quæ plus succi, ac propter vim abstergendi maiorem habet adhibeatur, secundo vt magna quantitate exhibeatur, & quotidie, immo cum pane, & cibo, ac potu sumatur, tertio vt si ob eius vsum sputum retineatur, & difficilis spiratio reddatur syruppus de hysopo, vel alia expectorantia per interualla exhibeantur; ad quem quoque vsum probat Senner. conf. pilosellæ: quæ vltima conditio præ reliquis arridet, cum millies cernamus ægrotantes ex vsu adstringentium anagogen perdere; sunt præter: qui lactis vsum commendant, nam istud omnem in tabidis recuperandę salutis spem inter cætera nostræ Artis auxilia prestantissimè vendicauit, tum ad puris absterfionem, tum ad solutam vnitatem coniungendam, tum denique ad partem, & vniuersum corpus reficiendum, serosa enim eius parte abstergit, & abluit, caseosa agglutinat, & vnit, & demum butygrosa vlcus, & vniuersum corpus reficit, quod si hoc assumere nolit, ptysanam hordeaceam commendarem dissolutam cum iure inquo bullierint plantag. polygoni, portul. scabiosęque modicum: Interim inunctiones adhiberem, fotus, & cataplasmata; De balneo aquæ dulcis hic non loquor, nam vt notat Mercatus in materia adhuc fluente, & à capite illud non est ex vsu. Vnum illud silere nequeo præsidium pro reficiendis viribus, & resarcienda macie confectio scil. in morselis, quæ cum gustui grata existat forsan langues eandem assumet, neq; enim inferioris vsus erunt stillatitia ex cancris fluuiatil. cochleis, cum portione terræ sigillatæ boli armenæ, conf. rosf. & viol. Atque hæc sunt quæ habeo dicenda in hac temporis angustia, quę nihil iuuare posse crediderim nisi parem habeat adiunctam victus rationem.

PRO IVVENE ROMANO TABE LACESSITO
Ad perillustris. Dominum Iosephum Barlesium à Montechio Virum doctissimum.

CONSVLTATIO XXXXIX.

Hydropicos, & tabidos quis non cognouerit aiebat Hip. quod cernens Aretæus dixit: Nam si quis vel plebeius hominem viderit tussientem,

imbeccillum, macie confectum, hunc ſtatim vera Phtoe laborare pro-
nunciat; quis ergò ex his non dixerit Iuuenem cuius morbum ad me ſcribis
Tabe ex pulmonis vlcere cum febre non laborare? multa ſunt quæ illam
atteſtantur, ſed pręreliquis pus, & ſanguis, hic multoties excretus cum
tuſſi floridus, & cum ſpuma, illud continuò eiectum, tum colore tum
ſubſtantia pus redolens; quinimò aquæ iniectum ſubſidens; quamuis hoc
à multis in dubium reuocetur; plures enim ait *Zacutus* errores, & dece-
ptiones inter iudicandum de prædicto ſputo ſolent accidere: ideoque
quattuor potiſſimum indicia dat pro diagnoſi ſputi purulenti, Primum
ex vehementi fętore prunis iniectum 4. *aphor.* 81. tale ſiquidem ſuper car-
bones ſentitur, quia vapor exhalans graueolentiam demonſtrat, ita ſcri-
bit *Gal. p. alim.* 2. *Verum pus & graueolens eſt, & lentum, crudus vero ſuccus craſ-*
ſitie, & colore illi duntaxat eſt ſimilis, vt quinque graueolens eſt, neque lentus:
ſecundum ex modo ſubſtantię deſumitur, quia pituita lenta eſt, & con-
culcata, nec ſe patitur diuidi in partes, pus autem dum commouetur fa-
cile diuiditur, vt pote quod materia quædam aduſta ſit, & veluti cinis ex
lignis à calore præternaturali factum: tertium, elicitur ex colore, color
enim puris cinericius eſt, ſiuè ad ſubcitrinum declinans, vel vt aliqui ex-
plicant albus, cum quadam ſubcitrinitate, ab extraneo, & adurente
calore acquiſita, in pituita autem ſimplicitèr albus: quartum, adiungit
Serapio tract. 2. *ſui breuiarij capit.* 27. ſi ſputum in aquam proiectum fundum
petat, pus eſt, ſi ſupernatet, pituita dummodo ſputum ipſum non ſe-
mel, ſed ſæpe, & per aliquot dies educatur, immò & cum graui tuſſi,
vt ab imo pectore prodeat; cæterum *Aretæus* dixit: *quicunque aut igne,*
aut aqua humiditates explorant, ac notant, hi haud ita multum Phtoicos mihi di-
gnoſcere videntur: propter doctiſs. *Saxonia cap. de Phtyſi* dixit pus plerum-
que ſupernatare, eo quod viſcidæ pituitæ commixtum ſit, quare ait baculo
diligenter eſſe ſeparandũ pus à pituita: *Mercatus* dixit eſſe inijciendum ſpu-
tum aquę, quod ſi non protinus fundum petat, verum ſenſim per aquam
expandatur & ſubinde deſcendendo recolligatur, ſignum eſt tale ſputum
eſſe purulentum: quamobrem cum omnes has conditiones habeat ſputum
noſtri languentis non eſt dubitandum illud eſſe pus; De ſanguinis eiectio-
ne maior eſt difficultas, contingere namque poteſt vt aliquis abſque ſan-
guinis expuitione tabidus exiſtat; ideoque *Iachinus in* 9. *Rhaſis* dixit: *Dicunt*
quidam in catharro hoc euenire poſſe, vt primò caro pulmonis erodatur, mox ad venas
perueniat eroſio & indè ſanguis excreetur, Primum verò citrà ſanguinem ſanies ego
verò ſcio ex Gal. ſanguinem ſpumoſum ex ipſius pulmonis ſubſtantia excerni 6. *aphor.*
quamuis exiguum & paucum, neque ſcio aliquem ex catharro in phtyſim lapſum, quin
prius aliquid ſanguinis expuerit; verum in hoc fallitur *Iacchinus* dum putat ne-
minem poſſe Phtyſicum declarari quin ſanguinem per anacatharſim eiece-
rit primo namque cum caro ſeu parenchyma pulmonis eſt exeſum, non eſt
neceſſe vt ſanguis emanet hoc voluit *Gal.* exemplo vlceris renum 4. *aphor.* 71.
vbi ait croſa carne rerũ poſſe educi pus abſq; ſanguine vnde doctiſſ. *Iacotius*
in comm. Coac. dixit nonullus euaſiſſe Phtyſicos ſine ſputo cruento vlcerata
carne quæ à bronchijs maximè diſtat, ob eã cauſſam *Gal.* 5. *meth.* 18. ſcripſit
tutius eſſe vt aſperæ arteriæ ramus proximus ſimul cũ vaſe ſanguineo rum-
patur, quam ſi ſeruetur integer, eò quia vt puto illo modo commeatum ſiue
aditum ſibi parat, at hoc modo non habet liberum exitum præt. *Schentius*

etiam

etiam dixit eruditis Medicis satis constare pulmonum vitio Talem accidere posse quamuis nec præcesserit nec consequutum sit sanguinis sputum, aut purulenta excreatio secundo, quia potest sanguis etiam è vasis manans protinùs ac exiji ab vberrimo pure quod in pulmonibus extat dealbari, vt vult Saxonia cap. proprio, ni velimus asserere id pendere non ex vlceris presentia Physim gignente sed ex aliqua alia caussa, sic *Symph. Campegius lib. 4. cap. 14. enarrat. histor. Gal.* refert quendam adolescentem fabrum assiduo fornacis igne se concremantem, carbonumque fumo corporis humores exsiccantem adeò fuisse extenuatum, vt totus osseus esset, neruis tantum compaginatus & compactus videretur, ita vt certè ipsam mortis effigiem iudicasses, sic *Marcus Anrelius Seuerin.* dixit dari Phtysim citrà pulmonis exulcerationem, languore scilicet & marcore idest putrida quadam laxitate tacto pulmone, quod fit nimirum vbi mucore pituiteo, ac semiputri diù multumque alluente distabuit, quemadmodum scilicet folium longo lentoris immaceratu flaccescit, de quare ità *Hieron. fracastor. lib. 2. de morb contag. cap. 9. verum & illam quoque possumus Phtysim satis proprie appellare, quæ corruptis, putrefactisque pituitis ità pulmonem affecit, vt si non vlceratus est at flaccidus tamen & putridus tam reddatur, quippè factis dissectionibus quorundam vidimus interdum partem pulmonum sinceram, & nullatenus vitiatam, partem admodum exactè putridam nondumque vlceratam, sed tamen flaccidam, mollemque atque in marcorem tendentem, quandoque totum pulmonem talem vidimus*, Præt. id etiam refert *Iacot. in Coac* sicut *Petrus Sallus in comm. de morb.* quo morbi genere laborasse refert doctiss *Seuerinus* illus virum Marcellum Sacchettum anno 1629 dissectum Neapoli, vt & Franciscum Primum Gallorum Regem: in his ergò nullum sanguinem eijci crediderim non enim vlceratur pars, sed solum conflaccescit, ac insolito pulmonum tabo distabescit; cæterum in nostro languente dicendum esse vlcerata pulmonum capacitatem secundum vasa, cum & pus. & sanguis comparuerint, dicat ergò, *Senex: A sanguinis sputo puris sputum à puris sputo, Phtysis*: neque refert vt sputum in Phtysicis sit copiosum, siuè sit pus, siuè sanguis, nam vt ait doctiss *Saxonia cum Gal.* aliquando ipsum vlcus non erodit asperas arterias ipsius pulmonis; sed tantum carnem, & vasa alia, itaque antequam ille sanguis in cauitatem asperæ arterię recipiatur opus est tempore: nam dura est membrana asperæ arteriæ, neque facilè ipsum statim suscipit; hic grumum facit, & ille grumus est impedimento, ne sanguis, aut pus genitum possit tussi expurgari, itaque in viscere retinetur, & phtysim facit insanabilem; febris autem qua noster languens ingemiscit quam febrem redoleat non est ita facilè iudicare nam quamuis à doctiss. viro plurium dierum ephemera esse scribatur, eius sortis febris quæ ab *Hipp.* pemphygodis nuncupatur vt vult *Mercatus lib. 2. de febr. essentia sicque idem Hip.* aiebat *siccæ, aliæ, aut salluginosæ, aliæ pemphygodes, hoc est inflatæ, seu ampullosæ & aspectu graues aliæ cutem ad tactum humectæ* subdit *Mercatus: quo fit vt mihi non displiceat eorum sententia quæ tenent per has febres solum subaudiendas esse ephemeras, quarum calor corpus in tumorem eleuat & tactum erit instar scientillarum exsilentium, vt quæ ex ignito flatu seu spiritu prodeant, & ob id primo accessu graues apparent, cum re vera non sunt.*) tamen potiùs hecticam esse dixerim putridæ combinatam, quam putridæ pituitosę naturam sapere ipse crediderim vt patet ex *Gal. 1. aphor. 12.* vbi scribit febrem tabis ob suppurationem in pulmonibus quotidie, ac præcipuè ad noctem habere accessiones, quod

non de hectica quæ vniformis, sed de putrida est intelligendum; quod si forsan dicatur febrem qua Phtysis combinatur semper hecticam esse, dicerem cum doctiss. *Claudino* duplicem esse febris hecticæ sortem, alia enim est ea quæ per se fit, eaque verè morbus dicitur, estque vniformis, non sentitur ab ægro, in ea calor per vnam, vel alteram horam à cibo proculdubio augetur, & aliis similibus notis a *Gal.* descriptis circumscribitur.

Alia verò est hectica per accidens, & veluti symptomatica, quæ sanè a conditionibus hecticæ per se cadit, ac proindè accessiones, ac putredinem pro sui caussa habere potest, quæ propriè in Phtysicis non modo legitimis, verum etiam spuriis obseruatur, ratio inde patet, quia Phtysici legitimi, qui ob destillationem materiæ pituitreæ a capite in partes spiritales continuò patiuntur, quæ materia cum maximè ad noctem continuo moueatur, necessario sequitur vt illorum febris quotidie etiam, & ad noctem habeat accessiones, hancque febrem *Fernell. 4. de febr. cap. 16.* nobis sub nomine hecticę symptomaticæ proposuit; & quamuis huiusmodi febris in nostro languente possit admitti, non ob id putuita explodenda, non ea tamen in qua partes vel membra computrescant, nimirum ob continentia, sed potius ob contenta, quæ quoniam duo ab *Hip.* statuuntur, bilis nempè, & pituita, ob id ipse quoque ad eosdem humores refero, sed potissimum ad pituitam putrescentem, quæ accessiones manifestas quotidie peragit, & circa vesperas; quamuis non ob id plures diarias denegarim si tamen breue adfuisset tempus, quod cum biennale existat, eas videtur excludere; putrida ergò febris admittenda hecticæ coniuncta; vt patet ex acri calore, aliisve quæ supra retulimus, & potissimum ex ingrauescentia à cibo, quæ sane eatenus in hecticis adest, vel quia arida membrorum caliditas humidam alimenti substantiam exhalare facit, quod affirmare est visus *Gal. 1. de differ. febr. & 2. prognostic.* adducta calcis siccę similitudine quæ aqua profunditur, quod quidem *Auenr. 4. collec.* non arridet, vel quia a cibo membra calidam acquirunt intemperiem, quoniam quod nutritur alimentum sibi assimilat, vt idem *Auenr.* sentit vel quia hecticorum calor augetur sicut accrescit flamma olei superadditi copia, & frixio sartaginis aqua super eam affusa, vt *Auic. p. 4.* vel quia ob coctricis debilitatem, multi vapores iisque crassi in corporis habitum circumferuntur, eumque occludentes maiorem excitant calorem; vel quia propter calorem febrilem in corde rorida humiditas efferuescit, & procedente febre incipit etiam absumi, ob quam necessitatem dum cibus est absumptus, portio liquidior & tenuior, antequam totus cibus in Iecur distribuatur perducitur ad restaurandum id quod absumitur, vnde calor cordis augetur, vt calor fiat inæqualis; & per consequens fit sensus caliditatis, (vbi enim inæqualitas, ibi sensus caliditatis, vel quia hecticus calor habitualis cum sit) more naturalis conuertitur ad conficiendum alimẽtum, & ideò in maiorem subiecti quantitatem extensus augetur, magisque corpus calefacit, duratque actio, quousque nutrimentum sit distributum, ac discutiatur, quod *Mercato* satis arridet quomodocunque tamen sit huiusmodi affectum quo premitur noster languens incurabilem esse crediderim; idque dupliciter, primo quia vlcus habemus in pulmone, secundo quia hecticam habet consocialem; cæterum quoniam benè asseruit *Auic.* nonnullos absque spe miserabiliter persanari, vndè illud *Phyl.* est axioma, tunc scil. maximè Deum adesse, cum hominum auxilia desunt, soletque nõ

rarò inopinato, ſalus accidere, ideò à medica ope non excludendus ægrotans eoque magis, quia *Arcæus cap. 8. de febr.* refert multos transfoſſo thorace; nec non etiam & vulnerato pulmone conualuiſſe, ex quib. infert ſi è magno vulnere pulmonum incolumes euaſere, cur non non ab vlcere? ſic *Rulandus cap. 25. lib. 3.* refert ſe cuidam vulnerato pulmonem abſcidiſſe, ac loco abſciſſionis ſanguine circumciſæ cutis confortato, & tàm puluere rubeo, & alijs adiutorijs fræquenter procurato conſolidatum eſt vulnus, & ſanatus eſt æger. ſic multos refert *Arcæus* ſe tabidos curaſſe febre etiam continua laborantes ſic *Ingraſſ. in conſil.* pro fiſtula pectoris Illuſtriſs. Ducis Terræ nouæ refert magnificum Auguſtinū de vrbinate ex confirmata Phtyſi liberaſſe; ſic *Eraſtus diſputat. Paracelſic. par. 4. pag. 210.* hæc habet: *Dicam aliquid incredibile; ſanitatem reſtituit Deus aliquibus Phtyſicis meo vtens miniſterio, quos abundè conſtat vix dimidios pulmones retinuiſſe, niſi tales inæquali pulmonum affectu laborauiſſent quis eos ſanari potuiſſe putet? Raſis 4. contin.* hæc habet: *Ego vidi huiuſmodi vlcera pulmonis nimis prædominari in Peripneumonia, & curata fuerunt perfecta curatione; & vidi naſcituram in pulmone coadunatam, ſpuentem ſanguinem, & deinde ſaniem, & ſanata eſt tamen in puero quinque annorum, Valeſc. de Taran. lib. 3. cap. 2.* alios Phtyſicos deploratos curatos ſe vidiſſe teſtatur: quinimò ego poſſum id etiam multis experientijs comprobare, ſed potiſſimum ex hiſtoria ad Reuer. Domini Marci Antonij Perellę Patritij Aquilani meique conſanguinei, qui vulnerato thorace, ac in empyema ſanguinem commutato, tandem in verata Phtyſim, vt patuit ex ſputo purulentiſſimo, ex ſanguinis eiectione, ex incredibili macie, ex fętore, & ex capillorum defluuio multa à me adhibita cura, tandem perfectè conualuit: cæterum non ignoro rara Artis non eſſe, tamen a curationibus abſtinere impium eſſe crediderim, quam a quattuor inchoari deberi dicerem, nimirum a deſtillatione a puris repurgatione, & tandem ab vlceris conglutinatione, vt a febre, & macie; Deſtillatio quæ a capitis plenitudine fouetur euacuationem indicat, exſiccationem deſiderat, vnàque reuulſionem, propt. quāuis pluries purgationem inierit, cum adſint δυσκρασιαι denuò generantes materias proindè ad epycraſim ſeruandam, non inutile erit iterum corpus quibus ſcatet humoribus expiare; quamuis non ignorem *Mercatum* ſibi hanc proponere difficultatem de purgatione in tabe; eamque tunc vtique admittere, cum videl. tabes ſiue cum vlcere, ſiue ſecus, vel ex fluxione capitis, aut totius corporis prodeat, vel ex cauſſa quæ aut tumorem ſuppuratum efficiat, aut continuum ſoluat originem trahat in his profecto, quibus fluxio acrium, mordacium, & exedentium humorum adiuncta eſt, maximè ſi ſuccorum accedat ebullitio, & efferueſcentia, non omninò poſt habita conſumptionis indicatione (nam exquiſita tabes in his quibus adhuc fluxio perſtat, vacuantia admittit, ſed ſolum reuellentia) purgare tutiſſimum eſt; *Senner.* dixit humore ſiue in toto corpore, ſiue in capite cōſiſtentes, & ad pectus affluentes eſſe euacuandos, corpuſque à cacochymia liberandum; ſi enim cacochymia in toto adſit, & humores affluentes malum augeant, febremque grauiorem reddant, ac tabes nondum ſit confirmata lenia purgantia, quę ſimul thoraci, & vlceri prodeſſe & fluxionem humorum auertere poſſint. *Capiuacc. lib. 2. ſua pract.* dixit ſe aliquando fuiſſe Venetijs & Phtyſico præſcripſiſſe oxym. ſimpl. vnc. 1. & tantundem mell. roſ. vt detergeretur pituita in ventriculo exiſtes, cęterum caſuali Pharma-

copo-

copolæ errore contigit vt vnc. 10. misisset, verum cum ægr. dr. 8. solum sumpsisset, quamuis molestiam excitasset, postea ita descendit pituita in intestina, ità fuit excreta, vt omnia symptomata mitigarentur; *quare* (subdit *Capiuacc.*) *oportet Medicos esse audaces nonunquam sic Auic. etiam in Phtysi caussa totius exhibet pillulas cocchias, communes practici non exhibent, & male faciunt*: cæterum vt dixit *Mercatus*: *satius est tentando curare, quam temere curando laborantem maiori periculo exponere*: quamobrem reiecta *Capiuacc.* opinione leni aliquo vterer medicamento, idque non aliter nisi vt alia possimus adhibere medicamenta, sic *Hippoc. liber. de loc. in hom* dixit: *Qui tabe affectus est, ei purgandum est caput debili medicamento*, vterer ergo rhabarb. torrefacto, cum insus. ros. & sero caprino vt amat Senner. vel conseruam ros. adhiberem cum portione rhabarbari; interim ad exsiccandam fluxionem accederem, nam vt ait Hip. 3. de mor. tex. 23. Caput quoque resiccato, vt nequid influat, pro quo explendo scopo multi multa dicunt, *Erastus* summè commēdat lignum Guaiacum per duos tresue menses cuius quoque opinionis est *Fracastor. Phylippus Ingrassias. Alfonsus Ferrius, & Saxonia*, ego tamen chinæ vsum commendarem in iure consumpto, cum portione sandal. citrinorum & ligno de vis. querc. adiectis in fine ebullit. herbis cephalicis, & pectoralibus; nam ità leniori incedemus medicamento, eoque aptiori ad vires refocillandas, & ad maciem resarciendam, doctissimus *Saxonia* sequens decoctum proponit, quod mihi valde arridet: ℞. chinæ vnc. 1. infund. in aq. lib. v. 1. deinde ℞ hordei mundi m. 5. amyli, traganthi an. drach. 2. sem. acetosæ, plantag. an. drach. 1. sem. melonum mundat: vnc. 5. nucl. pini, pistac. an. vnc. 1. ſ. car. testud. nemor. vnc. 2. ponantur quæ imponi possunt in ventre optimæ pullæ, omnia simul bull. vsque ad perfectam carnis cocturam, & facta omnium expressione ius hoc exhibeatur spatio triginta dierum: Pro auersione non inutile erit cucurbitulas, frictionesque adhibere, nec non etiam & fonticulos ponere, vel in occipite, vel in bracchio, nam ab illo fieret euacuatio, ab hoc deriuatio; scio à multis commendari in syncipite, quem *Montanus consil.* 36. pro nob. Veronense, 142. & 170. *Mercur. tomo 3. consil. & post hos Fabius Pacius in comm. de meth. med.* detestati sunt, sicut & *Zecch. in suis consil* & *Septall. in suis animaduers.* De sanguinis missione nihil habeo vt proferam, nam quamuis, *Hipp. p. de morb.* dixerit: *Patitur quæcunque in suppurationibus dicta sunt, conducit autem talibus si ab initio curandos suscipias, vt & venę de manibus sanguinem emittant, & diæta sit quam siccissimus, & exanguis fiat*: subdit *Mercatus cap de Phtysi*: *quibus euidenter constat verendum non esse sanguinem detrahere, viribus ferentibus, aut omninò non collapsis*, & infer. ait: *quo casu tutius sum arbitratus vbi id non audemus, vel aliquis renuit, cucurbitis, frictionibus, & alijs præsidijs fluxionem potius auertere, quam cum graui discrimine grande auxilium tentare*: cum hoc tamen prædictis casibus non omnino est à sanguinis detractione fugiendum incipiente tamen malo, & dum tabitudo adhuc sub dubio est: cum autem secus in nostro casu contingat, & ab initio fuerit sanguis missus tum ex bracchio tum per hyrudines ideo ab omni sanguinis missione ægrum arcerem: Pro interceptione materiæ, & abstersione præter sacch. ros. tantopere ab auctoribus commendatum, vterer pillulis bechicc. vel Diacod. in tab. cum bolo arm. Ad hunc vsum refertur Pulius *Haly de Regali dispositione*, quæ prodest vlceri pulmonis, & tussi secundum ipsum, ℞ papau. albi drach, 10. gummi Arab. amyli, Drag.

an.dr.3.sem.portul.sem.maluæ an.drac.v.sem.cucurb.& melonum, cucum.
&.citruli,sem.cydon.mundat.an.drac.vij.spodij,succi liquit.an. dra.3.peni-
diorum ad pondus omnium,f.pul.dentur quotidie de mane vnc.2. cum syr.
de papau.vel cum syr.iuiubarum, subdit Haly: *sine dubio iste puluis, est exper-*
tus,& probatus,viuit Deus: Ad abstergendum vlcus in pulmone *Senner.* laudat
aquam saccharatam,vel mulsam,*Saxonia* laudat loch de pino, de pulmone
vulpis,sanum,& exper.sicut sequens remedium: ℞.mellis opt.dr.3.aq.com-
munis lib.2,botridis,pulmonariæ,enulæ,hyssopi an.m.s.ireos, lup.an.dra.2.
bull.ad consumptionem tertiæ partis despumando ipsum mel,. deinde
vtendum hac mulsa ad mundificandum vlcus; ptysana etiam commen-
danda,cum habeat virtutem vires resarciendi,pectus abstergendi,maciem
tollendi,& febrem eneruandi; in quem vsum quoque non desunt qui com-
mendant lac,sic *Gal.* dixit: *Thoracis autem ac pulmonis partibus lac omne est vtile;*
constat enim ex *Homero* (vt ait *Mercatus*) tanti esse momenti lactis vsum vt
plerasque gentes solo lacte vixisse, & hodie pariter viuere Galactopotas,
aut Galactophagos dictos scriptum sit, vt propt.tria beneficia conferre di-
xerit idem *Mercatus* pus scil.abstergendi,vnitatem solutam coniungendi,&
tandem partem, aut vniuersum corpus reficiendi; verum adnotandum
quod si abstersione opus habeamus vtamur Asinino lacte, aut caprillo, eo
quod sit magis serosum; ouillo, aut vaccino cum refouendum; aut cum a-
qua pluuiali cocto ad conglutinandum; si tamen lac muliebre noster æger
assumeret;melius esset,propt.quod omnes expleret indicationes,& abster-
gendi,& conglutinandi, & etiam reficiendi; pro qua pariter indicatione
explenda iura alterata commendanda cum sacch.ros.viol.scabiosa, capill.
ven.rubo,arbuto,lentisco,borrag.melissa,endiuia, & similibus addita hor-
dei.portione, & quatt.sem.communibus maioribus; quod si maioris refe-
ctionis caussa vti velimus aqua quę à *Ioanne Michaele Paschalio* probatur non
mihi absonum videretur;vt ℞.fol.lactucæ m iij.capill.ven.m.i.hyssopi m.1.
liquir.recentis vnc.3.pulmones duos hirci,aut vituli,pulmonum vnum vul-
p.s si reperiatur, carnis cancrorum f.a. paratæ vnc.4. carnis testudinis ne-
moralis carnis limacis bene paratę an.lib.5. carnis ranarum bonarum vnc.
4.sacch.cand.vnc 8.pul.diatraganthi frig.vnc. 3. boli arm.pręparati vnc.2.
f.ex his omnibus aqua instrumento vitreo, & igne paruo,de qua quolibet
die summo mane sumat vnc.4.cum pauco sacch. quod si huiusmodi aqua
non arrideat, vterer confectione in morsellis præstita cum carn.testud.li-
macum,cancrorum fluuiatil.additis bolo arm.cornu cer. vs.sandal.& sac-
ch.vnum circa hoc adnotat *Sennert* quod crederem desumpsisse a *Petronio*,
circa vsum testudinum,& aliorum animalium,dicitque quod cum hæc ani-
malia sint crassæ, terreæque substantiæ; & proindè non nisi crassum, ter-
reum,& vitiosum succum generent,ob id parcè cum alimentis miscenda,
sunt etiam nonnulli qui ad corpus humectandum balnea aquæ dulcis te-
pida adhibent, verum (vt ait *Senner.*) id potius hecticis simpliciter, quam
Phtysicis conueniunt.

Quoad victus rationem, cibi sint boni succi,& facilis coctionis; & multi
nutrimenti,cuiusmodi ait idem auctor parantur ex hord.auena, amygda-
lis,alica,amilo,& oryza,sic Saxonia loco ferculi parare solet hordeaceum
quoddam hoc modo.℞.farinæ hord.lib.3. sacch. finissimi lib.totidem, Im-
ponit hæc in olla noua,primo partem farinæ imponendo, deinde partem
sac-

facch. & sic vicissim, (quinimò aliquando ait commiscere puluerem aut salsæ, aut rad. chinæ, aut pulmonariæ, aut botridis omnium vnc. 5. i. olla ipsa iam operta pasta cruda imponitur furno spatio nouem dierum, singulo die manet tantum quartam horæ partem, ex illa mixtura simul cum iure optimo ferculum fit mane, & vesperi, quo solo Phtysicum sanasse religiosum Venetijs degentem gloriatur; cæterum ego *Galeni* normam sumerem 7. *meth. cap.* 6. vbi ait in ijs qui refectione egent non posse dari alimenta admodum nutrientia, quia facultatem coctricem debilem habent, neque etiam ea quæ facilè coquuntur, cum eadem non sint admodum nutrientia, proindèque in hæc verba erumpit: *Cum igitur hæ duæ indicationes ex aduerso pugnent, committendum non est vt dum alteri nimium sis intentus, alterius omninò obliuiscaris, sed vtriusque memor, quoad liceat, vtrumque misceas:* Vinum conuenit sed bene dilutum, & inter carnes probantur aues, carnes hædinæ vitulinæ & similes verum noctuas Athenas gero, dum de victus ratione loquor cum viris doctissimis, de aeris mutatione à nobis dicendum esset quam tanti faciendam esse docuit Galen. qui omnes Phtysicos ad Tabias mittebat, ideòque vt eum ad aerem proportionatum mittatis summè quidem probarem; atque hæc habui, viri doctissimi, quæ currentissimo calamo dicerem, vestræ sunt partes vt quid sit agendum diiudicetis.

PRO PERILLVS. DOMINA Matrona Leonissana Peripneumonia laborante.

CONSVLTATIO L.

Peripneumoniam plus periculi quam doloris habere explanauit elegantissimus *Celsus*, vt proindè haud habeam vnde mirari si nostra languens acutissimo morbo fatiscens, exiguum circa pectus dolorem habeat; non enim pulmo est admodum sensibilis, (quamuis in meo libello de sede pleuritidis affecta probarim illum quoquo pacto dolere vel per se, vel per accidens.) quinimò *Auenr. lib.* 3. *collect. cap.* 30. pulmoni validam concessit sentiendi vim, non ob id ille læsionem in nostro casu excludit, nam si ex *Sorano Ephesio* duo potissimum sunt signa quasi pathognomonica pulmonis oblæsi difficultas nempè respirandi, & genarum rubor, dicendum affectum quo premitur nostra languens esse Peripneumoniam, cum ambo symptomata adsint, difficulter enim spirat, & genarum rubor adest; hic vt ait *Duretus*, quoniam pulmonum ἀναθυμιάσις tussiendo expressa ibi subsistit propter angustiam venularum maiorum ναυσιοσιν excipientium, quæ non expirat; præt. rubor faciei subdit *Iacot.* inflammato pulmone, & calido humore multis vaporibus in caput elatis, qui replent cerebrum, atque interdum phrænitim faciunt, semper verò faciei ruborem inuehunt, imò in omni vehementiori spirandi difficultate rubere facies solet: hoc significauit *Auicen.* 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 11. de signis Peripneumoniæ dum sic ait: *Et quandoque communicat ei in extensione, & repletione faciei totius, & apparent in vtrisque maxillis rubedo, & inflatio propter illud quod ascendit ad eas ex vapore propter carnositatem earum & raritatem ipsarum, & non sunt sicut frons in cute sua, & quandoque vehemens*

fit

fit rubedo, donec similetur tincto, quod symptoma *Zacutus* vt pathognomonicum non admittit, nam aliarum partium inflammationem genarum ruborem pariter inuehunt.

Difficultas anhelitus pendet non ex alia caussa quam scil. ex angustia bronchiorum pulmonis, vt bene probat *Senner. lib. 2. part. 2. cap. 3.* angustiam autem illam oriri statuit non a quacunque caussa, sed vel ab obstructione, vel compressione pertinaci, vtrumq; enim obstructionem scilicet, & compressionem efficiunt primo humores sæpe crassi, & viscidi, nonnunquam tenues, & serosi, sed copiosi; quod expressit *Mercatus lib. 2. suæ praxis cap. 7.* dicens pulmonum inflammationem fieri ab humore non ad vasa hæc, aut illa confluente, ibidemque immorante, sed ad carnea spatia, quæ cum laxa admodum sint, ob carnis mollitudinem, & spongiositatem facilem humorem à vasis exsudantem susceptant. Quod sanè expressit *Gal. lib. 4. de presag. ex puls. cap.* 12. dicens: *quia laxum & molle viscus pulmo est, & vndique vacuum, à pituitosiori, atque crassiori sanguine inflammatur, cum subtilis, biliosusque fluat ferè, neque cum viscere vlla ratione cohærere valeat:* quod *Galen ab Hippocr.* desumpsit aiente *lib. de loc. in hom. Pulmo tanquam natura rarus, & siccus, trahit in se humorem, vbi attraxerit maior fit, vbi verò in totum fluxerit extremitas eius vtrumque latus pulmonis contingit, & Peripneumoniam appellatum morbum facit*; quod expressit etiam 1. *de morb. tex.* 24. aiens. *Peripneumonia fit, cum commota, ac calefacta pituita, ac bile, pulmo præ caliditate traxerit in se ipsum de vicinis locis ad ea, quæ iam sunt in ipso, & percalescit quidem totum corpus, ac dolorem exhibet, maximè autem dorso, & costis & humeris ac spinæ; nimirum ab his in se ipsum attrahens plurimam humiditatem, & superexsiccantur hæ partes, & nimium calescunt*; Et meritò siquidem coarctata illa materia morbum facit inflammatorium, cum materia constricta vt volebat *Arist.* & cum eo *Theophrastus* facillimè incandescat: ideoque *Herophilus* dixit *lib. de Passion.* & cum eo *Demetrius* Peripneumoniam esse tumorem in toto pulmonis corpore quam quidem materiam pulmo à capite recepit refrigerato ob immodicum aeris ambientis frigus, quod experta est languens, vnde expressa a capite fluxione vi frigoris inque pulmonum parenchyma fluitante orta est Peripneumonia, atque ob id *Hippocrat* dixit *lib. de affect. tex. Fit autem hic morbus, cum pituita aceruatim ex capite ad pulmonem fluxerit*, qua de caussa *Aliabbas in praxi* dixit: *Et hoc apostema aliquando fit a materia sanguinea, aut cholera quæ ad pulmonem incurrit, nonnunquam à catharro à capite descendente*: dum enim ille in pulmonem descendit, ibique moram traxit, incalescens inflammationem accendit, & inde fecit Peripneumoniam: quod innotescit primo ex doloris sensu, qui in nostra languente hebes admodum existit, ac potius grauitatis sensum quendam persentit, quam aliter; secundò ex difficultate spirandi, tertiò ex pulsu molli, quartò ex humida tussi, quintò ex febre, quæ omnia symptomata refert *Hippo.* in historia Polycratis vxoris *7. epid.* Febrem *Mercatus* dixit fortiorem esse in Peripneumonia, quam Pleuritide, ob cordis viciniam. *Iacotius* ob fuliginem sanguinis putrentis. Humida est magis tussis vt vult *Mercatus* cum in vijs maior est redundantia, ego tamen dicerem id fieri, quia pulmo est propinquior arteriæ qua fit ἀναγωγε, ac præt. latior est pars, & magis spongiosa apta ad eijciendum, & ad recipiendum, ea enim materia, quæ est in pleura indiget primò vt è meninge transudet, deinde excipiat, transumatque pulmo, ac tandem hic tussi eijciat; sicque meritò dixit *Iacot. 1. Coac. Expuunt semper aliquid ob laxitatem par-*

 tis

tis affecta, à qua semper aliquid resudat, Pulsus est mollis non ratione partis affectæ vt voluit *Zacutus*, & *Mercatus*, sed quia fit à sanguine pituitoso, cuius caussa fit mollities in pulsu; quamuis *Petrus Salius* id videatur referre ad partem affectam (in eo tex. vbi aiebat *Hippocrat. morbi lethargi appellati modus idem est, qui & peripneumoniæ*,) & ad humorem pituitosum. Difficultas spirandi non aliunde manat, quam oblæsis bronchijs pulmonum, & arterijs, quæ quidem difficultas orthopnæam emulatur vt vult Saxonia, differtque à vera orthopnæa febre, spiratione calida & celeberrima; quam tamen adeò difficilem spirationem orthopnæam æmulantem non annumerat *Hippoc.* dum ait; *Huiusmodi sunt, quæ facit Peripneumonia, nam febris acuta exercet ægrotum, ac spiritum crebrò ducit, calidumque expirat, &c.* dicit enim spiritum crebro ducit, sed non orthopnϵæ more: quare vult *Hippocrat.* significare in Peripneumonia esse validiorem difficultatem anhelitus, quam in Pleuritide.

Dolor præt. hebes cernitur, quia oblęditur pars carnea, non autem membranosa quæ solet acutiores dolores pendere, vt censet *Mercatus loc. cit.* Cæterùm, an vna pulmonis ala in nostra languente obladatur, vel duplex id etiam est consideratione dignum; scio enim in peripneumonia ambo latera oblædi ex *Hipp. lib. de loc. in hom.* nam *Senner.* dixit partem affectam interdum essa pulmonem secundum vnum lobum vel alterum, interdum secundum totum; cæterum tunc dicetur secundum *Hip.* Pleuritis, quia vnum latus nunc Peripneumonia quia ambo latera afficiuntur, quamuis doctissimus *Martianus* sibi difficultatem pronat, qui scilicet fieri possit vt Peripneumonia totum pulmonem oblædens possit etiam vnam tantum pulmonis partem oblædere.

Respondet *Hippoc.* quando dixit Peripneumoniam totum pulmonem offendere voluisse significare tanquam quid communiter contingens, & ob similitudinem symptomatum, ita ut quantum peculiare est peripneumoniæ vtrumque latus occupare, tantum pleuritidi conueniat vnum tantummodo latus esse affectum, quamuis apud veteres variæ partis pulmonis statuantur oblesæ in peripneumonia; sic *Diocles* venas pulmonis, *Erasistratus* arterias stabiliuit læsas, *Praxagoras* eas partes pulmonis laborare statuit, quæ sunt spinæ coniunctæ, si verò febrem inquit fuerint passi pleuritim facit. *Asclepiades* eas partes pulmonis pati dixit, quæ arteriæ sunt adhærentes, quas appellant bronchia, *Apollonius Herophilus* pulmonis venas, & arterias pati autumauit. *Soranus* aut totum corpus dixit laborare, sed pulmonem vehementius: quicquid tamen sit Peripneumoniam *Hippoc.* agnosci posse dixit ex lingua vt in *Coacis* habetur: *Quibus Peripneumonicis tota lingua fit alba, & aspera, pulmonis ambæ partes inflammantur, quibus autem dimidia, tantum illa pars quæ spectatur, & quibus ad vnam clauiculam dolor est, vna supera pulmonis ala ęgrotat quibus autem ad ambas clauiculas dolor vrget, ambę superæ pulmonis alę laborant, & quibus circa mediam costam ibi, & media, quibus autem circa septum transuersum infera quoque at quibus dimidia pars tota pulmonis obsessa est phlegmone omnia quæ adiacent ei parti laborant*: quare *Duretus in comm.* dixit Peripneumonica epyphenomena lucent in lingua: *lingua* enim ex *eodem Hippocrat. in epid. lotium significat*, quare si ex symptomatis quæ epyphęnomena dicuntur innotescit & Peripneumonia, & sedes affecta, dicendum quod cum lingua tota sit alba, & ad ambas clauiculas dolor tendat pulmonem esse oblesum

secun-

secundum ambas superas pulmonis partes; hocque fortè voluit asserere *Valles.* pariter quando dixit *7. epid.* linguam semicandidam, semipallidam, qualis esse solet Peripneumonicis fuisse à principio, secundum naturam redundantium humorum fiebat; quod desumpsit ab *Hippocrat.* pariter in epid. aiente: lingua concolor redundantiis: sic idem *Hippocra.* in *historia Ermoptolemi 7. epid.* de peripneumonia loquens dixit: *lingua autem peripneumonica*: subdit *Vallesius* in historia alterius peripneumonici: *Fit verò plerisque Peripneumonicorum, crassa, et excrementosa, humidaque qualis in nostra languente cernitur*, quam etiam *Hipp.* adnotauit in historia Cydis filii vt adnotat etiam *Iacotius*; quare non est ad dubitandum nostram languentem Peripneumonia affici orta ex capitis destillatione vt dixi; quæ quamprimum curanda, & bene; ideoque *Hippoc.* in acut. laudat maximè eos Medicos, qui præ reliquis sciant curare hos morbos qui plurimos homines occidunt.

Quales sunt vt reor Peripneumonia, Pleuritis, & febris ardens; hos enim acutos dixit, qui celerrimè mouentur, & cum periculo, & vt de Peripneumonia loquar, quis non dicet hanc esse periculosam, & quia lædat partem principem qualis est pulmo, & quia secundum suam naturam talis, ob idque dixit Hippoc. de pulmonibus loquens: *Hi fontes sunt humanæ naturę atque hi flumina sunt quibus totum corpus irrigatur, et vbi resiccati fuerint homo moritur*; atque ob id bene dixerat *Sennertus* Peripneumoniam esse pleuritide deteriorem, quia pulmo præstantius viscus est, cordique vicinius; cæterum quia ab initio sputum apparet, illudque criticum extat, quia dolorem lenit, vnde dixit *Hippoc.* in *Coac. omne porrò sputum soluens dolorem bonum est, non soluens malum*, & quia febris non est admodum valida, sicut neque anhelitus difficultas ideo de eius salute non desperandum, eoque magis quia sputum est bene permixtum, idque eo potissimùm quia languentem habemus Medicorum iussibus obsequentem; *qui vs enim intemperans, horrendum*, dixit *Senex*, vnde quam primum ad curationem deueniendum, quæ quidem suis indicationibus perficitur, nam cum à destillatione pendeat, eadem auertenda, quæ verò affluxit, euacuanda; quod consuluit nobis *Hippocr. 3. de morb.* aiens: *Cæterum Peripneumoniam hoc modo curare oportet, non tamen peccabit si quis etiam Pleuritidem, & Phrænitidem item curare aggrediatur*: *Primum caput leuius facere incipe, quo nihil influat ad pectus*; quamobrem statim venam basilicam secarem, vtriusque bracchij cum ad vtrasque partes dolor pertingat, sed per interualla, ne vires destruantur, quæ in morbis pectoris maximè requiruntur, cum in illis *Gal* reposuerit thoracicorum affectuum salutem; quod intuens *Mercatus* dixit: *Quapropter etiam si sanguinem liceat mittere, non tamen copiosè, ne subsequatur animę defectio, quæ in his profectò qui suffocatione periclitantur est maximè vitanda, tum vt iterato possit mitti sanguis, tum etiam vt vires eductioni sputorum sufficiat*, eoque magis id in nostro casu faciendum, quia sumus in inflammatione facta à pituitoso, frigidoque humore; tamen in hac etiam mittendus est sanguis ratione inflammationis, quæ maximè sanguinem amat; qua etiam de caussa dixerat idem *Mercatus lib. 2. In nullo enim vitanda est omninò sanguinis detractio ob impensum sanguinis, vel alterius humoris defluxum, quem ob mille caussas ad eam partem fieri potius, quam ad aliam comperimus, itaut maius periculum necessario sequatur ex non misso sanguine, quam si extrahatur adhuc frigida existente caussa*: sicque *Asclepiades* reiicitur à *Sorano* qui in Peripneumonicis phlebotomiam excludit, cum nullo dolore ægro-

 tan.

Non ad eam ... occidant ... in pulmone

tantes afficiantur, & propt. si fuerit adhibita ex initio sanguis tenuis atque subtilis exire videtur; sed eius errorem detegit *Soranus*, neque enim ait solos dolentes phlebotomandos accipimus, præterquamquod ipsemet *Asclepiades* dixit quosdam Peripneumonicos dolere: quod tamen vt futile reijciendum, non enim solus dolor sanguinis missionem admittit, sed febris, inflammatio &c. ex qua tamen parte mitti sanguis debeat à multis dubitatur; non enim desunt qui dicant semper è sinistra parte feriendam esse venam, nam ab hac facta venæ sectio pulmonum inflammationem reuellit, pariterque deriuat, quandoquidem pulmonum venæ ex dextro cordis sine prodeunt, hic autem in sinistrum parietem venæ cauæ inseritur, qui per alam sinistram in cubitum excurrit *Zacutus* tamen dixit esse seruandam rectitudinem partis, si enim in latere dextro sit grauitas ab interna dextra si in sinistro ab interna sinistra si viseris ipsius medium sit inflammatum, vel parenchyma totum primo à dextro, deindè a sinistro, si vires ferant, sanguis est detrahendus. De purgatione non leuis est controuersia, nam cum agatur de pulmonis inflammatione nulla videtur conuenire purgatio, iuxtà illud *in acut. tex. 36. quicunque vero ea qua inflammata sunt statim ab initio soluere medicamento conantur, hi de intento quidem ac inflammatio nihil auferunt, non enim remittit affectio quæ cruda est, quæ vero morbo resistunt, ac sana sunt, colliquefaciunt*: Cęterum vt libere fatear quicquid sentio cum languens expuat, & cũ cõferentia & tolerantia nullũ adhiberẽ pharmacũ, cum istud sputum supprimat ex *Hippoc. lib de morb.* sic *Auic.* improbat humorum purgationem in hoc affectu, quia exagitatur furiosius motus humor, & vlterius cõfluit in affectum locum præter quam quod ab eo qui in parte inflammata continetur nihil trahit medicamentum. Præterea cum anacatharsis sit propria huius morbi crisis pharmaco impediretur; atque hoc voluit *Hipp.* cum dixit, *3. de morb. Si vero pro ratione spuere non possit, ex pharmacis sursum educentibus dato, aluum autem in primis quattuor, aut quinque diebus subducere oportet, & hoc paulo amplius, quo & febres obtusiores sint, & dolores leuiores*: primo supponit non adesse sputum, secundo non pro ratione materiæ morbificæ, quod patet quia *3. de morb.* dixit de Peripneumonia loquens: *quod si non ab initio ægrum curandum susceperis, sed signis iam in lingua existentibus sinere oportet donec iudicationes præterierint, & linguæ signa mitiora facta fuerint, & neque ad purgationem faciendam clysterem adhibueris*. quare si sputum vel appareat, & sit pro ratione materiæ morbificæ nullum dandum est medicamentum si aut secus contingat aliquod leniens dari tunc temporis oportet, & quamuis dicat, & hoc paulo amplius, intelligere voluit quod moueat, sed non multum: hoc enim pariter voluit intelligere, quando dixit vtendum esse medicamento forti debili, forti scil. quod moueat & promoueat debili quod vires non debilitet; debile enim medicamentum non tanget materiam peccantẽ, sed antecedentem reuellet; quod si clysteribus incedamus non erit malum; Interim ad pectus deueniendum est, ac exiguus ille dolor sedandus, nec non etiam materia per anacatharsim repurganda; quoad dolorem solent fieri fotus, quos *Hip.* nedum in pleuriticis commendauit, sed in omni corporis dolore inquiens: *In quacunque corporis parte fuerit dolor tepefacere oportet, nam bilis, & pituita siquidem compacta fuerint, fortia sunt, & præualent, diffusa verò debiliora*; doctissimus tamen *Saxonia* eos improbat, nam vix aliquid à pulmonibus digerere possunt, sed materiam à pulmone in pleuram ducere,

re, vt propter transeat affectus in Pleuritim, quod si fotum nolimus adhibere, poterimus parare inunctiones ex oleo amygd. dulc. & chamomelino, cum veruecis omento applicita; ab vsu repercutientium omnino abstineiem, quæ quamuis Senner. probet in peripneumonia biliosa, improbauit prius *Saxonia* eo quia reprimatur materia à partibus externis ad pulmones; quod etiam asserit *Galenum* 11. *meth.* 17. quicquid tamen sit ad repurgandam materiam in pectore stagnantem animus est reuoluendus, eoque magis quia nostra languente sputum incipit apparere; ideoque dixerat Senex: si vero pro ratione spuere non possit, & ex pharmacis sursum educentibus dato: qua de caussa eclegmata exhiberem ex syr. de hybis, & aqua scabiosæ; Prodesse etiam poterunt quæ fluxionem intercipiant, qualia sunt facch. ros. violaceum &c. Atque hæc possunt pro tempore adduci, interim consilium capiemus in arena de diæta nil dicam, cum sciam a doctiss. curantibus institui.

PRO PERILL. DOMINO MARCO ANTONIO CASSIANO à Monte Reali pleuritide laborante.

CONSVLTATIO LI.

NOn immerito *Gal.* dixit *comm. p. in p. epid. At continens nos aer, si immoderatiùs calefiat, vel frigescat, vel humescat, vel siccescat, corporum symmetriam qua sanitas est confundit, interturbat, & corrumpit*: vndè iure infer. subdebat: *Non enim fieri potest quin corporum animantium temperatum cum eius permutatione afficiantur, ac permutentur*, idque contingere in nostro languente animaduertimus, qui cum aerem frigidiorem experiretur, flaminibus ac ventris agitatum, influxionem incidit rheumaticam (nam vt bene *Iacchinus* asseruit *cap de Pleurit. Fluxionibus gignendis occasio est tum externus calor fundens, tum frigus exprimens*:) quæ in pectus illabens pleuritidem excitauit (nolo hic disceptare An pleura, an pulmo sit pars affecta in pleuritide, cum libellum de sede pleuritidis affecta composuerim, quo viginti argumentis statuo vnam pulmonis alam esse Pleuritidis sedem, poterit is videri, nam forte remanebit probata mea opinio *Herophilus* enim etiam præter *Hippoc.* pulmonem pleuritidis sedem stabiliuit, vt est apud *Cælium Aurel.*) verum dicam communi sensu adesse pleuritidem veram, quæ ab omnibus recipitur; quæ quidem si *Arist.* credamus *est liquida materiæ coctio, siue densatio Apollonius* dixit eãdem esse communiter passionem temporalem atque celerem secundum laterum membranas, quas hypezocotas vocant, atque inter eorum carnem aliquando etiam in pulmonis partibus, sæpissimè sine tumore, vel ex solis caussis effecta; *Asclepiades lib. definitionum* Pleuritim dicit esse humoris fluorem temporis parui, atque celerem interiorum lateris partium cum febre atque tumore, *Soranus* Pleuritim dixit esse dolorem vehementem interioris lateris partium, cum febribus acutis, & tussicula, qua variæ qualitatis liquor excluditur. *Duretus in Coacis* dixit Pleuritidem esse phlegmonem systrophicam tunicæ costis intextæ, quæ consectariam habet doloris punctotiam acerbitatem, siccam tussim, & febrem assiduam; *Gal. lib.* 6. *aphor.* 33. dixit

dixit Pleuritidem esse inflammationem membranæ intus costas succingentis; Iam verò systrophicæ omnis phlegmones duæ omnino sunt caussæ vt dixit *Duretus*, vna rheuma concitatũ siue ὁρμώμενον, altera autem συμπεσατων idest consistens; Consistens est humor exaffluxu collectus qui tumorem facit in parte obsessa, rheuma autem in nostro casu a capite concitatur, tripliciter, vel ob humoris feritatem, & orgasmum, vel ob exclusionem partis potentis, vel ob dolentis attractionem; adderem ego cum *Hip.* ob caput intemperatum, & repletum, vel cum *Fernellio* ob retentricis imbecillitatẽ; caput enim ideò fuit intemperatum in nostro languente, quia expositum aeri frigidiori, & flaminibus ventorum, repletionem autem ideo expertum quia intemperatum, cũ enim neq. quod sibi congruum est apponere queat humores aggenerat excrementitios; qui vi frigoris expressi, inque thoracẽ decumbentes potuerunt in pleura (vt cum communi loquar opinione quamuis contrarium sustineam) phlegmonem concitare ibidem consistente rheumate, nisi velimus asserere hanc pleuritidem fuisse enatam vt ait *Petrus Salius p. comm. de morb. tex.* 24. ob aliam rationem; *frigus enim ipsos meatus constipando, tum caro quę est in latere, tum venæ quæ sunt in eodem contrahuntur, his autem contractis, quicquid in ipsa carne, aut in venis quæ in ipsa carne sunt existit totum secernitur, & ad interiores partes tanquam calidiores, & inde magis laxatas, vt potè exterioribus partibus ex frigore, & rigore condensatis transmittitur, quod vbi in latus transmissum idest, in membrana succingente receptum, & affixum fuerit inflammationem caussat, & vehementem inflammationem ob partis tum sensationem, tum continuum motum, ex qua inflammatione & dolore latus ac membrana illa incalescens à vicinis tum venis, tum carnibus trahit confluentes humores, indeque perficitur, & augescit Pleuritis;* atque hinc apparet ob præcedentem perfrigerationem ab ambiente peractam humores qui per musculos intercostales, & per eorum canaliculos perreptant exprimi in internam partem, & membranam afficere, qua male affecta indeque inflammata consurgunt hæc symptomata quibus noster languens elanguet; quod clarius patet ex *Hip p. de morb. tex.* 23. dicente: *Et cum riguerit. ac perfrigeratum fuerit, tum caro quæ est in latere, tum venæ contrahuntur, & conuelluntur, & quantum in ipsa carne inest bilis, & pituitæ aut in venis quæ in ipsa carne sunt id magna ex parte aut totum secernitur, introque compellitur ad caliditatem carne extrinsecus condensata, atque id ad latus affigitur, & dolorem vehementem exhibet, & percalescit, & per caliditatem trahit ad se ipsam, & vicinis venis, ac carnibus pituitam, & bilem*; sic *Celsus lib. 4. cap* 6. dixit. *Et initium vel ex frigore vel ex ictu, vel ex nimio cursu, vel ex morbo est*: Dicendum ergo vel ex frigore densata cute, & intus remeante, ac in vnum phyma collecta mareria Pleuritidem hanc pręstitam fuisse, illique fuisse succedaneum pathema rheumaticum fluxionem nempè à capite procedẽtem, qua ratione aiebat idem *Salius loco sup. cit.* quod vbi ex occasione externa ortum habet Pleuritis, ad mentem *Hip.* ante inflammationem factam præcedit aliqua thoracis affectio, quæ consistit in illa contractione, & cõuulsione carnis, ac venarum non internarum, sed externarum, & earum simul, quæ per musculos intercostales, & per canaliculos costarum perreptant; vel ex rheumate concitato ac decumbente in pleuram potuisse etiã innasci Pleuritidem, hoc tamen ita distinguendum, nam si absque catharro pleuritis accessit, signum e hanc esse factam vt vult Salius, si autem catharrus præcessit dicendum ex hoc fuisse factam, quod magis credo, cum

videamus

videamus nostrum languentem perenni à capite affluxu torqueri; ortum, vt dixi ex ambiente plusquam par est frigido; indeque dixit *Hip. 3. aphoris. 5*; Contrà si Aquilonia sit tempestas, tusses vigent, faucium asperitates, alui duræ, horrores, costarum dolores, & pectoris; cur autem id fiat, visus est *Gal.* explanasse *3. aphoris. 12.* dicens: *Frigus autem superueniens veluti manus quędam extrinseca, capiens, ac premens cerebrum veluti spongiam quandam exprimit illam, qua in ipso continetur humiditatem*; Cæterum doctissimus *Mercatus*, & cum eo *Zacutus* de hoc obstupescunt, aiuntque impossibile esse vt animal ad tantam descendat frigiditatem ipso viuente vt comprimatur; deindè si concedamus cerebrum comprimi cur solum destillationes orientur, ac catharri, & non alia grauissima damna. *Zacutus* ait id contingere quia cerebrũ ex contactu Aquilonij aeris refrigeratur, & sic contrahitur quasi ad fugam Aquilonaris frigoris, quod vi aeris per nares attracti persentit; ad quam sequitur pituitosi & crudi recrementi in eo præexistentis expressio; cæterum hoc sit obiter dictum, sat sit dicere hanc pleuritidem fuisse enatam ex fluxione cerebrali à frigore concitata; sed scio mihi posse obijci à frigore secundum *Hippoc.* fieri solitas esse fluxiones biliosas, ideòque dixit *Senex &* *præ frigore bilis fit*; quod rependens *Martianus in comm: lib de loc. in hom.* dixit frigus per compressionem fluxiones facere, & ideò à frigore biliosa frequenter excitari, pituita enim sæpe a frigore crassior redditur, & fluxioni inepta, quare etsi vtraque caussa vtriusque humoris fluxionem mouere potest, experientia tamen docet frequentius a caliditate pituitosam excitari fluxionem, dum à calore liquescit pituita, à frigiditate autem biliosam, vt propr. haud mirer si Pleuritis huiusmodi à bile pituitescente fieri queat, non enim à simplici bile fieri potest vt voluit Senner. qua de caussa dixit pleuritidem esse inflammationem, cuius proxima caussa est sanguis, & proindè sine sanguine reliqui humores pleuritidem non excitant; verum vnde bilis hęc a frigore expressa fuerit progenita considerandum, ea namque videtur ab hepate proficisci, cuius liturgia est bilem progignere; cęterum bene asseuerauit *Franciscus Perla in comm. lib. de loc. in hom.* dum dixit bilem dupliciter sumi apud *Hipp.* nimirum pro calido siccoque humore siue naturali, siue præternaturali, ac iuxta hanc significatum quod à capite ad thoracem pulmonumque substantiam delabitur ciente frigore etsi pituitosum sit (pituitosa etenim plerumque sunt cerebri purgamenta) fit tamen bilis eo quod ita pulmonum cauitatibus coarctatum incalescit, putridum fit, acremque sibi asciscit qualitatem, quæ bilem æmulatur; verum pace tanti viri dixerim ego hanc assationem pituitam recipere in cerebro, quia prohibita illi ob ambiens frigus transpiratione indeque calescens pituitę putredinem impartit, vnde acer euadit, atque hoc sibi voluit *Senex* cum dixit: *Pituita non erat salsa vtputa non à cerebro*: Potest enim bilis præternaturalis in multis partibus gigni dummodo adsit caussa efficiens calor nempè immodicus, quod si in nostro casu non contingere id putetur, dicendum bilis commercium cum pituita fieri à parte inflammata & dolente separante ab vniuerso corpore bilem, quod patet ex *Hipp. 4 de morb.* quicquid inquiens *in morbo copia abundat dum turbatio in principijs contingit, ad locum fertur, in quo plurimum superat. In turbatione autem amplam capacitatem nactum secretum voluitur; & corpus calefacit aut in aliqua corporis parte adherescens vna cum alio humore, qui in alio loco est dolorem, & calorem exhibet, quod verò incalescit reliquum etiam corpus calefacit, ex*

eoque

ecque febris contingit ferèque ex bile pituita, & sanguine ortis quæ calidissima existunt; ex quibus duo licet colligere, primum quomodo humor secernatur, & secretus dolorem faciat, secundum quomodo fiat febris; quæ quidem typum Tertianarium seruat quia a sanguine bilioso progignitur: quod animaduertens *Zacutus lib. 2. histor.* 19. dicit Pleuritidem duplicem non rarò habere suæ originis focum, in venis vnum, in thorace alterum, sic cernimus Anaxionem sputo, & sudore iudicatum, quos excretiones redundantis humoris in thorace, & venis copiam demonstrare nullus ignorat. Quinimò idem *Zacutus* probat non rarò febrem qua consociatur pleuritis non rarò posse esse diariam, non rarò intermittentem, non rarò tandem citrà febrem eandem esse sentit.

Quod autem dolor hic sit pleuriticus non est dubitandum primò quia mammam dextram occupat, ad iugulum terminatur, & tandem punctorius existit, est punctorius vt vult *Duretus in Coac.* ob distensionem cum intemperie magna partis acerrimi sensus, qualis est membrana costis intexta; adderem ego id contingere etiam ab humore bilioso, qui cum acer sit, ac mordax meningem vellicando nequet non pungere, ac dolorem punctorium efficere, proindèque non rarò cernimus in veris pleuritidibus dolorem non esse adeò punctorium, quia scilicet præualet pituita bilis acredinem obtundens; Ad iugulum extenditur, quia vt vult *Hippoc. 1. de morb. Vena quæ splenitis appellatur tendit à splene ad latus, à latere verò ad humerum, & sinistram mammam; Hepatitis autem ad dextras partes eodem modo, & cum huius in latere pars à rigore contracta fuerit, & sanguis in ipsa horruerit, ad alas, & claniculam & humorum concedit, & conuellit, ac dolorem inducit*; atque hinc etiam scimus cur ad mammam dextram dolor tendat; qui sanè noctu magis, quam interdiu lacessit ægrotantem, quia fluxiones vrgent ad noctem, vt *3. de morb. text. 22.* Tussis præt. illa sicca non aliam sibi caussam vendicat, quam thoracis frustrà concitati concussionem, vt *Duret.* dixit, aut ex eo quia velit anacatharsim iuuare, quę cum non possit promoueri ob materiæ cruditatem, quæ partibus spiritalibus affigitur, indè est vt tussis pronascatur eaque sicca, siccæ enim tusses dicuntur, cum nihil excreatur, quod ob materiæ tenuitatem, ac cruditatem contingit, si ergo tussis ista eaque sicca ob impeditam sit anacatharsim, quid mirum si illa anhelitus consurgat difficultas? quam etiam Duretus ob thoracis contumaciam asseruit, qui necessitati non respondeat, vel id dicendum mamre quia retentum sputum frequentem spiritum reddit, & frequens effectus sputum agglutinat atque expui prohibet, vt voluit Hipp. *in acut.* vnde nil mirum si ibidem conculcata inflammationem adaugeat, quæ ad caput vapores transmittendo, vnaque meninges cerebri feriendi sæuum capitis dolorem accersit.

Hinc Pulsus illius durities quoque contingit, nam inflammatis meningibus durities quædam assurgit, & quamuis non illa cernatur pulsus differentia quæ à *Gal.* sub serrini pulsus nomine nuncupatur, tamen si *Gal.* credamus *lib. de puls. ad tyron. cap.* 11. & 4. *de caus. puls.* 8. dicit hanc differentiam non esse necessariam in omni pleuritide, sed in magna tantum; neque in omni magna, sed qua pro parte est mutata in abscessum in pus; nam si tota materia sit in pus versa non facit pulsum serrinum, vbi medio modo se habet vult *Gal.* pulsum esse serrinum, idest dum tangitur quattuor digitis, sub vno digito apparere durum, sub secundo mollem, sub tertio durum, & sic deinceps;

ceps; eo quod sicut inæqualis est materia in inflammatione partim cruda, partim in pus conuersa, ex cruda durities, ex purulenta mollities sentiatur; ni velimus asserere cum aliis hanc inæqualem arteriæ differentiam pendere ex inæquali arteriæ tensione, quicquid tamen sit de pulsu serrino hanc quidem sententiam doctissim. *Saxonia* reiecisse visus est, quinimò ait hanc nullo pacto correspondisse experientiæ; subditque Animo concipi non posse arteriam per tam breue spatium posse hanc insignem obtinere inæqualitatem, vt particula sit dura, altera verò mollis adhuc subdit: *Vt ingenuè dicam puto esse fictitiam, & imaginariam pulsus differentiam*: quinimò egomet quamuis ex proposito in nonnullis pleuriticis inuenire tentarim huiusmodi differentiam pulsus, nil aliud inueni præter duritiem, & inęqualitatem systematicam seu collectiuam dictam, quæ quomodo Arteriæ communicetur explanat *Zacutus lib. 8. cap. 3.* aiendo qualitatem inductam arterię partis laborantis reliquis corporis arterijs plerumque communicari, nempè quia cum arterię omnes externa quadam membrana tegantur, quę vel à pleura, vel peritonæo oritur, vbi externa hæc arteriæ tunica, vel tenditur, vel emollitur ad pleuram, aut ad peritonæum affectio ipsa progreditur, & hoc modo seu a fonte reliquis corporis affectibus communicatur, idque multo facilius in exquisita pleuritide in qua pleura ipsa membranæ supernarum arteriarum origo primariò afficitur; ex quibus omnibus indicijs innotescit nobis Pleuritidis idea cum adsint omnia illa symptomata, quæ *Gal.* commemorat, febris nempè, dolor punctorius, difficultas spirandi, Tussis, & pulsus durities.

Et quamuis alia symptomata videantur hæc sunt ἐπιφαινόμενα, vt sunt capitis dolor, & Diarrhæa, ille ob anathimiasim factus, & ob vapores a parte inflammata eleuatos, hæc ob corporis vniuersi cacochymiam vt *Valles 2. epid. sect. 3. tex. 7.* vel quia compatiente hepate indèque alimentum ad se non alliciente, nec immutante, vel ventriculo cibum corrumpente, vel facultate retentrice aut languente aut extinctionem subeunte, indèque cibaria & succos continere nequeunte, vt *Petrus Salius in commentar. 3. de morb. t. 33.* aut demum quod mihi videtur magis ad rem nostram facere, quia vt ait *Gal. 3. de natural facult.* quia vbi ventriculus circa imas partes multitudine ac acrimonia humoris afficitur, si firmæ sint quæ circa stomachum habentur partes. diarrhęæ citantur; quæ sanè pleuritidem hanc nostram videntur difficiliorem reddere, *A pleuritide enim habito alui profluuium superueniens malum*: idque confirmare visus est. *Hippocr. 3 de morb. tex. 17.* dicens: *Nam si multus humor infrà secedat, à quinta die mortem inducit, infrà enim humore secedente superna partes resiccantur, & sputi purgatio sursum non prodit, oportet ergo & infernam aluum neque valdè suppressam esse vt ne febres sint acutæ, neque valdè egerere, quò saliua sursum educi possit, & æger viribus valeat*; indeque nil miror nostrum ægrotantem nihil aut parum expuere.

Nec ignoro apud *Hippoc.* contrarium reperiri, sic in *epid.* Cauponis historiam intuemur, vbi ait *Hippoc. Caupo qui Peripneumonia* (est eadem ratio de Peripneumonia, & Pleuritide) *tenebatur, aluus statim subiit, circa quartam sudor multus, videbatur soluta esse febricula &cet.* quod etiam repetijt in historia Metonis 7. *epid.* quod iteratis in *Coacis* aiens: *Quibus in febre dolore lateris oboriente aluus multa aquosa, ac biliosa egerit, hi alleuantur*: Veruntamen nulla apparet contrarietas si *Petrum Salium comme. 3 de morb. tex. 33.* perlegamus, vbi

hæc habet : *Quod si vel in fine status, vel post vigorem celebrata iam coctione tali alui profluuium superaccedat, potest esse salutare, cum euicta morbosa materia, & superante Natura fiat*, qui casus cum fuerit in Caupone non est mirum si per alui fluxionem euaserit, *Caupo enim iste cum morbi vigorem quinta sexta & septima habuerit sudauit, quinta pallidum, idest sputum aliqualiter coctum, excreauit, decima autem alui fluxu superueniente, multum, & raro deiecit*, quod etiam *Galen. 6. aph.* 16. dixit per hæc verba : *In mediocri autem morbo laterali, atque peripneumonia profluuium alui superueniens potest prodesse interdum ratione euacuationis, & magis cum signa coctionis apparuerint inesse passionibus, neque adest timor, sed morbus est citra periculum*; cæterum alia adaptari potest responsio ex eodem *Salio* deprompta aiendo quod si affectus in solis partibus spiritalibus terminetur, tunc alui profluuium prodesse potest, at si huiusmodi affectio naturalibus partibus communicetur tunc alui profluuium maximum affert discrimen, eo quia partes ex morbo redditæ imbecillæ quæ potissimum sunt duę, & admodum nobiles, necesse est vt alui profluuio accedente ad huc magis morbus increscat; atque ob id crediderim *Gallenus* in explanatione eiusdem sententiæ dixisse: *A pleuritide habito, idest valdè vexato*: vnde egò colligo tunc alui profluuium in pleuritide esse malum, quum videlicet magna est inflammatio à qua multi resudantes ichores partesque naturales velicantes Diarrhæam mouent, vndè *Holler in Coacis* hanc eandem habuit sententiam aiens: *Aluus autem soluta imbecillitatis indicium subditque* eandem etiam solui acri sanie è thorace & colliquatione corporis, salsa pituita è cerebro decurrente, quæ omnia dissoluunt ventriculum alioqui languentem, & profluuium mouent:|& quamuis *Holler.* loquatur de empiemate, id etiam Pleuritidi adaptari potest, indicium enim est ichorum multorum, ac proinde omen maximæ inflammationis, sicque istud alui profluuium semper erit malum vt signum, quamuis vt caussa possit esse bonum si fiat cum conferentia & tolerantia, & sputum minimè supprimat; quod si Ermoptolemus *7. epid* ex hoc morbo cum alui profluuio perijt, id contigit quia vt ait *Valles, in comm.* is à sudore refrigerabatur, & aluus cum fluere cæpisset suppressa est intempestiuè, & recurrente sursum bile denuò tussicula est aucta, superuenerunt subindè duo illa pessima signa stertor scil. & screatio pallida, quare nil mirum si spiritum intercluserit; ex qua historia id quod dixi innotescit, siquidem ait is a sudore refrigerabatur ob caloris extinctionem quam faciebat caloris que validus inflammationis, quod pariter patuit ex pallida scræatione: quæ pallida expuitio non coctionem innuebat, sed vstionem vt benè probat *Iacotius in Coac.* sicque quamuis *Holler.* etiam in *Coac. p.* 788. dicat pallidum sputum imperfectum maturationem ostendere, intelligendum illam fieri à pauco calore primigenio extincto à preter naturali, quicquid tamen sit cum hoc alui profluuiũ toleretur ab ægrotante, nec omnimodam sputi suppressionem faciat, inde est vt sit dicendum illud non esse totaliter symptomaticum, sed posse fieri criticum, modo maius non fiat, nec anacatharsim prohibeat; & quamuis in nostro languente nulla fiat anagoge; id non ad alui profluuium referendum, sed ad materiæ vitium; sputum enim (vt ait *Iacot. in Coac.*) supprimitur primò doloris vehementis sensu, vel facultatis animalis imbecillitate, materiæ vitio, & bronchiorum obstructione, attenuatoria, vel coarctatoria, vel membranæ densitate;

materiæ ergo vitium illud est quod negotium facessit in nostro casu, cum ea enim sit admodum contumax expui nequit, quamuis neque de hoc mirer, quia sumus ab initio, in quo si statim non sputum appareat morbum prottahit, & ideò in nostro casu potius aliqua diuturnitas afferetur, quam mors, siquidem mente constat, non ita male se habet ad oblata, difficultas anhelitus non est tanta vt eundem cogat orthopnoicorum more spirare, & sitis non multa; & quamuis non ignorem *Dureti* doctissimi dictum *in Coacis. Pluris scil. esse debet vnum malum signum, quam decem bona communia, velut in Pleuritide si multa adsint symptomata bona, & anacatharsis non appareat, plus potest impedita anacatharsis, quam reliqua bona signa*: sic *Iacot.* dixit: *Neque enim tantum potest paruitas sputi ad significandam mortem, quantum prompta & facilis eductio ad salutem, cum ex sputis nigris multos euadere cuiuis obseruare liceat, ex suppressis sputis etiam coctis neminem*; propria enim crisis Pleuritidis est sputum, tamen non rarò natura materiæ contumacis coctioni incumbit, vt proinde non ab initio illius eiectioni incumbat: quare potius ancipitem, quam præcipitem declararem affectum, qui cum acutus existat, ac inducias non præbeat, indeque merito dixit *Aretęus: Nulla morę atque dilationis in pleuriticis, quin protinus valenti remedio succurramus datur occasio*; quamobrem curatio ineunda, quæ multiplicem nobis obiectat indicationem prout multa sunt quæ nostrum lanciniant languentem; dolor enim mitigatianem, & paregorica amat medicamenta, fluxio reuulsionem interceptionem, & deriuationem, inflammatio sui ablationem, sicut materia influxa euacuationem & febris refrigerantia, & humectantia, quamuis non ignorem secundum *Hipp.* febris nullam esse curam habendam, ait enim *Hip. lib. de loc. in hom. Febris sedanda non est per septem dies*: non alia ratione vt perhibet commentatores nisi quia cum febris refrigerantia desideret, hæcque sint pectori inimica, non videntur posse commendari, eoque magis quia febris hęc est symptomatica, ad quam curatio dirigi non debet: quare quam primum fluentis materię, atque doloris habenda est ratio, hic enim trahit, & illa dolorem adauget, proindeque meritò dixerat *Auic.* antequam euacuēs seda dolorem pro quo sedando *Hip. in acut.* anodina probat, proponit fotus, aiens *tex.* 10. *Cæterum Pleuritis hoc est dolor lateris, siue ab initio fiat, siue postea calefactorijs quidem primum non est alienum tentare dissoluere*; *quod repetijt lib. de loc. in hom. dum* dixit: *Et dolor sedandus est calefactorijs medicamentis*: Nil enim ait *Perla, in comm.* & merito, fuit *Hipp.* antiquius in Pleuriticorum curatione quam dolorem vt citius omni arte lenire, ne fluxio ad sedem affectā magis, magisque concitaretur, & infarctam phlegmoni materiam vt cunq; discutere, atque euacuare, priusquam vel spiritum penitus intercluderet, vel in pus immutata empyema procrearet: Attamen huic consilio acriter nonulli aduersantur, quasi sit flagitium pleno ad huc corpore, nec dum sedata fluxione ad localia descendere medicamenta, quæ calefaciendo attrahere magis possunt, morbumque augere, quare (aiunt) ipsemet *Hipp. lib. de aff.* id prohibuit his verbis, *cū autē pus* (idest coctum sputum) *purgare inceperit, latus calefacere conducit, & forinsecus maturare ea quæ circa latus sunt, prius autem hoc facere non expedit. & 3. de morb. cum indicationes sunt, dolentes locos humidis fomentis tepefacito, & oleo illinito*: Cæterum ad hanc difficultatem respondet *Martianus lib. de aff.* vbi ait aliud esse doloris gratia fomentis tentare dissoluere, vt hic in acut. loquitur *Hip.* aliud est hæc eadem ad hume-

ctandum apponere, quandoquidem etiam *loco cit. 2. acut* fomentorum vsũ à principio damnare intendit, quotiescunque ex eorum vsu dolor non sedatur, subiungit enim: *Quod si dolor ad calefactoria non soluatur, non multo tempore calefacere oportet, resiccat enim hoc pulmonem, & supparationem facit:* quare fomentis vtendum non est priusquam sputum aliqua ex parte concoctum appareat, quod puris nomine designare voluit Hip. nisi à principio quispiã ijs tentandi gratia vti velit. Hinc. *Alex. Trall. cap. de Pleurit* dixit: *Si igitur fomentorum, & sacculorum vsu dolor moderatior euadit, vt etiam æger manifesto recreationem sentiat, copiam non esse intelligito, ac cum fiducia fomento vtitor, & auxilia parti inducito discuties enim id quod offendit, quodque inflammationem excitauit, quod si nihil horum euenerit, sed dolor magis præterquam quod nihil cedit, adhuc etiam validior appareat, constat copiam existere, quam particulæ incalescentes ad se attrahunt,* sic *Celius Aurel. lib. 2. cap. 19. At si dolor vaporibus minimè fuerit mitigatus, vel abscissus, non oportet plurimo tempore in hac perseuerare curatione, etenim vaporatio siccat pulmonem, atque purulentum fieri cogit:* indeque *Leonardus Iacobinus* dixit tunc fotum ab initio esse adhibendum quum videlicet supponi potest non esse tantam caussam, quin à fotu dissolui queat; Alij dixere ideo fotum *Hip.* commendasse ab initio, quia frigefactum rigidumque latus incalescat, laxetur, perspirabilior euadat cutis, & humores qui ad interna, densatis nimirum exterioribus tum carne tum venis, impellebantur, inque affectam partem infarciebantur extra effundantur, dissipentur, resoluantur, ita enim etiam peccans humor à fotu attenuatus, atque eliquatus facilius è parte affecta, proximioribusque locis hauriretur; Ego autem dicerem ideò fotum ab *Hip.* in principio fuisse commendatum, vt materia quę partim crassa est attenuetur, quæ tenuis medijs discutientibus incrassetur, tum vt eadem resolutioni paretur, & euacuationi obtemperet, vel quia materia quæ in loco inhæret rarefiat, vnaque diffundatur neuè permittatur eandem in parte conculcari, vnaque figi: sicque in quolibet dolore adhibet fotum, quæ enim diffusa sunt debiliora: ideoque non multo tẽpore fotum adhibet, cum is ex calidis constet, ne resoluta tenuiori materia, crassior magis compingatur, vel ne latus nimis incalescat ideoque dixit *Valles lib. acut.* agendum esse à principio fomentis calidis, quia partis natura non fert frigida, neque repercutientia, sed laxantibus ab initio indicat vti: & ob id reor *Hipp* commendasse aquam calidam, vt quæ habeat virtutem fundendi, vnàque temperandi inflammationem; sic cernimus etiam ad hunc vsum, fundendi nempè, *Hippoc.* in Metone 1. *Epid. æg.* 8. balneis vsum esse secundum caput, quia balneum ait *Valles. in comment.* vt humida caussa melancholicę intemperiei per se occurrebat, & conciliabat somnum (quo in melancholicis nihil est vtilius) subdit: & laxando vias fluxum sanguinis de naribus à quo adeò iuuati omnes sunt, mouebat. vndè constat fotum duo iuuamina præstare, primum attemperationem, secundum laxationem viarum; quæ duo require videntur in nostro casu, vt scilicet fundatur materia, vnaque anacatharsi destinetur, & vt eadem attemperetur: hoc vnum tamen adnotarem vt scilicet semper relaxantibus addantur discutientia, vt scil. ea materia quæ à fotu diffusa est vna etiã dissoluatur alioquin .n. solo vsu laxantium dabitur occasio fluxioni maior, atque pars reddetur habilior ad recipiendum, quæ quidem cum calida esse constet, non vult *Hip.* vt multo tempore adhibeantur, ne videl. pulmo resiccetur, & fiat sup-

puratio; sic in fine adhibet humectantia, vt maturet & concoquat; quare non alienum est in nostro languente fotum adhibere ex aqua tepida in qua fuerint incocta, malua pariet; althea, flores chamom. anethi, & melilothi, semina lini, anis. fænugr. cumini contusa, atque deinde inungere partem dolentem ol. amyg. dulc. chamomelino; *Saxonia* vtitur folio brassicæ, quod butyro illinit, & superinsperso puluere cumini loco applicat dolentis sic refert *Montanus* se vidisse summè desperatos à quodam Monacho Sancti Benedicti de Mantua sanari, & potissimum vbi Tussis sicca est sequenti cataplasmate.

Accipiebat cyminum puluerizatum & succum caulium, & pinguedinem porcinam, & hęc tria calida ponebat super locum. neque mihi facessit negotium quod hi fotus applicentur antè vllam euacuationem, id enim apud *Hippoc.* passim est in vsu; sic videmus in hoc loco fotum ante purgationem adhibuisse, sic *lib. de affect.* dixit: *Si in caput dolores inciderint, huius caput calofacere conducit ita vt multa calida lauemus, & pituitam ac mucos subducamus, & siquidem ab his liberetur sufficiunt hæc, si verò non liberetur purgandum est caput à pituita*: ex quibus verbis colligere licet prius *Hippocrat.* caput fouisse, & deinde purgasse.

Quicquid tamen sit præstito fotu, vel ante ipsum de sanguinis missione cogitandum, quæ in Pleuritide videtur primas partes obtinere, & maximè in illa quæ ad iugulum tendit; dicente *Hippocr. At siquidem dolor ad clauiculam de se significationem prębeat, aut grauitas ad bracchium, aut circa mammam, aut supra septum transuersum, venam secare prodest in cubiti flexura internam, & non cunctari copiosum sanguinem detrahere, donec multo rubicundior effluxerit, aut pro puro, & rubicundo liuidus, vtrumque enim contingit si verò sub septo transuerso fuerit dolor ad clauiculam autem de se significationem non præbeat, aluum mollire oportet, aut veratro nigro, aut peplio*: Gal. tamen in ambobus casibus dixit tutius semper esse sanguinem mittere; vt per hæc verba explanauit 2. *acut.* 11. *Vbi igitur non solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, verum & cum febre vehementissima, multò magis vitanda est purgantis medicamenti administratio, atque per sectionem venę vacuandum magis, etiamsi ad hypocondrium dolor finiatur, nempè etsi minus auxilium, quam per purgationem sequatur, securius tamen multo existit*: hæc tamen sanguinis missio in nostro casu videtur explodenda, nam Diarrhæa illam prohibet, indeque dixerat *Gal. Aluo fluente sanguinem non detrahes*, & *Hipp. in acut. At si sanguinem alicui detrahere alium solidam facere oportet*; quod repetiit *Galen.* millies sed potissimum *lib. ad Glauc. cap.* 14. sed quicquid sit cum Diarrhæa non habeat excessum, ægerque non sit admodum debilis sanguinem mitterem in minori tamen quantitate, quam aliter fieret; sic cernimus *Cælium Aurelianum* de Pleuritide loquentem hæc dixisse: *Sed si dolor vehemens fuerit, phlebotomiam conuenit adhibere, si nullus ventris fuerit fluor intra tertium diem, sin verè fuerit adiuncta ventris solutio, prorsus in ipsa diatrito erit phlebotomia adhibenda sic vt prædiscere possimus vtrum sit perseuerans, atque superior strictura magis, quã solutio, sæpe enim concurrens ventris solutioni sanguinis detractio, ægrotanti nouissimam intulit defectionem: quapropter* (subdit) *perspiciendum vtrum vsque ad dimissionem accessionis fluor ventris perseueret, vel eius meatio mordicationem quandam faciat podici, vel intestinis, suspecta etenim habenda est istiusmodi defluxio, ita adhibenda phlebotomia, sed ex alio bracchio*, quod tamen non admitterem, *Pleuriticis* enim aiebat *Gal. quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio clarissimam sæpe*

vti.

vtilitatem attulit quæ verò ex bracchio opposito aut omninò obscuram , aut certè post temporis interuallum: quamuis non ignorem quam multiplex sit opinio de sanguine mittendo in Pleuritide, *Vesalius* enim putauit in omni pleuritide siue dextra, siue sinistra solam dextri lateris venam esse aperiendam, eo quod existimat sanguinem qui facit omnem pleuritidem mitti à vena illa azygos dicta, siue sine pari, quæ incipit à parte dextra, & desinit in sinistram, *Mesue* vt distantiorem faceret reuulsionem , incipit a sectione venæ pedis partis oppositæ, deinde secat venam in cubito opposito, postea eandem lateris affecti; *Auic.* primò vult secandam esse venam pedis eiusdem lateris, postea venam cubiti oppositi, deinde venam eiusdem lateris affecti, *Rhases, & Auenr.* dixerunt prius secandam esse venam lateris oppositi, deinde lateris affecti; *Cælius Aurel. 2. acut. 18. & Archig. ex Aet. tetrab. 2. serm. 40. cap. 58.* dixerunt semper venam lateris oppositi esse secandam, Hipp. atque Gal. putarunt semper esse secandam venam eiusdem lateris; vnde *Hip. lib. de rat. vict. in acut tex. 52.* aiebat: *Siquidem dolor sursum tendat ad clauiculam, aut circà mammam, & bracchium, venam in bracchio secare oportet internam , vtra tandem fuerit parte in ea ipsa*; quod *Gal.* etiam multis in locis expressit; quinimò *Fernel.* dixit eos qui in Pleuritidem venam secant in latere opposito nouam Pleuritidem accersere.

Quare in nostro ægrotante mittendus est sanguis ex eodem latere, sic enim reuulsionem fieri, & deriuatione probauit doctissimus *Manardus in epist.* mitterem autem in pauca quantitate Diarrheæ ratione: quamuis non ignorem ab Hipp. expectari mutationes colorem, sed id *in epist.* cum explanauerim, non est vt nunc repetere studeam; De purgatione forsan maius est dubium *Hipp.* enim *lib. de rat. vict. in acut et 3. de morb. tex. 22.* illam visus est comprobasse aiendo: At si æger biliosus sit natura, & non purgatus correptus fuerit à morbo, priusquam saliuam biliosam expuat, medicamento bilem probè purgato; si verò iam expuat biliosa, medicamentum ne dederis, si enim dederis sputum sursum prodire non poterit, sed septimo, aut nono die suffocabitur; & quamuis in nostro languente posset conuenire aliquod leniens pharmacum, quia vsque adhuc vel nullum, vel exiguum sputum apparet, tamen quia adest Dyarrhæa nullum exhiberem nec reuulsiuum, vt cum *Zacuto* loquar, nec euacuatiuum; hoc enim ab inflammata parte nihil adimit, ideòque aiebat *Salius* quod si à principio talis euacuatio non celebretur, transacto principio non est procuranda, nomine autem principij intelligendus est primus morbi insultus principium nempè principij, aliter enim non posset *Hipp.* defendi illud haud requiritur, quia dum natura mouet, sistere debet Medicus, eo magis in nostro casu vbi huiusmodi euacuatio est symptomatica cum sputum supprimat.

Neque ignoro quosdam esse qui in hisce casibus commendant oleum amygd. dulc. vel ol. de sem. lini, sicque narrat *Alex. Mass.* multos habere pro secreto exhibere huiusmodi oleum de sem. lini ad vnc. quattuor cum dragma vna pulueris dentis apri , cæterum ab oleosis in inflammationibus semper abstinerem, cum inflammentur, ideòque Hipp. dixit: *Pinguia ad inflammata non conducunt*; neque interim ad reuellendam fluxionem non animum meum reuoluerem, pro qua cucurbitulas spatularum summitati, & bracchijs adhiberem non dorso, ne maior fieret in partem affectam attractio, sic ad eandem intercipiendam probo vsum sacch. ros. vt ad tollendam

mate-

materiam in pectore existentem eclegmata sunt probanda, & quia eadem vt reor ob tenuitatem nequit eijci, ideò summè probarem syruppos incrassantes, quales sunt syr. de liquir. de hybis. viol. de iuiubis diatrag. frig. & similia; sunt etiam multa quæ à proprietate iuuare videntur huic morbo, quæ potissimum à doctissimo *Senn.* innumera annumerantur, vt Carduus Mariæ, & præcipuè semen, carduus bened. scabiosa, radix lappæ maioris, seu bard. radix Aristolochiæ, cortex auell. rub. oculi can rorum, vel eorum magisterium, dens apri, castor. lignum visci quer. mandibula lucij cum dentibus, oculi item lucij, & cruces in capite eius inuenta, lapis Carpionum, Percarum, Priapus tauri, cerui, talus leporis, Capreoli, sperma ceti, corall. rub. quorum dragna vna datur cum aliqua ex aquis proportionatis.

Quicquid tamen sit de radice lappæ multa dicuntur encomia, & potissimum ab *Alex. Benedicto, Manardo, & Hollerio,* sic etiam à *Massaria* summè laudatur puluis dentis apri, & puluis illius floris purpurei, qui paruæ rosę formam repræsentat, & ego vt ingenuè fatear multos Pleuriticos iuuatos vidi solo vsu pulueris dentis apri ad dra. 1. cum conf. viol. superbibitis tribus vnciis aq. rosolaceorum; sic *Ioannes Vrsinus* cæcinit:

Dentis sume scobes, diram pleuritida soluent
Nec quatiet pectus, tussis anhela tuum.

Indèque *Montanus* hoc eodem dente vtitur sed dextro si in dextro latere fuerit dolor, sinistro, si in sinistro, *Hieron. Montuus* illum exhibet cum vnc. 1. ol. de sem. lini; quinimò accipere quattuor vncias ol. de sem. lini cum rasura dentis apri refertur esse arcanum Ducis Vrbini, *Duretus* ait dentem apri valere ineunte morbo ad materię orgasmum, palindromen, aut fluxionem prohibendam, habet enim, vt ait, dens apri vim adstringendi maximam; cæterum circa tempus huiusmodi dentem apri dandi videtur esse controuersia. *Rondeletius* enim ait non statim à principio dandum, neq; postquam est expectorandum, illa enim nimium siccando sputum retinerent; post primum diem, ait, dari possunt cum vino, vt ad partem ducantur, hæc in frigidis magis, quam calidis conueniunt, *Ioubertus* tamen ait: *Veruntamen hoc tempore multò magis quam deinceps inspissandum videtur, & quæ incrassando prosunt maximè sunt dauda in principio principiante potius quam morbi incremento, cum vino autem,* subdit, *talia propinata concedo, vt ad sedem affectam facilius penetrent*: ego tamen in nostro languente pariter exhiberem, quamuis simus in incremento, nam cum materiam in pectore stagnantem dixerimus esse tenuem si incrassetur vtile erit vt possit expectorari, maximè si cum portione aq. scabiosæ exhiberetur, sic enim vt censeo materiæ crudæ & tenui, daretur incrassatio, & fieret apertio.

Non defuerunt alij, inter quos est *Rondeletius* qui in Pleuritide exhibent papaueris decoctionem, coquuntur enim flores papau. rub. cum capitibus contusi mensura m. 1 in aqua pimpinellæ vel scabiosæ, colatura dulcoratur saccharo solido, dantur bibendæ vnc. 4. ab initio morbi fluente materia hanc enim sistit, & quod iam fluxerat absumit; Hæc autem medicamento quomodo possint variæ sunt opiniones; nonnulli enim aiunt hæc medicamenta à tota substantia prodesse, *Senner.* dixit hæc etiam iuuare, quia vim habent humores dissipandi, & discutiendi, & ex ijs etiam quædam malignos humores expellunt, ac cum pectore peculiarem cognationem habent: subditque *Senner Quapropter etiam commodissimè dantur initio, vt scil mali-*

gnum illud quod naturam stimulat, & huius fluxionis caussa est discutiatur: Alexand. Trall. summè laudat cucurbitulam parti dolenti appositam aiens: Conuenit autem cucurbitula quoque post cutem incisam vti, vt quod in ea continetur ex alto extrahatur, atque hoc facto mirari licet, quomodo indè etiam dolor qualiscunque fuerit licet vehementissimus conquieuerit; ego tamen in hac sum opinione vt in magnis casibus venis sub mammis hyrudines affigamus, nam si *Hipp.* easdem summè laudat in Angina, & *Petrus Salius* quẽdam febre ardente laborantem curasse hoc præsidio dixit, quid est vt in Pleuritide præstitis reuulsionibus easdem non possimus affigere? cæterum cum languentis casus haud præceps existat, sed anceps propt. hæc missa facere incumbendo solum anacatharsi; Porrò cum nihil hæc prodesse queant, ni par victus ratio combinetur, proindè huic maximè incumbendum, scio Hipp. tenuissimam victus rationem iniunxisse, vt propt. dixerit *Erasistratus Hippo.* patientes fame necare, is enim tantum videtur concedere primo acut. 43. mulsam, aquam, & oxymel vsq. ad 7. vel nonum, nam tex. 44. dixit ptyssanam non esse dandam nisi post septimum, aut nonum; quæ est sorbitio, scimus enim *Hippoc.* vsum esse triplici medio ad cibandum, potu nempè, sorbitione, ac cibo; verum benè asserebat *Celsus*: *Hanc viuendi normam fortassis in Aegypto, vel in Asia Cæli ratio patitur, corpora verò Europea non ferunt tantam inediam*: quare in Pleuritide simpliciter acuta, quæ quattuordecim diebus finiri debet vsque ad quartum diem victus sit tenuior, nam in omnibus inflammationibus tenuissimè cibandum in principio.

Poterit ergo concedi aqua hordei cum sacch. vt vult *Zacutus*, cucurbita, vel poma redolentia saccharo condita, vel assa; A quarto vsque ad septimum vtile est ius pulli, aut gallinæ vitellus oui; Post septimum in maiori quantitate sunt offerenda alimenta, sed in hac viuendi norma nescio an possint nostri ægrotantes detineri, cum vel ex minima diæta soleant elanguescere; quare *Celsi* opinio est seruanda, quæ aiebat: *Illud vnum, & vbique seruandum esse, vt ęgri vires subindè assidens Medicus inspiciat, & quamdiu supererunt, abstinentia pugnet, vbi verò imbecillitatem vereri cæperit, cibo subueniat, id enim eius officium est, vt ægrum neque superuacua materia oneret, neque imbecillitatem fame perdat*: quod intuens *Saxonia cap. proprio* dixit à nobis esse perpendendas nedum vires præsentes, sed etiam futuras, & si præsentes fuerint imbecillæ statim ad cibum esse confugiendum, nulla habita inflammationis ratione, atque hæc est *Gal.* sententia *9. meth.* 13. si vires autem in futurum non esse suffecturas conijciamus, tunc perpendendum an melius sit eos in principio alere, vel in statu; subdit *Saxonia* in hoc casu, *multo minus peccabunt Medici primis diebus aliquid cibi concedentes, & postea status tempore subtrahentes, quam ab initio exsiccantes, extenuantes, & cum iam ceciderint vires cibo replentes ægros*; De vino etiam est difficultas, nam *Hip. 3. acut.* 4. illud pleuriticis sed dulce vult esse concedendum, nam vinum dulce ex eodem sputum mouet; verum vt ingenuè fatear Pleuriticis vinum dare non conuenit cum adsit inflammatio, & si illud est dandum in morbi declinatione dari potest vt vult *Iacchinus*, & cum vires sunt imbecillæ vt scilicet æger expuere possit; quod intuens etiam *Saxon.* dixit tunc vinum præbendum cum febris est in declinatione, pleuritis est pituitosa, nulla viscerum est obstructio, & flatus facilè erumpunt; quamobrem cum in nostro languente vires adsint nullum vinum exhibendum.

Atque

Atque hæc habeo dicenda pro recuperanda salute nostri languentis, faxit autem Deus, vt omnia votis correspondeant.

PRO DOMINO PHILIPPO NOVELLIO
Pleuritide laborante.

CONSVLTATIO LII.

NOn immeritò *Gal. 12. meth. 7.* Pleuritidem dixit habere signa scientifica, cum omnibus sat cognitum sit eos qui dolorem lateris habent pũctorium, febrem, anhelitus difficultatem, & Tussim, pulsumque Serrinũ pleuritide laborare; vt propt. haud ambigendum nostrum languentem vera pleuritide ingemiscere, cum præfata omnia habeat symptomata, orta sanè non ob aliam caussam, quam scil. insolationem; sol enim cerebrum concalfaciens, pituitamque liquans fluxionem generat, quæ dum iter sibi ad thoracem parat, pleuræ (ne dicam pulmoni vt sentio) conculcata, inibitque ob stationem concalescens, ac inflammata Pleuritidem facit; verum aduertendum ab *Hippoc.* triplicis Pleuritidis mentionem fieri, vt aduertitur à *Prof. Martiano comm. 3. de morb.* quæ quidem triplex differentia ex sputis satis innotescit; Prima est biliosa sine ruptionibus, in qua sputum subbiliosum apparet, colore malicorij infectum; Altera species est pariter biliosa sed cum ruptionibus; (sunt autem ruptiones ῥηγματα solutiones continui in carne citrà vulnerationem tamen factæ, similes illis quæ fiunt in neruosis σπασματα quæ dicuntur vt *Gal.* pluribus in locis testatur) quia igitur (ait idem auctor) per huiusmodi ruptiones venulę per carnes disseminatæ rumpuntur, & sanguinem fundunt, meritò ægrotantes sanguinem sincerum expuunt: Tertia denique species est, quæ sanguinea dicitur, eo quod à sanguine oritur, à pręcedenti differens, quia in illa sanguis sincerus expuitur à ruptionibus in hac vero sputum sanguineum expuitur, quod fatius explicatur à *Salio 3 comm. de morb. 36.* vbi dicitur: *Talis autem Pleuritis dicitur ab Hip. sanguinea à sanguine ipso per ruptionem à loco affecto erumpente, non autem ab eo resudante: resudans enim facit sputum aut eructum, aut subcruentum, at in erumpente per ruptionem non sputum, sed sanguis sincerus excreatur: & ideo dicebat Hip. ἐνδὲ τῇ αἱματώδει ὕφαιμον idest, est autem & sanguinea in qua per ruptionẽ sanguineum, idest cum ex feruido sanguine generatur Pleuritis ea dicatur sanguinea, in qua per ruptionem sanguineum, idest purus sanguis excreatur,* omen sanè ruptionis insignis, & materiæ ferocis ruptionem facientis, cuius meritò cum à natura coerceri nequeat propria acrimonia, & ferocia per corrosionem sibi exitum parat; de qua Pleuritide nobis nunc non agitur, cum noster languens non sincerum expuat sanguinem, sed mixtum, idest sputum emittat subcruentum, ad biliosum tendens, non alia ratione vt vult *Martianus* nisi quia quando pleuritis à sanguine excitatur benigniori, vice corruptionis coctionem quandam incipit subire, vnde pars eius tenuior vi caloris ad bilis naturam accedit, pars altera semicocta cum ea excernitur, vnde sputum flauum sanguini permixtum excreatur, quod salutaris pleuritidis inditium est; quod confirmans *Salius* dixit sputum fieri subbiliosum, quo-

Gg niam

niam vbi gignitur pleuritis à ſanguine calidiori, cum vi inflammationis in parte affecta conculcatus putreſcat, ferueat, & vratur, neceſſario eius pars ſubtilior in bilem conuertitur, quæ ex loco affecto (niſi inflammatio ſit cacohete) propter eius ſubtilitatem reſudans ſputum ſubbilioſum colore mali punici in flauítie emulans reddit, niſi tamen ſanguis in loco inflammato conculcatus adeo maleficus exiſtat, vt ruptionem, ac corroſionem in membrana ſuccingente pariens ſit in cauſſa vt ſanguis ex ea ſub propria forma erumpat; Talis autem pleuritis dicitur ab *Hippocrat.* ſanguinea à ſanguine ipſo per ruptionem à loco affecto erumpente, non autem ab eo reſudante; Reſudans enim facit ſputum, aut eructum, aut ſubcruentum, at in erumpente per ruptionem non ſputum, ſed ſanguis ſyncerus excreatur; & de hac loquutus eſt *Hip.* cum dixit: *At ſanguinea pleuritis, fortis doloroſa, & lethalis eſt;* de illa quæ cum ſputo bilioſo ſanguini bene permixto fit intellexit *Gal.* quando dixit ſanguineam pleuritidem eſſe omnium mitiſſimá primo, vt reor quia fit ab humore benigniori, ſecundo quia ſignificat præuincentem calorem qui concoquat, vnaque permiſceat, coctio enim ex *Hipp. lib. de Vet. Medic.* fit ex permixtione, temperaturaque mutua, & quaſi coctura; atque hoc crediderim dixiſſe *Hip.* quando dixit ſputa valdè flaua breuia fiunt; modo non ſint nimis tenuia, tunc enim non coctionem ſed cruditatem oſtendunt, quia coctio procedit incraſſando, & ſi tunc expuatur malum eſt, quia illa expulſio potius fit ab eretriſmo ſeu proritatione quam aliter; & ſic verum eſt quod ait *Valleſ.* valdè flaua ſputa lethalia eſſe quia ſincera, breuia autem quia acerrimi, & tenuiſſimi ſucci ſoboles; ego autem dicerem ideo ſputa valde flaua breuia fieri, quia & ab exiguo humore fiunt, & concocta exiſtunt, modò craſſiuſcula emanent; coctiones enim ex *Hippoc.* iudicij cæleritatem, ſecuritatemque portendunt; atque de hac pleuritide crediderim loquutum eſſe *Hippoc.* cum dixit: *Bilioſæ vero & ſanguineę,* hoc eſt vt ait *Mart.* in quibus ſputum bilioſum ſimul & ſanguineum eſt, nona, & vndecima die iudicantur, & maximè ſanantur: ſputum enim ſi ſtatim appareat illudque concoctum morbum breuiat, ſi poſtea producit, ſic videmus in Anaxione, qui cum decima ſeptima incæpiſſet pauca concocta expuere trigeſima quarta die euaſit: quare cum noſter æger flaua expuat, vna cum ſanguine bene permixta exiſtimandum eſt illum breui conualiturum, eoque magis quia ſputum eſt criticum cum dolorem tollat; indeque benè dixerat *Senex in Coacis: omne porro ſputum ſoluens dolorem bonum eſt, non ſoluens autem malum*: ſed aduertendum ex *Dureto in Coacis* tale ſputum debere eſſe exactè permixtum, ſic enim procedit coctio vt reor permiſcendo; Taleque ſputum ait idem auctor promoueri debet ijs quæ expurgationem iuuant molliendo, & leniendo; in hoc enim potiſſima debet eſſe noſtra intentio, vt repurgetur ſcil. materia peccans, quæ & Naturæ votis, & Medici reſpondet; non ob id fluxionis tamen debemus eſſe immemores, quæ nobis indicationem prebet reuellendi, & euacuandi, ſicut dolor eius mitigationem deſiderat: pro quibus explendis ſcopis nemo eſt qui non laudet ſanguinis miſſionem ex eodem tamen latere vt Gręcorum eſt opinio, quæ tamen quamuis ab omnibus commendetur, apud me & apud Duretum non leuem obtinet dubitationem, nam dum criticam aliquam euacuationem intuemur, fruſtra ſuſcipitur alia euacuatio, quę eandem reuellere nata eſt; ideoque *Duretus* ſic loquitur in *Coacis pag. 252. Tale ſputum promoueri*

moueri

moueri debet ijs quæ expurgationem iuuant, molliendo, leniendo, & sputum ciendo. non autem sanguinis detractione retrahi, & impediri, quod vsuuenire videmus non sine mærore, & nemesi, ab istis pragmaticis vulgo dictis, qui omnem pleuritidis curationem exigunt in sanguinis detractione sæpius iterata, quandiu pleuriticus huiusmodi sputa expurgat cum spe salutis prædiuite. Subdit: *O homines Reipublicæ calamitosos, atque funestos, Ipsam pleuritidem quæ sua sponte nullius opis indigens cum tali sputo quiesceret, ex euentu reddunt mortiferam:* & alias dixerat: *Ergo in tali pleuritide per se sanabili, ob impeditam anacatharsim, quæ libertate naturæ, & votis Medici respondebat, ne taceam lateris infirmitatem quam infert repetita carnificum phlebotomia:* En ergo vt *Duretus* in critico sputo erumpente sanguinis missionem inhibet, & merito; nam vt aiebat *Fernell. Quæ natura perfectura est ne tangito, inchoata verò, nec ab ea perficienda completo*: quis enim adeo rudis est Mineruę qui cum videat Naturam criticè operantem velit eandem impedire noua aliqua euacuatione, eoque magis si ea euacuatio sit propria illius morbi crisis, velut est sputum in Pleuritide; quamobrem sanguinem haud mitterem denuo, eoque magis quia iam missus inuenitur, ne scil. præpediatur criticum sputum, quod patet ex conferentia, & tolerantia; hocque crediderim voluisse *Hipp.* cum dixit tria impedire venæ sectionem anni tempus æstiuum, Pleuritidem, bilem; nam primo Pleuritis quæ habet sputum criticum non requirit venæ sectionem, cum natura fiat deuia ab illa euacuatione vt explicaui in meis epistolis vnde potius vterer cucurbitulis, spatulis, & bracchijs, sicque multo minus conuenire videtur purgatio, quæ è sui natura sputum supprimere valet; sed illius loco clysteres administrandi, sic cernimus purgationem Scompho in epid. Pleuritico obfuisse; quamuis non ignorem multos commendasse cassiam, mannam, oleum amygd. dulc. & similia, à quibus omninò abstinerem, cum naturam bene operantem intueamur; sed solum eandem lambitiuis adiuuarem, quæ scil. anacatharsim magis promouerent, vt oxym. simpl syr. de liquir. de hibis & simlia; quoad interceptionem materiæ mihi summè arridet sacch. ros. de sero assumptum; sic ad dolorem leniendum non desunt quæ possunt fieri, *Hippoc.* tamen præ reliquis laudat fotum, & milium subdit *Celius Aurel. etenim leue atque conducibile est milium, soluit namque naturali quadam mollitudine illos dolores qui iugulum in ipsis passionibus pulsant, non aliter etiam illos qui ægras partes pulsauerint, soluit,* solent quoque commendari multa quæ à tota substantia conuenire videntur, vt puluis dentis apri, papaueris rubei, sic *Saxonia* probat pomum apium excauatum & repletum pulu. liquir. penidijs, & ol. amygd. dulc. coctum super ciner. & tota hęc substantia deuoratur manè & vesperi paulo ante cibum; nonulli in eodem pomo imponunt gr. 3. olibani sic quoque probatur corallorum rub. vncia vna sicut puluis magis commendatus est corticum auellanarum rubearum, quæ quoniam iam transegit tempus administrandi vt putà principium missa facio Interim victus ratio seruanda quæ à medico curante optime instituitur; de ptyssana tamen aliqua videtur in Pleuritide controuersia, nam *Hipp. acut.* 33. hæc habet: Præter si lateris dolor assiduus est, calidisq. fomentis nō remittitur, sputumq. nō procedit, sed summe citra coctibilitatē glutinosū fit nisi quis dolorē vel alui emollitione, vel secta vena pro vtriusuis exigētia soluerit, ptyssanā autem ità affectis dederit præcipitem aget in mortem, quod *Galen* confirmat in commentario *Zacutus* ait in pleuritide ptyssanam prohiberi totam ab *Hippocr. loco cit. acut.*

quia multum nutrit in principio,& naturam à coctione seiungit; reprobatur etiam si nimia sit repletio in intestinis, aut vasis quia abstersione sua defert humores,& in ijs partibus obstructionem auget, & dolorem, quare tunc necesse est vt præcedat Phlebotomia, aut lenitio ventris ex *Gal.8.meth.4.* interdicitur etiam subdit *Zacutus* si in ventriculo sit solita accescere, vel si odio fuerit ęgrotanti; proindeque ego soleo quosdam Pseudomedicos vituperare, qui vel nulla præstita euacuatione ad ptysanam statim confugiunt, quamobrem dum nulla est facta euacuatio ab omni ptysanæ vsu horrendum: hæcque habui quę potui breuissime dicere.

PRO NOBILI IVVENE *de Teramo cordis palpitatione laborante.*

CONSVLTATIO LIIII.

SVmmus ille Medicinæ Antistes, ac Naturæ genius *Hipp. in epist.* Caput stabiliuit vt omnium morborum radicem, cum enim corpori velut cucurbita medica incumbat, contingit vt ipsum omnium quæ ingeruntur superfluitates attrahat,& tenues humores: vt propt. demirandum nō sit nobilem nostrum languentem leui quadam tussicula infestari, eaque inani, cum absque vlla sputi reiectione consurgat, pectoris dolore humeris respondente torqueri,& denique cordis saltu, palpitatione inquiro premi, ipsius namque caput omnium horum symptomatum est fons, vnaque origo; cum enim ipsum tenues ac serosos humores attrahat, eos tamen rursus reddit aceruatos,& crassos, vt idem *Hipp lib. de morb.* dixit, quinimò *lib. de flat.* 16. dixit: *Caput autem rursus ab aliis corporis partibus attrahens; his transmittit; transmittit autem id quod superfluitate grauat, vel quod qualitate lacessit expultricem, in eam scil. partem quæ vel est prona mittenti, vel est propinqua, vel consentit, qualis est thorax guttur, haud habens contectum vt* dixit *Hippoc. lib. de loc. in hom. tex.* 18 atque inde est nostrum languentem tussire, cum tussis thorace affecto prosurgat vt dixit *Gal. 2. de loc. aff.* non alia ratione quam ob materiam a cerebro fluentem, perque mediam spiritus viam irruentem vt idem *Gal.* 14. *meth. ca.* 7. quam quidem vt è thoracis itinere tollat thorax tussim excit, ni velimus cum *Hippocr. lib. de loc. in hom. tex.* 27. Tussim fieri dicere, dum resiccatum id quod influit & in gutture compactum est vtpote quod non eluitur sed paulatim influit, ac detinetur; eadem tamen tussis sicca esse videtur, ac sine sputo, vel vt putauit *Gal.* 4. *aphor.* 54. ob instrumentorum quæ obseruiunt respirationi intemperiem, vel ob faucium asperitatem, vel aliquando ob tenuem, & paucum humorem destillantem, vel denique vt addit Valles. ob cruditatem, quas vltimas caussas tenuitatem nempè, & cruditatem putarim in nostro languente negotium facessere, & potissimum pectoris dolorem gignere, cum ille ex *Hippoc.* vel propter valdè exsuperans fiat, hoc enim exsuperans flatibus consociale, & dolorem manifestat tensiuum vnaque grauatiuum, qui spatulis respondet ob maximam quæ intercedit inter has partes synthimoriam; sicut & anhelitus difficultatem cum materia quæ è capite in pectus illabitur, quamuis tenuis profluat, tamen in pectore moram trahen-

hendo, ibidem crassescat, vt optimè dixerat *Zecch. in suis consil.* è qua tāquam è sua minera prosilientes flatus inque cordis ostiola perreptantes palpitationem illam gignere possunt; nec ob id eadem non potest nisi à flatibus consurgere, cum à vapore, & spiritu calido, & ebulliente fieri queat, vt insinuauit *Saxon.* sic *Fernel 5. pathol.* à bile fieri posse asseuerat, vel à sanguine ebulliente feruido, vnde idem auctor *lib. 5 cap. 30.* palpitationem fieri scripsit à sanguine in ventriculis cordis ebulliente, & agitato: sic *Arist. lib. de vit. & mort cap. 8.* dixit palpitationem euenire à spiritu ebulliente retento, & coarctato propter antiparistasin à circumstante ipsum, & concentrante frigore, quamuis non ignorem hanc nedum ex his caussis prosurgere, sed ob multas alias causas, sic *Scoliograph. ad cap. 29. lib. 1. Hollerii de morb. inter.* dixit excitari posse palpitationem à tuberculo, abscessu, multo sanguine obstructionem faciente, intemperie calida, vermibus cor ipsum vexantibus, subita vacuatione, impregnatione, inflammatione, aqua tunica inclusa, ac humore putri & male olente plena, lapillis, venenosa qualitate, spirituoso halitu siue ab externis, siue internis ventriculis cordis, siue in substanti, siue in pericardio, siue in arteriis caussa subsistat: sic refert in cuiusdam pericardio aquam visam.

In Britone quodam in Collegio Triquetico iacente cordis inflammationem; Ita alio abscessum in vena arteriosa, in aliis pericardium flatu distentum, qui tandem solet in aquam concrescere, nisi cordis calore dissoluatur: quinimò *Hollerius* ipse refert dissectum se vidisse cadauer cuiusdam palpitatione laborantis, in quo hæc capsula cordis vteri instar inflata erat: *Doctissimus Saxonia* ait inter membranam inuestientem cordis parenchyma, & pericardium esse palpitationis sedem; ego tamen dicerem eiusdem sedem esse omnem illam partem quæ distendi potest, vel vt loquar in nostro languente eam partem, quæ ad efficiendum pulsum concurrit, velut est cor, & arteriæ, nam si pulsus est actio cordis, & arteriarum ergo & eius deprauatio vel diminutio erit harum partium, actio immediata tamen, non enim ignoro cor posse pati palpitationem per consensum aliarum partium vt puta pericardij, pulmonis, arteriarum, venarum, partium hypocondriacarum, vteri & similium, cum enim hæ partes transmittunt vel humores, vel flatus, vel vapores, vel fuligines ad cor, istud deprauato motu mouetur vt scilicet expellat quod sibi est infensum, ideòque quodcunque cordi vel arteriis apponatur palpitationem gignere potest, & tunc potissimum cum vel ipsi est alienum, uel mole molestum, uel qualitate malum, sensorium enim moueri potest à quacunque caussa positiua, uel grauante sua mole, vel qualitate vellicante, & propt. omnes aiunt, antequàm expultrix impellatur sensum tactus in corde existentem pati ab obiecto tangibili; quicquid tamen sit puto in nostro casu cordis facultatem non ab alio obiecto tangi quam flatuoso, eoque progenito vt dixi ab humore frigido existente in pulmone, & ab eiusdem debili calore, refrigerato nempè pulmone ob moram humoris frigidi, quare non immerito *Hippo. lib. de morb. sacro tex. 7.* dixit: *si fluxio à cerebro ad cor processum fecerit palpitatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur, cum enim descendit pituita ad pulmonem aut ad cor perfrigeratur sanguis, venæ autem violenter perfrigeratæ ad pulmonem, & cor assiliunt, & cor palpitat:* ni velimus cum alijs asserere id contingere propter malam cerebri temperiem, cum pituitosarum materierum multitudine, quæ cor ipsum distemperent

rent frigida,& humida intemperie,indeque vapores multi à phlegmate descendente oborientes, vias euentationis claudunt, vnde & palpitatio oritur ijsdem flatibus,seu vaporibus multiplicatis in arteria venali, & ostiolis cordis.quam quoque opinionem *Gal* sustinuisse patet ex *lib.de rigor. & palpitat.cap.*5.dum ait,omnia quæ corpus refrigerant, vt flatus & crassos vapores palpitationem facere ; quamuis non ignorem flatum vt etiam probaui in meis epist. à valido calore posse generari; quotiescunque crassa materia existit,uel multa ut putauit *Saxonia cap.de Palpit.* ij enim flatus dum ad cordis cauitates emittuntur, ibique concluduntur, dum exitum affectant cor incomposito illo motu ex compressione & eleuatione mouetur, magis aut minus prout maior vel minor est concussio : sic *Fernellius* aiebat Palpitationem esse concussionem ex systole, & diastole molestam, cuius tantam vim esse promulgat,vt sæpe sit animaduersa thoracis vicinas costas effregisse; sic de Zoroastro legimus cerebro adeo palpitasse, vt omnia a se integumenta pelleret.

Quicquid tamen sit non est dubitandum huiusmodi palpitationem fieri ex motu cordis, a præternaturali caussa concitato, facultate cordis & arteriarum nihil agente,sed præter vitalis potentiæ motum, alius succrescit extraneus, & præternaturam à sola caussa morbifica, vel a solo morbo ; quæ quidem caussa morbifica in nostro casu nulla alia est, quam flatuosa genita vt dixi à phlegmate a cerebro descenso in pulmones, quod ex eo satis patet, quia huius nostri languentis palpitatio calidis linteaminibus adhibitis protinus profligatur, quamuis noctis tempore increscat, prout fluxio nocťu magis vrget; ideoque hic morbus vt curetur fluxioni animus est reuoluendus, quamuis enim hic morbus è sui natura difficilis extet, & non discrimine vacet, tunc potissimum cum cor ydiopaticè patitur, tamen quia hæc palpitatio per sympathiam oritur aliarum partium,non est admodum frequens,& æger sit adolescens sperandum posse conualescere,illud tamen quod mihi maiorem infert molestiam est quia Pater eius eodem morbo ingemuit,sicque hereditario quodam iure videtur propagatus in filium, verum quamuis hæc omnia eundem morbum reddant difficiliorem, non ob id reddunt insanabilem ; quare omni studio eidem incumbendum fluxionem reuellendo, euacuando, intercipiendo, & exsiccando, quod influxit euacuando,flatum qui ad cor appellit discutiendo, & tandem cor quod facilè recipit corroborando:sic enim & Tussis,& difficultas anhelitus,& spatularum dolor,& palpitatio profligabitur.

Darem ergo pro minoranda materia mannam el. cum diximus ad esse materias tenues ad tres vel quactuor vncias,& deinde præparata materia syr.de hybis. de s. borrag. & de pomis exhiberem eandem mannam cum portione mellis ros.sol.& agar.trochis.vna cum Diapr.simpl. addito decocto cord.cum cinnamomo,anisis,& florum cordialibus. sic quoque morbi decursu clysteres maximè probo,cum ijdem reuellere maximè possint ; interim autem de eiusdem materiæ exsiccatione cogitandum pro qua molienda adhiberem chinam,cum sandal. & ligno de visco quercino in iure ebullitam adiectis herbis cæphalicis, pectoralibus & cordialibus. sic quoque pro roborando capite multà possunt commendari, sicut pro materia intercipienda, facerem ergo tabulas ex Diatrag.frig.corall.rub. terra sigill. vel bolo armen. adiectis spec. aromatici ros.& Diarhod. Abb. cum cons.

ros.

rof.vet. & facch.fino, quas de fero cum it dormitum affumendas imperarem, quibus in multis adeò profeci, vt dici vix, ac ne vix quidem poffit; interim laudatur etiam ceratum aliquod capitale, quemadmodum pro reuellenda fluxione optima erit inuftio vel in occipite, vel in bracchio finiftro: De fanguinis miffione eft non mediocris controuerfia, *Gal.* enim *5. de loc. aff.* eam in omni palpitatione probaffe vifus eft, cæterum quoniam diximus materiam effe frigidam, qua flatus profurgunt, propt.ab omnimoda fanguinis miffione abftinerem, ni æger fit pletthoricus multoque fanguine affluat, vel hepar feruidius obtineat, vel tandem vires non effætæ langueant; tunc enim mittendus eft fanguis, aliter enim cucurbitulis partibus inferioribus incedendum, vel fi aliqua fanguinis adfit copia ad fummum per hyrudines fanguis hauriendus; quoad materiam influxam vterer lambitiuis, vel lacrima therebinthi ciprii, ammoniaco, fulphure puriffimo & fyr.de pomis, vel de cort.citri; fic pro roborando corde, & flatibus difcutiendis adhiberē epyth.cord.& inūctiones de ol.de cort.cit.vng.cord. aq.naphtæ vinū, vel theriaca, quæ non folū foris admota prodeffe valet; fed intus etiam, vt mitridathū, cum conferu.cardiacis, fic legimus auguftiffimū Imperatorem Maximilianum à nullo alio medicam. fuiffe fubleuatum, quam ab vfu theriacæ, quemadmodum conf. Hyacinthi, Diamarg. calidi, de gemmis, alKermes, aliafque non improbarem; *Mercatus* probat quendam fyruppum vt mihi videtur in noftro cafu optimum, & eft fequens: ℞. fuccorum depurat.borrag.acetofæ, endiu. citri, pomorum olentium an. vnc.3. aquæ fcorzoneræ, et borrag.an.vnc.4.pulu.elect.de gemmis dra.3. conf. Al Kermes dr.1.f.bull. leuiter, & facta colatura adde facch.q.f.vt fiat Syruppus fic quoque prodeffe poteft facch. rof.album, aut rubrum cum pulueribus margarit. hoc vnum tamen admoneo ne hifce remedijs adftringentia nimis admifceamus, quia ex illis retenta materia in pulmone & tuffis, & difficultas fpirandi, & ipfa palpitatio poffent increfcere; ficut vt notat *Septall. lib. 6. fuarum animaduerf.* 179. in flatulenta palpitatione, vehementer refoluentia damnanda funt, nam fpiritus vitales nimis exhauriunt; fic *Crato* huiufmodi vtitur inunctione ℞. pingued.gallinæ rec.aq. rof.latæ vnc.1.ol.cinamomi fcr.1. mofchi ambari an. gra. 5. mifce funt & innumeræ aliæ inunctiones quas breuitatis gratia fileo atq; hæc habui quæ dicerem pro curatione noftri languentis, vos ergo viri doctiffimi poteftis quid agendum diiudicare, ficut etiam de victus ratione cogitare.

PRO PER ILLVSTRI DOMINO Fratre Oftilio de Aliferis Aquilano, Equite, & Commendatore Hierofolymitano, Cardialgia laborante.

CONSVLTATIO LIV.

O Quam pulchrè ac decore dixit *Fernell.* Intemperantiam fcil. effe Medicorum nutriculam; ab ea namque omnia mala confurgunt, adeò vt dixerit *Gal.* fi homines a cruditatibus cauerent ab vna gulæ intemperantia pro-

progenitis nunquam ægrotarent, vnde adagio fertur: *Plures perimit gula, quam gladius*: indeque non miror nobilissimum de quo agimus virum ventriculi dolore torqueri, anxietudine premi, aliisque lacessiri symptomatis, cum in nobilium cœtu atque conuiuio plusquam solitus esset (alioqui parcissimus) comedisset, atque potioni indulsisset, non inquam nam vt dixit Hipp. 1. *de dięta text. 3. Siquidem supra hæc inuenta fuerit ciborum mensura, & laborum ad vnamquamque naturam numsrus, ità vt excessus neque supra, neque infra modum fiat, inuenta sanè exactè fuerit sanitas*; & lib de flat. tex. 9. dixit; *Seditionem enim mouent quæ sunt inæqualia, aliquaque citius, alia difficilius concoquuntur*, & lib. de loc. in homine tex. 2. *Corpus enim à cibis æqualibus æqualiter nutritur, à corpore verò cibi superantur, postquam verò plus aut minus in ipsum ingestum est, aut alia quæpiam trãsmutatio facta est superatur, superant autem cibi*: & meritò quia maior est resistentia passi, cibi nempè, quam fit actiuitas agentis scil. caloris, sicque necessario cruditates emergunt, à quibus & flatus, & Cardialgia, ideò benè idem *Senex lib. de ret. Medic. tex. 26.* dixit *quemadmodum cibi temperati robur addunt hominibus, & nutrimentum, ità intemperati, & ad voluptatem parati contrarium pariunt; Ad sanitatem enim optima sunt quæ modicè ingesta sufficiant, vt & famis, & sitis sint medela, & plurimo tempore corpus ipsa suscipit* vt voluit *idem Hip. lib. de aff. tex.* 44. quamobrem excessus ille est qui vt aiebat Mercatus morbos gignit, in multo enim contristatur natura dixit *Sanctus Isidorus* in mediocriter autem gaudet; multum enim non euincitur, ac non euictum vt dixi nedum cruditatem generat sed flatum, qui os ventriculi tendendo Cardialgicam passionem producit; indeque aiebat *Hippo. lib. de flat. tex 9. Cum multorum autem ciborum ingestione necesse est & multum spiritum ingredi, omnia enim quæ eduntur, & bibuntur, spiritus in corpus inferunt, aliquando plures, aliquando etiam pauciores* quos sanè à crudis humoribus tanquam è sua minera prosurgere censendum, vndè non immerito *Gal* 8. *de local.* 4. à cibis corruptis, & crudis Cordialgiam fieri scripsit, cardialgiam dixi, nam illa vt Arabes crediderę sumitur pro quocunque ventriculi dolore; quamuis non ignorem Cardialgiam presè sumptam sumi prp oris ventriculi dolore, vt Cardiogmon pro cordis affectu, Cardiacam autem passionem pro affectu fundi ventriculi; quamuis *Soranus, & Erasisbratus* nomine Cardiacæ syncopen ex ore ventriculi factam intellexerint, *Saxonia* tamen dixit in hac etiam os ventriculi esse affectum, verum ad differentiam Cardialgiæ & Cardiogmos caussam esse in ventriculi tunicis impactam, & præter inpactionem destruere robur huius partis, vnde cadit facultas naturalis, & debilitantur insigniter vitalis, & animalis ob maximam harum partium synthimoriam: Mercatus tamen distinguit inter Cardialgiam siue dolorem oris ventriculi, & exsolutionem ventriculi, aitque cardialgiam à solutione vnitatis, & tristi sensu prouenire, & esse mordicationem oris ventriculi, Cardiacam verò passionem esse ex solutionem citrà vllum doloris sensum factam ab intemperie sensim, & paulatim dissipante, & discutiente substantiam quæ separatur, vnde comitem semper habet malignam febrem cum Cardialgia plerumque febre careat, sicut & sudore diaphoretico, in fine mali; cæterum ne de nominibus quęstionem peragamus, diceremvtique huiusmodi affectum esse Cardialgicum, cum ventriculi maximo dolore elangueat, crucietur, ortum sanè nedum à cruditatibus, ac flatibus, sed humoribus pariter acribus, atque mordacibus vtputa biliosis; vt non immeritò dixerit, *Senex lib. de vet. Medic. tex.* 34.

quum

quum amaritudo quædam diffusa fuerit per corpus quam bilem flauam appellare solemus, quales statim anxietates, & æstus, & impotentiæ occupant; indeque doctiss. *Saxonia* dixit biliosum humorem omnium maximè Cardialgiam efficere, quæ quidem aliquando à ventriculo generatur, aliquando suscipitur, aliquando attrahitur, aut aliundè transmittitur; generatur autem à ventriculo bilis quæ porracea, vel æruginosa dicitur, ut putauit *Gal. lib. de atra bile cap.* 2. suscipitur propter insignem oris uentriculi imbeccillitatem, ab intemperie pronatam.

Attrahitur autem uel ob dolorem, vel calorem; Mittitur autem uel à toto, vel a Iecore intemperato; quæ omnia in nostro casu contingunt; nam nulli dubium est uentriculum habere indigenam, & aduenam caussam, hanc esse bilem, a Iecore nedum transmissam, verum etiam a ventriculo attractam ob dolorem, unàque susceptam ob imbeccillitatem, illam verò esse materias crudas & flatuosas a Ventriculi debili coctrice congestas, sicque nil miror si noster languens vtramque materiæ sortem euomuerit pituitosam nempè, & biliosam, quæ os ventriculi mordicantes dolorem gignunt; dolor enim tunc ex *Hipp. fit ex lib. de loc. in hom. quum in singulis natura permutatur, & corrumpitur*; nomine enim naturæ *Hipp.* intelligere puto temperamentum ut patet ex huiusmodi suis uerbis: *Insuper verò etiam dolor, & propter frigiditatem fit, & propter caliditatem, & propter valdè exsuperans, & propter imminutum, & in perfrigeratis quidem natura extra corpus ad cutem propter calefaciens valdè dolor fit, in calidis verò natura propter frigidum, & in siccis natura si humectentur, & in humidis natura si resiccentur, in singulis enim quorum natura permutatur ac corrumpitur dolores fiunt*: quod explanauit etiam *Gal. lib. de inæqu. intemp.* aiens *ca.* 3. *Alteratur, et corrumpitur cuiusque natura, cum vel calefit, vel frigefit, vel siccescit, vel humescit, vel eius vnitas dissoluitur*: sed quomodo insignes, ac violentes esse debeant huiusmodi alterationes adhoc ut dolorem producere possint expressit *Gal. 4 de simpl med fac. cap. 2. & lib. de inæqu. intemperie cap.* 6. vbi sic ait: *Immodicus verò calor, ac frigus proximè accedunt, ut unitatem soluant, plurimus quidem calor dum segregat, atque incidit substantiæ continuitatem, summum verò frigus tum stipando, tum introrsus pariter trudendo quædam exprimit, quædam quassat, atque hunc quispiam immodici caloris, ac frigoris terminum statuens, fortassè non incommodè sentiet*: quod pariter intendens *Plato in Phylebo* dixit, *Passio violenter, praterque naturam abundè simulque nobis illata molesta fit*: nec immeritò nam si cuiuslibet sensorij, cæterarumque partium Natura ex congrua primarum qualitatum mixtione, & substantię vnione constituitur, necessum est harmonia illa deperdita sensationem fieri dolorificam; atque idest quod dixit *Hippoc.* quando dixit naturam permutari, atque corrumpi in dolore, tunc enim dixit quidam ex Neotericis in quouis sensorio partium natura dolorificè corrumpitur, cum sensibilia obiecta (taetiles nempè qualitates) tanta ui affatim atque repentè in sensum agunt, ut ea indè sequatur unitatis solutio, cui adeò refragatur natura, ut acerbo hoc symptomate suam molestiam detegat, atque denunciet, gaudent siquidem partes mutuo contactu in eaque unione, & harmonia persistere quamplurimum expetunt.

Atque hoc fortè uoluit *Senex* cum dixit morbos omnes a separatione fieri, nam deperditur ille nexus, atque illa temperies qua Natura semper gaudet; quicquid tamen sit nulli dubium est Cardialgiam qua premitur noster æger pendere quidem & ab intemperie uentriculi orificij, & à præ-

sentia materiæ illud ob moram intemperantis ut statuebat *Galenus*, quæ ut dixi triplex esse ualet, flatuosa nempè tendendo, pituitosa grauando, & denique biliosa pungendo, ac mordicando os uentriculi, unde & maximè dolet, & dira gignit symptomata, os enim uentriculi ab *Hippocrat.* cordis nomine uocitatur, ut propter en dixerit, *in epid. Mulier cor dolebat, hoc est os ventriculi*, istud enim vsque adeò est exquisiti sensus, ut quodcunque obiectum tangibile sentiat; cæterum de pituitoso humore potest esse aliqua difficultas, nam cum ipse sit humidus, non uidetur posse dolorem gignere; ignaua namque est qualitas humiditas, & quantum est ex se dolores nunquam producere nata, quippe vt ait *Perlain comm. lib. de loc in hom.* paulatim agit, vnitatisque solutionem tantum abest quod efficere possit, vt ab ea potius præseruet, ac dissecta vniat, nihilominus (subdit) cum altero perpetuo sociatur, quod distendendo continuum soluit, vt enim habetur *lib. 2. de anima tex.* 113. *humidum non est sine corpore, neque vdum, sed neccesse est aquam esse aut habere aquam*: Humiditas itaque vna cum subiecti corpulentia ingreditur, partiumque porositates subit, ac penetrat, quas distendens diuidit, dilaniatque quare non est absurdum asserere cardialgiam posse fieri ab humore pituiteo, verum dolor quem infert non erit vehemens, nam humor frigidus suapte natura cum obtusa qualitate præpolleat nequit nisi obtusum manifestare dolorem, ideoque à multis auctoribus desideratur bilis, vel spiritus ille salinus à Chymicis dictus vt dolor scil. grandis demonstretur, est namque bilis summè actiuitatis, ob idque quamcunque partē attigerit vel eandem pungit, stimulat, vellicat, vel eandem exulcerat; addito subinde flatu maior dolor increscit, is enim ob id ab *Hip. lib. de flat.* statuitur & vitæ, & mortis auctor. quæ omnia ab excretis innotescunt, flatus enim à continua eructatione demonstrantur, bilis ex oris amarore, & doloris vehementia, vt & pituita ex eiusdem cum bile consociatæ vomitu; quare ob id redditur difficilior affectus, nam pituita contumacem, bilis autem & flatus eundem molestissimum reddunt; nam vt ait Senner. deterior est ille dolor qui os ventriculi torquet, quam eiusdē spaciosam substantiam, ad huc peior qui à caussa interna, & ab acri mordacique humore peragitur: cæterum quoniam languens Medicorum iussibus obtemperat, vsque adhuc vires consistunt, nulla lypothimia vel Syncope est animaduersa de eius salute sperandum, modo debita adhibeatur curatio, quæ scil. perficietur duobus indicationibus, dolor enim sui mitigationem desiderat, & caussa sui amotionem; Amouebitur caussa, si materia quæ in ventriculo continetur, deturbetur, verum an per vomitum id fieri debeat, an per secessum, id in dubium reuocatur; *Senner.* enim dixit tutius esse humores vitiosos per aluum, quam per vomitum euacuare, metuendum enim ne si per os reijciantur, ventriculi orificium magis offendant, & cum humorem ob eius acrimoniam, & doloris vehementiam euacuare non licet eius acrimoniam temperare conuenit, cæterum maior auctorum pars vomitu vti non pauet, modo vt vult *Saxonia* rebus temperatis incedamus; sic idem auctor exhibet ol. amygd. dulc. ad vncios sex, quod quidem crediderim deprompsisse à *Gal.* dicente *At quibus exitiosis humoribus os ventriculi infestatur, hos post aquæ calidæ, aut hydrelæi potum fac euomere*: quod sanè consilium probatur satis ab *Augenio in suis epistolis*, quinimo mirandum esse dicit artificium *Galeni* qui eodem medicamento & humores temperet,

nec

nec non etiam & illos studeat euacuare, nec refert eosdem trahi in partem affectam, siquidem ab olei vnctuositate supponuntur esse refracti & obtusi, vndè in eius transitu, non illam possunt vellicationem moliri; cæterum vt liberè fatear, ego ità distinguerem, si humores Cardialgiam gignentes sint nimis acres, vt purà æruginosi, porracei, atrabilares, ichorosi, tunc sanè quamuis ab oleosis retundantur, cum victrice perstiterint potentia adhuc maximam actiuitatem retinendo, dum transeunt, non mediocriter oblædere queũt, ideòque ijdem per aluum reuellendi; hocque sibi voluit Senex cum in epid. dixit: Reuellere si non quà oportet repant, si vero qua oportet, his oscula aperire; sin autem humores non sint adeo mordaces, tunc sanè vomitus maximè proficuus esse potest, cum os sit pars propinquior ventriculo; quod agnoscens *Galen.* dicebat: *Sola enim euomi natura apta sunt, quæ in ventriculo continentur, quæ verò continentur in intestinis nihil potest per vomitum euacuari*; quod in nostro casu contingit, non enim materiæ admodum sunt mordaces, quamuis enim biliosarum materierum portio videatur, tamen à maiori pituitæ congerie retunditur, ideoque tuto dari poterit vomitorium, & ego ab hydrelæo non discederem, eoque magis quia ex vomitu magnum percipit iuuamen, illeque sit maximè spontaneus; quam intentionem habuit pariter Hippoc. *lib. de aff. tex.* 15. qui hæc habet: *quicunque vero alij dolores in æstate circa ventrem fiunt, siquidem ad præcordia, & cor tenderint aquam mulsam aquosam facito, & aceto tribus heminis affusis tepidam bibendam dato, & vbi modico tempore ipsam retinuerit, & igne, ac vestibus concalfactus fuerit vomat*: quinimo nedum vno vomitorio est contentus sed plura adhibet, vt constat ex eodem loco, ibi enim dicit: *Si vero a vomitu rursus accesserint dolores rursus vomitum faciat*; quod si hoc vomitorio non sedetur affectus, tunc sanè ad aluum subducendam animus est reuoluendus, ac propter censeo Hippocrat. *lib. de loc. in hom. tex.* 32. dixisse: *Huic siquidem in ventrem dolor inerit, subducendus est primo medicamento aut succo, deinde pharmaco fortiore vtendum est*, & *lib. de aff. tex.* 15. postquam de vomitu loquutus erat dixit *si vero à dolore non liberetur per pharmacum deorsum sub purgetur*: ad quam euacuationem præstandam, ego vterer syr. rof. sol. & melle rof. sol. ad vnc. 2. s. pro singulis; *Gal.* commendat hieram, & potissimum in doloribus ventriculi à frigida materia ortis, verum hanc quo pacto reprobat *Senner.* aiens notandum esse quod tardè operatur dum in viscidam materiam ventriculi tunicis adhærentem agit, halitibus inde excitatis facit vt venter distendatur, & dolor augeatur, ideoque consultum esse aliud purgans admiscere, quod vires hieræ intendat, & operationem acceleret; ego tamen non vsum relinquerem syr. rof. sol. & mell. rof. sol. nec ad fortiora deuenirem pharmaca, ne scil. ore ventriculi magis irritato noua mala prosurgerent, sic *Septall. lib. 7. suarum animaduers.* 28. hoc idem asseruit dicens: *In biliosis, & acribus subducendis ijs humoribus licet Gal. & Trall aloe, siue hiera vtantur, vt si qua tunicis oris ventriculi materia adhæserit detergi possit, alij autem rhabarb, placet tamen magis blandioribus vti, maximè cum iam leniora commodissima nostro æuo inuenta sint, sic decoctum tamarindorum, syr. rof. sol. cassia, vel ex prunis paratum medicamentum, aut etiam additum sero lactis magis conuenient*; Ipse tamen *Septall.* in his affectibus potius vtitur bolis, qui cum diutius in ventre moram trahant, non solum commodius subducant, sed etiam attemperent; in quo genere & cassia, & pulpa tamarindorum optima erunt; sic quoque *Saxonia* fortiora im-

Hh 2 probat

probat medicamenta, primo ne robur ventriculi dissoluant, secundo ne plus à longinguis partibus trahant. *Iachinus in 9. Rasis* summè laudat el. Diaphæn. de quo ait tradunt non excedere uim eius purgantem primas venas, vim enim purgandi hebetem habet, presertim si non duplicetur dosis sca. monij, quod diaphænicum maius hodie vocant, verum ab hoc abstinerē,& loco illius vterer supradictis medicamentis nec inferioris vsus esse possunt in nostro casu clysmata, cum ab illis maximè se adiutum referat languens: & *Hip.* illa commendarit *lib. de aff. tex. 15.*

Cæterum an conueniat sanguinis missio videtur esse dubitandum, nam cum dixerimus adesse biliosos humores pituitæ, & flatibus admixtos, videntur illi gigni ab hepate feruidiori, cuius caussa in cardialgia *Mercatus* sanguinem mittit ex saluatella dextræ manus si vires non deficiant, subdit: quinimò sæpe solet esse præsentaneum remedium, maximè si icteri aliqua sit suspicio: quod præsidium commendauit etiam *Gal. 7. meth. cap. 11. & 8. de comp. loc. 4. quinimo Hipp. in hist. Androphani* cum cor eidem doluerit, subdit, *eum venę sectio soluebat*: tamen vt ingenuè fatear pace tanti viri id mihi non arridet, primò quia in Cardialgijs supponuntur uires ut plurimum deiectæ a uentriculi dolore, dolor enim ut dixit *Auic.* est de maximis prosternentibus virtutem. Secundò quia bilis est separata in ventriculum, quæ maximè venæ sectionem impedit, qua ratione dixerat idem *Auic. Ne phlebotomes infelicem ex productione cholera*, & alias: *Fastiditum ne phlebotomes*, nam vt ait *Gentilis in comm.* duplex est fastidium uenarum unum, uentriculum alterum, in hoc nunquam sanguis mittendus, quia trahitur materia in venas, in illo potest sanguis mitti si cætera alia consentiant, tertio quia adest flatus, qui summè impediunt venæ sectionem, adeo vt dixerit & meritò *Duretus*. *In affectibus flatuosis sanguinem mittere hominem iugulare est*: quod si mittendus sit sanguis potius in cura prophylactica id faciendum reor, ad hoc ut euentiletur Iecur quod solet producere, & eructare bilem in ventriculim non autem in therapeutica, quę materiam in ventriculo existentem tollere indicat per pharmaca, vel vomitoria, modo dolor ad se curationem non trahat; tunc enim posthabita caussa ad dolorem mitigandum paregoricis mens est reuoluenda.

Attendendum enim ad id quod magis vrget, neque alterum negligendum; ideoque pro dolore mitigando doctiss. *Mercatus* probat muccillaginosa, et quæ pinguem, aut emplasticam virtutem obtinent, ut oleum dulcissimum epotum, quod *Gal.* docuit *2. simplic. cap. 13.* sic muccillagines amylum, lac, sicut dum malum ut plurimum urget narcotica comprobat, cuius census est syr. de portul. de papau. Phylon. rom. &c. vtile etiam erit theriacam recentem adhibere, sicut ol. anis. medicamentis admiscere, nec ignoro *Alex. Trallianum* hæc medicamenta improbare, quinimò *Vallesium* viros nequam vocitare hos qui talia administrant medicamenta, uerum ubi necessitas vrget ait *Gal.* tutò ijs vtendum, nam eligenda potius est læsio, quam mors: nec interim mali erunt fotus anodini quos commendauit pariter *Gal. lib. de aff. tex. 16.* qui quidem ideò dolorem leniunt, nam ut aiebat idem *Senex lib. de flat. rarefacto corpore à calore, fomentum spiritus indè exhalat, vt quies inde aliqua, & mitigatio contingat dolorum*; sic *Ioannes Paschalius cap. de ventric. dolore* laudat micam panis cum cort. papau. lacte, & croco, uel absynthium cum folijs mandragoræ coctum ol. rof. uel mentha *Mercatus* laudat micam panis tosti imbutam

butam succo mali punici acidi, agresta aut vino, ego autem adderem cariophylos, & cinnamomum.

Neque interim excludenda est ventriculi oris roboratio, improbat enim Gal. 1. *de humor. comm.* 12. eos qui solum de euacuando humore erant solliciti, cum nullam de partium firmitudine facerent commemorationem, ex robore enim partis non regignuntur humores noxij, vel saltem ad benignum redacti corriguntur; sunt præt. qui laudant species Diarhod. *Mercurialis* laudauit vsum vini granat. in quo maduerit offa panis exhibita, quinimò dixit hoc in arcanis habendum; ego tamen maximè probarem durante dolore, & præstita euacuatione vinum absynthites; quinimò *Saxonia* huiusmodi parat medicamentum. ℞. comarum absynt. m. i. spicæ, calami arom. schoenant. menthæ siccæ an. m. s. coriandr. præp. vnc. 2. incidantur incidenda, & infundantur in vino albo modicè adstringente per tres dies, huius vini exhibet vnc. 2. quotidie sed ante vinum accipiendam iniungit rotulam uel ex diatrionpiper. aut ex diacimino, vel simili; atque hæc omnia possunt in nostro languente conuenire: quoad victus rationem, diæta est iniungenda, ideoque aiebat Hipp. *lib. de aff. tex.* 15. *A cibis abstineat quousque dolor affuerit*, & alias dixerat: *Oportet autem sub hoc tempus semel dumtaxat in die cibum sumere, sic enim quam maximè concalescit ventriculus, & ea quæ ingesta sunt exsuperauerit*; quinimò 2. *de morb. t.* 67. dixit: *Cibum autem ne exhibeas donec dolor remiserit*, nil enim magis adiuuat laborantem, quam tempestiua abstinentia vt dixit *Celsus*; leuia ergo sunt imperanda cibaria, quæ ex Hipp. *lib. de aff. tex.* 44. sunt quæ moderata in corpus ingesta, aut paulò amplius supra modum, neque repletionem exhibent, neque tormen, neque flatum, neque aliud quid eiusmodi: De vino est etiam quæstio, sic *Gal.* 8 *de local.* 4. ex Archigene laudat quodcunque vinum ægrotanti placuerit, *Celsus* tamen *lib. 3. cap.* 19. in necessitate tantummodo illud exhibet; quare illius loco proficuum magis erit vinum granatorum, aut succus; constat siquidem Hipp. eiuscemodi succo vsum fuisse magna cum vtilitate in illa muliere quam recitat per hæc verba 2. *epid. Mulier cor dolebat & nihil remittebat, sed in mali punici succum polentam inspergens, & semel in die comedens, depulit, & non vomuit, qualia quę Charion*: vnde cum hæc mulier haud dubiè Cardialgia infestaretur vt vult *Valles. in comm.* Hipp. tamen vsus est solum mali punici succo, proindèque subdit idem *Valles. Ego sanè iam aliquot Cardialgicos, & picrocolos iuui solum precipiens vt tota æstate vterentur pro vino decocto totius mali punici*; quod si fortè æger vinum malit assumere (quod à *Sene* pariter 2. *epid.* conceditur aiente: *Si cor doleat panem calidum cum vino mero dare*) seruare oportet quod adnotauit idem *Valles.* per hæc verba; *Vinum verò non modo sit multum, neque merum, nisi sit austerum, (hoc enim merum etiam esse potest) cardiacis etiam biliosis vtile est, quia adstringit et roborat*: quamobrem ego si vinum concedendum est in nostro nobilissimo languente aqua diluerem in qua bullierit coriandrorum portio, hæc enim coriandra sunt ad modum stomacho grata, vt declarauit Hip. *lib. de aff. tex.* 48. per hæc verba: *Coriandrum stomacho gratum est & per aluum secedit tum coctum, tum crudum*. Hæc ergo habeo dicenda pro eneruando morbo nostri nobilissimi languentis,

PRO ADM. REVER. PATRE
Tempesta Eucullato inappetentia lacessito.

CONSVLTATIO LV.

V*Entris torper omnium confusio* dixit H*ipp.6.epidem.*vbi enim ventriculus malè habet omnia corruere necessum est,is enim velut mare existit,quod dat omnibus,& repetit ab omnibus; is enim ex *Democr.libel.de Nat hum.*naturalià inter viscera medius omnia suscipiens chorum ducit, & accumbit coctionem gubernans, si tamen is validus existat, alioquin enim tantum abest vt coctionem gubernet,ut eandem potius destruat, & vbi validus alimentum optimum corpori subministrat,imbecillis factus congerit excrementa;sicque bene cecinit H*orat.2.Satyr.2.*

At simulassis
Miscueris elixa, simul conchilia Turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Quid miror ergo si adm.Reuer.noster Pater malè se habente ventriculo ob pituitæ præsentiam *ἀνωρεξία* prematur,torqueatur inappetentia? quare id cernens quintus *Serenus* sic cecinit:

Huius enim validus firmat tenor omnia membra
At contra eiusdem franguntur cuncta dolore.

Ventriculus enim ipsius ob multa errata, & potissimum esum multorum olerum vnàque leguminum, imbecillitatem concipiens, cruditatibus ansam præbendo,inappetentiam gignere potuit: ideoque *Gal.lib.2. de alimentis* dixit:*olerum quidem nullum boni succi est*; indèque *Alex.Petronius 3.lib. de victu Roman.*dixit herbas multum habere excrementi, atque ita ventriculum replere,quod etiam a leguminibus fieri credendum, vnde ventriculus cogitur sub tanto materierum onere gemere,quare imbecillitas ventriculi potius manat ex culpa obiecti vnde frustrari potuit concoctio,quam ex actione læsa parenchymatis ventriculi, nam vt ait *Zacutus* cum actio importet motum ab agente membro prodeuntem, nunquam dicetur læsa ipso membro incolumi durante, sed si frustrabitur actio uentriculi potius id continget ex obiecto,uel passo non euicto, nec permutato; nam quando alimentum est immodicum, uel est prauum, quamuis ventriculus sit optimus non euincetur,nam multo maior est resistentia passi, quam sit actiuitas ipsius agentis,proindèque fortè aiebat H*ip 1.aphor.15.*proportionandum esse calori alimentum,tanquam conseruans, & conseruatum, cum enim calor noster compositus ex naturali, & influente perpetuò resoluatur vt ait *Zacutus lib.8.cap.12.*& euanescat ob subiecti sui humiditatem, ut præsens qualis est conseruetur si multus est,multum esse debet alimentum alioqui deficiente materia extinguetur; quare ut resultet coctio necesse est ut alimentum calori correspondeat, sicque quando alimentum uel est nimium coctio non resultat, non quia id ex culpa veniat ventriculi uel caloris, sed quia obiectum seu passum non est habile euinci ob nimietatem, uel ob prauitatem; quod in Reuerendo adm.Patre contingere videmus, qui quamuis optimo

fuerit

fuerit ventriculo à Natura donatus, tamen quia multa praua cibaria ingesſit quę resiſtendo calori ut agentis actioni in cruditates innumeras abiere, ſicque anorexiam pepererunt, crearunt inappetentiam; qua de cauſſa Hol-lerius 4. Coac. comm. 1. dixit: *Itaque colluuies quædam excrementorum ab alimento naſcitur, quæ malignum quid mora, & contagione reliqui vitij contrahit*. vnde meritò dixit Fernell. lib. 1 de morb. cauſſ. cap. 14. *Cibi potusque vitia gignendis morbis pabulum, materiamque ſuggerunt, e qua & morbi interdum ſponte emanant, nullo euidenti cauſſæ impulſu* vnde inferius ſubdebat: *Quicquid in corpus illabitur, aut temperamento, aut materia, aut tota ſubſtantia agit, noſque permutat, Temperamento, & qualitate aqua frigida & lactuca corpus refrigerant, illa quidem re ipſa, hæc verò poteſtate, Ignis atque vinum calfaciunt hoc poteſtate ille energia.*

Materia agit quod ſubſtantiæ tenuitate penetrat, humoresque incidit, quod craſſiore materia corpus adſtringit & denſat, & quod viſcoſum adhæret, aut contra detergit. Tota ſubſtantia quicquid totius ſubſtantiæ vel familiaritate nos alit, vel diſſidio & inimicitia naturam noſtram depopulatur atque depaſcit: illud alimentum, hoc venenum appellamus: Quicquid tamen ſit tam herbæ, quam legumina tam temperamento, & qualitate obfuerunt, quam materia, hac quia nimis craſſos progenuerunt humores, qualitate quia vel frigiditate, vel calore inappetentiam generando, hoc humores colliquando, illa eoſdem denſando, & agendo ut humores ſua craſſitie & tunicis ventriculi inhæreant, & eius orificio: qua de cauſſa potentia ipſa appetendi non ſolum non apprehendit cibum vt iucundum, verum potius odore & ſapore iniucunditatem progenitam à vitio humorum qui ſunt propè os ventris perſentit, vt ait Mercatus: Appetentia namque oris ventriculi moleſtus quidam eſt ſenſus vt vult *Iacchinus* omnis enim indigentia ex *Platone in Phædro* moleſta res eſt, & præter naturam; quare in anorexia erit diminutus ſenſus, & diminuta ſuctio, quæ perfecta requiritur vt fiat appetitus, ex imperfecta enim fiet deiectio ipſius appetentiæ, quæ pręter materiæ præſentiam, etiam non rarò ab intemperie proſurgit, non ut aiebat *Auenr* 3. *collect.* 32. cum omnis operatio naturalis fiat à temperatura partis, neceſſariò etiam corrumpitur operatio ab intemperie eiuſdem partis, quę ſanè in noſtro languente eſt producta ex mora, & præſentia humoris frigidi, & glutinoſi exiſtentis in ventriculo geniti ob herbarum, leguminumque, hæc enim frigidorum humorum moles ventriculi ſuctionem inhibendo inappetentiam facit; (nam quemadmodum appetentia vt explanauit *Empedocles* ex inopia fit alimentorum, ni velimus cum *Democr.* dicere eandem fieri ex diſſonantia meatuum, & corpuſculorum) ita inappetentia fiet ab excrementorum multitudine; quam quidem reor ortam eſſe quia nulla facta eſt inanitio earum materierum, cum reddita ſit ſtyptica aluus, & quia ſuctus ſit impeditus; quamuis non ignorem impediri inanitionem ob obſtructiones quę attractionem impediunt; vel ob affectum totius corporis, vel ventris, Totius quidem quia non diſſipatur, vt cum plenum eſt frigidis craſſiſque humoribus, unde & calor debilis fit, & materia non facilè abſumitur ob craſſitiem, & denſitatem carnis; ventris ſi humida ſeu calida adſit materia; quare vtrumque in Reuer. Patre admittendum, repletio ſcil. & totius, & partis, cum in ventre multa adeſſe excrementa cernamus & potiſſimum pituitoſa vt patet ex vomitu materierum pituitoſarum ſpuitione, nauſea nec non etiam, & ex grauitatis ſenſu, totius cum & caput deſtillans habeamus, & omnes partes frigida elangueant dy-

ſcraſia

scrasia ut patet ex pallore totius corporis, et ex actionum tarditate; actio enim deprauatur à calido, diminuitur à frigido, vnde ob id apparet diminuta appetentia quia scil. os ventriculi est intemperatum frigida intemperie, ob idque prohibita suctionis actio, quæ nedum in nostro languente ex dyscrasia frigida pendet, sed etiam ex plenitudine, et cacochymia pituitosa, quæ os ventriculo refrigerando eius sensum tollit vt diximus sua præsentia, nam ventriculus dum non expellit, vel partes non attrahunt, materia ventriculo inhæret, sicque anorexiam producit, nam si ad efficiendum appetitum concurrit euacuatio, et dissipatio substantiæ corporis per continuum illum effluxum vt ait *Sennert.* hinc sequitur 'φυσικὴ ὄρεξις' seu naturalis alimenti, quo corpus nutriatur, et instauretur appetitus. Tertiò suctio venarum inanitarum in toto corpore, qua venæ minores à maioribus, et hæ rursum ab alijs partibus sugunt, donec tandem ad ventriculum peruentum est. Quartò loco est sensus in orificio ventriculi, ac quintò est appetitus animalis quo animal vellicationem in orificio ventriculi percipiens ad famem, et sitim explendam, quęrendumque cibum, et potum sese confert; sic ad faciendam inappetentiam contraria concurrunt, nam non est vellicatio, non est sensus in orificio ventriculi, et non est suctio venarum inanitarum, quare necessario sequitur anorexia, cum supponatur plenitudo calorem suffocans, orificium ventriculi replens, et suctionem impediens; quare antequàm vlterius progrediatur morbus, medendum, ne in alia deteriora pathemata incurrat, cumque dixerim inappetentiam hanc è duplici caussa pronasci, nimirum ex humorum abundantia, et ab intemperie, proindè illa deplenda, hæc autem alteranda calidis, cum frigida existat.

Quare quamprimum ad purgationem deuenirem, præhabita tamen preparatione debita, vt syr. de beton. mell. ros. simpl. et oxym. simpl. vt postmodum possimus eandem deturbare; pro euacuatione summoperè laudarem hyeræ simpl. *Gal.* species unà cum portione Diacatthol. et agarici; sic *Mercatus* tam in caussa calida, quam frigida rhabarbari usum commendat, masticari; neque subindè præstita prima hac euacuatione inutile erit ad pillulas confugere, vt de hyera cum agar. aggregatiuas, & cocchias, vel masticinas cum dixerimus caput quoque destillare; pro qua delenda destillatione chinæ vsum commendarem cum tantillo ligni saxafras ebullit. in iure addendo cephalicas herbas, cum portione menthæ & cort. citri; quemadmodum si affectus prorogabitur summè probarem inustionem in occipite, vel bracchio, quamuis non ignorem in crure ventriculi ratione affigendum esse, quod fiet si caussa erit totaliter indigena ventriculi, non autem aduena aliarum partium. sic quoque ceratum capitale non omitterem, pro ventriculo autem abstergendo, vnàque roborando aquam Tertulianam commendarem, cum salis ratione omnia hæc possit prestare.

Interim non alienum erit electuaria conficere ex sp. arom. ros. Diarhod. Abb. addita portione conf. ros. vet. sic theriaca, mitridathum, Diamuscus dulcis, aut Diambra resoluunt mirificè materiam, vnàque etiam ventriculum roborant; Neque alienum erit extrinsecis quoque ventriculum fouere, proptereaque summè probarem, vel panem torrefactum inspersumque vino odorifero, vna cum cariophyllis, & cinnamomo, vel absynthium vino irroratum, vel emplastrum stomatichon, vel sequens vnguentum, vt ℞. ol. nardini, de mentha, de spica an. vnc. ʒ. pulu. cinnamomi, cort. citri, cariopir.

men-

menthæ an.drac.5.ceræ q.s.misc.f.vnguentum,sic quoque ceratum ex mastiche,vel tacha macha ad scuti formã uentriculo affixum optimum erit; cæterum de victus ratione multa essent scribenda,quam omitto ob latoris celeritatem sciens doctissimum curantem Medicum eandem optimè instituere;diæta tamen in hoc potissimum casu maximè conuenit, quã de caussa est pulcherrima fabella à *Boccatio* recitata cuiusdam Abbatis opulenti, qui laborans morbo ventriculi, & perdita appetentia, ac propt.accedens ad thermas captus à quodam latrone, diuque custoditus sine ullo propemodum alimento breui appetentiam, & sanitatem recuperauit; videri potest hæc historia apud Alex. Massariam.

PRO PER ILLVST. ET ADM. Reuer. Domino Domino Fabritio Porcinario Patritio Aquilano. Cholera laborante.

CONSVLTATIO LVI.

TAm per aluum quam per vomitum pręstita euacuatio in nostro languente choleram morbum effigiare iam constat;sic *Mercatus cap. proprio* dixit cholerę symptomata assiduam esse simul deiectionem, & vomitionem;vndè *Gal.3.de sympt.caus.2.* dixit choleram nil aliud esse, quam excrementorum euacuationem,quæ quouis modo ventriculum contristant, factam per utramque illius partem, & superiorem, & inferiorem, quamuis non ignorem posse dari choleram absque utraque euacuatione, sed unam sat esse,sic Euthychidis historiam habemus apud *Hippoc.5 epid. qui ex cholericis in cruribus in tetanos desijt, simul cum deiectione* deorsum impensè flauum, bilem multam uomebat per tres dies, & noctes, & ualdè rubram, subdit, *impotens erat,& anxius,nihil autem continere po erat, neque potuum neque ciborum, &c.Vallesius ait in comm. Cur ergo vocat hec cholerica, si deiectionis per inferna erat suppressio semper? Porrò si hæc suppressio erat semper, quo pacto dicit desijsse malum in crurum tetanos simul cum deiectione deorsum, & rursum mollem fæcem simul deiectam vomitu, deorsum erupisse?* subdit adhuc *Vallesi. In primis nomen choleræ ei præcipuè tribuitur morbo,per quem euomunt simul, & deijciunt deorsum ægroti, sed & cum, & sine his euacuationibus à fluxu prauorum humorum solis irritationibus cruciatur venter supernus vocabatur cholera antiquissimis, nam 4. acut. dicitur cholera sicca per quam nihil euomitur, sed nauseatur tantum; quanto magis cholera morbus fuerit hæc tametsi à sola vomitione incæpit, quę in vtrasque simul euacuationes processit*. ego autem censeo non esse necessariam coniunctim huiusmodi euacuationem, sed disiunctim, ità ut sensus sit modò posse comparere uomitum, modò fluxum uentris successiuè siquidem quamuis non ignorem ualidum esse irritamentam factum ab humoribus, tamen non est ita facile creditu, vt eodem instanti, & deorsum tendat, & sursum, sed modo vomitum prouocet, modo ad alium bilem protrudat; *Mercatus* tamen *loco cit.* dixit sciendum esse nusquam hunc affectum fieri citrà simultaneam euacuationem, sed plerumque degenerare

in alterutram; non enim mihi ly simultaneam videtur indicare vt eodem tempore fiat ambæ euacuationes, sed vt in eodem morbo contingant & euacuationes deorsum, & sursum; sicque dixi *Hipp.* 5. *epid.* 27. *Bianti pugili cum natura vorax esset, contigit vt in affectiones cholericas bilis sursum, ac deorsum exeuntis delaberetur ex carnis esu, maximè vero ex porcinis carnibus*; quam etiam cholericam passionem dinumera 7.*epid.* sic virum Atheniensem refert *5.epid.* 4. quem cholera corripuit, vomebatque & deorsum egerebat, & neque vomitus, neque per aluum secessus sisti poterat, & vox ipsum destituebat; quare neque secundum *Hippo.* est negandum veram, & legitimam choleram consistere in eo quod ventriculus eodem tempore & per vomitum materiã euacuet, & per secessum, non ob id tamen dicendum quod cum in eodem morbo & vomitus, & deiectio deorsum successiuè succedunt, non sit dicẽda cholera, pendet enim vtraque ab irritamento ipsius ventriculi præstito à nimijs humoribus existentibus in ventriculo, vel aliundè ad ipsum fluentibus; ideoque *Mercatus* doctiss. dixit hunc morbum spectare ad expultricem ventriculi facultatem irritatam validissime, non solum iuxta os ventriculi, verum etiam secundum inferiorem eius partem, quæ pyloron dicitur; quinimò nedum hunc morbum dixit spectare ad facultatem expultricem, sed etiam retentricem, nam cum retentrix est pebilis facilius expultrix expellit, cum non habeat, quod impediat; præt. non minus est infensus humor expultrici, quam retentrici, ità vt si expultrix expellat quià irritata, sic ventriculi retentrix irritatæ desinat retinere; sic *Valles.* 5. *epid.* 10. dixit: *Constat hoc symptoma pertinere ad retentricem, & expultricem, esseque alterius motum nimium, alterius impotentiam*: quamuis non ignorem secundum aliquos nedum ventriculum pati in hoc morbo, sed etiam intestina sic *Alex. Trall.* hunc morbum dici insinuauit ἀχωλάδων hoc est ab intestinis, sic *Asclepiades* choleram definiens dixit esse humoris fluorem celerem, ac parui temporis ventris atque intestinorum, ex concursu siue obtrusione corpusculorum, atque vt sæpæ contingit ex indigestione initium sumens; *Soranus* vt est apud *Cælium Aurelium* dixit choleram esse solutionem stomachi, ac ventris, & intestinorum cum celerrimo periculo; quicquid tamen sit, morbũ quo præmitur noster æger cholericam esse affectionem nemo est qui denéget, siquidem & biliosorum humorum vomitu & eorundem eiectione per secessum infestatur, quæ quidem affectio non aliundè originem traxit quam ex barbi piscis ouis comestione, hæc namque ea potissimum prærogatiue referuntur, vt choleram ginant: sic doctiss. *Cardanus* .. *de sanit. Tuen. cap.* 59. dixit: *Oua mense Maÿ illorum si edantur afferunt tormina, & bilis vomitum existimatur id contingere quod eo tempore floribus populi alantur, aluum etiam vehementer irritant, vt aliquando non nisi magno negotio sisti possit*; sic *Alex. Petron. de victu Romanorum* Oua dixit præsertim mẽse Maio perniciosa sunt; præter id enim quod violentissimorum vomitum citant, tum aluum mouent, nonunquam etiam mortem; quomodo autem id contingat difficile est rationem reddere, nam quamuis *Galen* dicat populi flores virtutem abstersoriam obtinere, id tamen vel ad propriam quandam virtutem illorum referendum, sicut stibium, habet facultatem quandam & sursum, & deorsum mouendi prouenientem ab actione totius substantiæ, vel referendum ad vim acrem stimulantem ventriculum, vel ad aliud quod lubenter omitto, cum non sit præsentis instituti id disquirere; sat enim est nunc dicere barbi oua fuisse

causs-

caussas mouend cholerам in nostro languente, non aliter quam ob eorum cum alexiteriam vel in se ipsis existentem, vel conceptam ex populi floribus vel ventriculum vellicando, vel impulsum humoribus exhibendo & potissimum biliosis, partim in ventriculo stagnantibus partium ab hepate transmissis, cum cernamus eosdem potissimum tam per vomitum eijci, quam per secessum: bilis enim cum os ventriculi stimulat anxietates illas producit, lypothimias, ac dolorifica pathemata, dum vero ad vias secessus deriuatur tormina, eiulatus, torsiones, & alia creat, indeque miror cur aliqui hunc morbum referant pariter ad cruditates, & humores pituiteos, cum enim hi humores sint frigidi, tardi motus ac dolorem vel minimum possint grauando progignere, nequeunt choleram morbum adeò dirum generare, ni aut corruptionem nanciscantur, aut biliosis humoribus fuerint commixti, sicque merito dixit *Gal.* hunc morbum fieri vel à materia erodẽte, vel grauante, ita ut dolor & passio quę habetur in hac ægritudine ex ventriculi pendeat erosione; sic *Mercatus* doctissimus dixit in hoc morbo alimenta quamuis incocta & cruda in ventriculo existant, non posse choleram gignere nisi præter cruditatem, aut incoctibilitatem vitiosam aliquã conditionem, & qualitatem adeo à natura euersam quod ipsam omnino lacessant: quam contrahere ait, quia cum in liquatione vel vitio caloris liquantis, vel alimenti ipsius nequiuerit natura formam chyli ipsis inducere, nec solum quid crudum potuerit ex ijs superesse, susceptarunt putorem, & conditionem adeo Naturæ inimicam, vt mox ipsam lacessant, & ad expulsionem grandi diligentia inuitent, præsertim cum diu detenta ex copia simul & malitia id efficiant; quare non est vt dicamus ab humore simpliciter crudo posse choleram gigni, sed requiri, vel eiusdem corruptionem, vel in eo malam adeptam qualitatem, atque ita male putasse crediderim *SchenKium* qui putauit ab omni humore huiusmodi affectum posse produci, quinimo, ex cruditatibus & cibis semicrudis, quinimo, & à sanguine humore adeo miti, sic refert historiam Comitis Iulij Boiardi, qui quotidie statuta quadam hora cum febris accessio superueniret, copiosum sanguinẽ & per os euomebat, & per inferna deijciebat, cum maxima ventris perturbatione, & dolore, membrorum contractione, & casu in syncopen, in hoc sanguis ait à iecore ad myseraicas, & ad intestina, atque ventriculum regurgitabat, qui & vomitum faciebat, & deiiciebatur per infernas partes, verum ait huiusmodi sanguinem biliosum, & atrabilarium, quod videtur meam opinionem stabilire, non enim sanguinis vt sanguis huiusmodi affectum genuit, sed prout bili vel atræ bili commixtus, sic recitat historiam Dominæ Luciæ Roncagallæ quę ab atra bile choleram est experta, aliam recitat Dominæ Philippæ Zaninellæ quæ ab ichoribus eodem morbo ægrotauit, quamobrem semper in hoc morbo acredinem quandam, & prauam qualitatem requiri censeo vt stimulet, vellicet, angat. sic quoque *Petrus Salius* in cholera sicca *lib. de affect. particul.* quam *Hippocr. lib. de morb.* sub nominè morbi ructuosi indigitauit ait eiici spiritus flatulentos, acres, tum per ventriculum, tum per intestina, hic enim flatus cum sit acer, & partes internas in quibus genitus est mordet, & eas per quas in eductione pertransit exasperat, & affligit; quos quidem acres vapores, seu spiritus in corpòre humano duplici de caussa generari statuit, vel ventriculi ratione, vel ratione assumptorum, ratione ventriculi, cum is cibaria

Ii 2 licet

licet in his non sit peccatum corrumpit, & ità corrumpit, vt ea conuertat in acerrimos vapores, quod non ab alia caussa contingit, quam ob eius igneum calorem, ratione autem assumptorum, cum in alimentum sumuntur cibaria acria, & flatuosa, seù quæ nidorulentam, & fumosam habent qualitatem, qui nidor in materia semiusta, & acri fundatur, sicuti sunt cæpe raphanus comestilis, & cæteræ radices acriores eruca, caro nimium tosta, oua & cætera in sartagine nimium frixa, hæc enim ingesta vbi corrumpuntur acerrimos procreant vapores & sunt in caussa choleræ siccæ: quamobrem si in cholera sicca requiritur acredo in exeuntibus flatibus, quid dicendum erit in humida? Cæterum ne vltra sim, addubitandum haud est choleram qua præmitur ad. Reuer. ęger ab acribus fieri humoribus, & potissimum biliosis, ijsque ab hepate progenitis feruidiore, vnaque in ventriculum transmissis, motisque à barbi piscis ouis, vel quia abstergendi vi pollent, vt dixit, vel ob qualitatem propriam, vel tandem ob incoctibilitatem, vt contingit ex *Arist. in probl.* in pharmacis; quæ quidem quia maxime torquet languentem citissimam curationem exposcit, qua ratione dicebat *Trallianus lib. 7. cap.* 14. *Dilatio in omnibus acutis morbis nociua est, in hoc autem affectu etiam exigua, ac leuis curandi mora simplicem offensam, sed etiam absolutam subinde tabem, quæ Phtysis dicitur conciliat*: morbus enim hic ex eodem *Tralliano* periculosissimus est, ac acutissimus; hincque fit vt magnus, pręceps lapsus virum, (ait *Valles in comm.* viri Atheniensis) hunc morbum citò sequatur, ac proinde vocis defectus, mouendi impotentia, caligo, & excauatio oculorum, & frigus extremorum: verum quia hæc non adsunt in nostro languente, sed vires sufferant, potius sperandum quam aliter præsertim si cito succurramus curatione, quæ vt bene ait *Senner.* potissimum consistit, in caussæ scil. ablatione, & symptomatum quæ fiunt mitigatione, quod fiet primo euacuando vel per vomitum, vel per secessum, secundo, humores temperando, & roborando partes, & tertio, vires conseruando, & symptomata mitigando.

Quoad euacuationem *Celsus lib. 4. cap. 11.* ait: *Protinus ergo vbi ista cæperunt, aquæ tepidæ quam plurimum bibere oportet, & vomere, vix vnquam sine vomitu sequitur, sed etiam si non incidit miscuisse tamen nouam materiam corruptæ prodest, parsque sanitatis est vomitum esse suppressum*: quod intuens *Cælius Aurel. 3. acut. morb. cap.* 21. dixit: *Potum dari decet tepidæ, vt quod immutatum corruptione videtur, tanquam veneni materia per vomitum depurgetur: at si hęc corrupta excludi desierint, erunt ægrotantes seruandi in eodem schemate.* cæterum *Hippocrat.* nos docuisse visus est perbellè curationem aiendo in Viro Atheniensi 5. *epid. Deiectio autem multo maior erat quam vomitus. Hic bibit elleborum in lentium succo, & superbibit lentium alium succum quantum potuit, & deinde vomuit, & coacta sunt, & constiterunt ei ambo*: subdit meus *Valles. in comm. certè quia deiectio multo maior erat quam vomitus, cum enim intestina magis affecta essent quam uentriculus uomitoria expurgatione, & totius corporis euacuatio, & à præcipuè affecta reuulsio fiebat, id enim est quod in uentris affectionibus maximè timemus, non posse expurgari corpus nisi per affectam partem, vitandum ergo est id quam maximè potest, atque si ventris partes non æque laborant, per eam mouendum quæ laborat minus*: *Cælius Aurel loco cit.* carpit *Hippocrat.* quod vsus sit vomitorio, cum vomitum sistere debuisset, verum bene illum retorquet *Valles. loco cit.* dicens: *In huiusmodi morbis quibus euacuationes preter naturam coniunctæ sunt frustra, neque sine maiori periculo tentatur adstrictio, antequam co-*

pia

pia excrementi euacuata sit; subdit: *Cum ergo euacuationes videntur procedere satis copiosè, & neque virtus adhuc labascit plurimum (ferendę enim sunt aliqua debilitatis notę propter symptomata) neque cohibendum neque prouocandum est, sed occurrendum solum aliis symptomatis, sin autem iam videtur processisse plusquam pro excrementorum in corpore abundantia, aut plusquam pro virtute facultatis sistendum mox, sin autem irritatio, dolor, & anxietas sit maior quam pro magnitudine euacuationis, & euacuatio minor quam pro multitudine excrementorum expurgandum est vt copia affatim vacuata vacet symptomati, quod in nimia expulsione est occurrere*. Quicquid tamen sit, ego *Hipp*. consilium amplecterer, eamque euacuationem quæ minus affligit adiuuarem, proindèque ipse in viro Atheniensi cum vidisset deiectionem esse multò maiorem, quam vomitum, vomitorium dedit; ego autem in nostro languente deiectorium aliquod medicamentum commendarem, cum vomitus sit multo maior deiectione, darem ergo syr. ros. solut. vnc. 2. rhabarb. parum acerbi scrup. dec. myrabol. q. s. vt f. potus. *Mercurialis* probat hos bolos. ℞. conf. ros. vnc. 1. s. rhab. el. subtiliter puluer. drach. 1. mirab. citrin. scr. 1. s. mis. f. boli cap. Nec minoris momenti videntur esse clysteres facti ex lacte, facch. rub. ouorumque vitellis; *Alex. Massaria* vtitur clysteribus ex oleo puro vt puta vel communi, vel amyg. dulc. uel chamomelino; verum potius in nostro casu probarem clysteres ex succo prysanæ, facch. rub. & ouo uno integro, sic enim abstergitur materia, non accenditur ob oleosa, & tandem dum albumen oui intestinis inhæret excoriationem prohibet; quo clystere sæpissimè vsus sum etiam in Dysenterijs summo cum emolumento.

Pro roborando ventriculo, ac temperandis materiis vtile erit alterantibus incedere, vt syr. granat. de ribes, cydon. conf. ros. antiqua, sandalis, & Diacydon. sine speciebus; ego autem in nostro casu vterer syr. præfatis, sed dissolutis cum tantillo iuris in quo ebullierint portul. plantagin. & sem. cydon. sic *Langius* vt refert *Senner. lib. 3. epist. 1. cap. 4*. crystalli drac. 5. summè probat; sic inunctiones ex ol. cydon. amygd. dulc. ros. omphac. haud malę erunt, vel cataplasmata ex pulpa cydon. vino ebullita, sicut ex pane nuper cocto cum puluere ros. corall. rub. vel empl. Diaphæn. de crusta panis &c. Pro viribus ac conseruandis, ac mitigando dolore summè proficuum erit adhibere conf. Hyacinthi cum conf. ros. vet. vel mitridathum, theriacā recentē &c. hæ enim confectiones sua vi narcotica oris ventriculi sensum obtundunt, acres humores attemperant, prosternunt eosdem, ac denique separationem impediunt, vnàque vires roborant; proindèque in nostro languente si fluxus, aut anxietas & dolor perseuerent. non alienum crederem dare theriacæ rec. & conf. Hyacinthi an. drac. 5. cum conf. ros. vet. drac. 2. sic *Mercatus* drac. 5. aut drach. 1. phylonii Persici aut Romani comprobat liquati cum aqu. plantaginis, uel syr. de papau. cum aq. chalibetta; sed circa hoc consilium capiemus in arena.

Interim optima victus ratio commendanda, hinc *Valles*. antiquorum prudentiam commendat circa debilitatorum victum, qui recens expurgatis, aut alioqui spontè exhaustis tenuis cibi exiguum exhibebant, sic cernimus *Hipp*. in Viro Atheniensi cholera laborante dedisse polentam ex aqua non nisi tenuem, hoc est constantem pauca farina, contra ac vulgares Medici faciunt, tribuentes multos bene crassos cibos cum uino. quasi quod multis diebus exhaustum sit vna sint reposituri; sic *Mercatus* laudat iura galli-

lina-

linarum cum acetosa, item & perdicum, sic Senner. ptyssanam laudat, una cum iuribus; ego autem summè laudarem offam panis in vino granatorum intinctam; sunt qui laudent oua sorbilia, sed *Montanus consil. 29. de febr.* oua facillimè corrumpi contendit potissimum in ventriculo calidiore, *Gal.* tamen *12. meth. 6.* inter cætera alimenta quæ difficilè corrumpuntur annumerat oua; ego tamen post præstitam euacuationem ab ijsdem non horrerem, quippè cum supponatur esse eiecta pars bilis non erit vndè corrumpantur; Vinum autem nunc in principio non adhiberem, cum præsentia bilis adsit, sit & febris, quare potius vinum granat; quod sine detrimento & os ventriculi roborat, & bilem obtundit, & impetum frænat. Hæcque sunt quæ possum pro tempore proponere, vestræ sunt partes Viri doctissimi, vt an benè dixerim dijudicetis, cum eorum omnium iudicio me submittam.

PRO PER ILLVSTRI DOmino Paulo Pacecco Hispano Aquilanæ Arcis Præfecto hepatis tuberculo laborante.

CONSVLTATIO LVII.

IEcur dixit *Aret. lib. 1. cap. 13.* quanto ad sanitatem melius est, tanto, & deterius morbis afficitur, etenim celerius, & violentius inflammatur, & frequentius perniciosiusque abscessum patitur: vt propt. haud mirer nobilissimum virum hinc ad multos menses dolore hepatis lacessitum, tandem in manifestum eiusdem meteorismum incidisse, ac denique vt reor in eiusdem, sed partis cauæ tuberculum, ortum sanè ab vsu nimium frigidorum, & potissimum niuis, quæ vel partes densando, vel natiuum partium calorem hebetando, vel viscerum parenchymata relaxando, & cruditatibus ansam præbent, & humoribus crudis, lentis, ac viscidis, qui suo lentore in Iecoris parenchyma transmissa, illiusque ductus obturando obstructiones egerunt, ex ijsque acutis tuberculam genuerunt; quod patet tum ex grauitatis sensu, tum ex meteorismo, tum ex eo quia dum decubitum circà leuam partem ambit, ac dum iter agit respirare nequit, dumue comedit protinus dolore cruciatur, dumque somno gaudere studet, protinus etiam maximo dolore prehenditur; quod ex his satis patet esse phyma seu tuberculum in Iecoris concaua parte genitum, & primo ex doloris sensu dum somnum captat, nam facultas rectrix partis in somno sopitur sicque partem relaxat, quę cadens in partes adiacentes dolorem maximum infert, sic in comestione dolorem percipit ventriculo propter cibum turgescente, ac hepar quod ipsi superest subleuante, qui quidem dolor eatenus magis circa intestina protenditur, quia in concaua Iecoris parte dolor existit, qua ratione dixit *Senner. lib. 3. par. 6 sect. 2. cap. 6.* dolorem in gibbo ad pectus distendi, in cauo ad ventrem, & intestina.

Anhelitus difficultas non aliunde manat quam ab eodem hepate ob tuberculo facto ponderosiori, nec non etiam & diaphragma comprimente; quod etiam est in caussa vt dum in leuam partem decumbit compresso hepate,

pate,

pate,& comprimente dolor maximus insurgat,qui in dextro decubitu non probatur,eo quia non suspenditur, sed adhæret parti carnosæ adeò vt non remaneat ipsummet hepar compressum ; idue etiam patet ex meteorismo, & grauitatis sensu,hepate oblæso in magnitudine,aucto scilicet parenchymate ab humore tum crasso,& lento à ventriculo genito, nec non etiam, & ab humore vsto ab eodem hepate producto,qui quidem ambo humores hepatis substantiam opplendo illam adeò adauxerunt, vt tuberculum produxerit;est enim ex *Gal.13.meth cap.*15.Iecur aptum huiusmodi tumoribus vtpotè quia naturaliter lutosum quippiam continet: Tubercula siquidem, vt aiebat *Petrus Salius* 1.*commentar.de morbis* duplici fiunt ratione, vel imbibita,vel aggenerata materia, idest vel per fluxionem, ex qua transmitti, & fluentes humores in affectam partem recipiuntur, & imbibuntur, uel per congestionem ex partis uel imbeccillitate proprium nutrimentum alterare nequeuntis, vel vitio id ipsum corrumpente pendentem, ex qua humor parti affectæ aggeneratur, quo duplici etiam modo factum est tuberculum vt dixi partim aggenerata in ipso parenchymate ob calorem vsta materia, partim à ventriculo transmissa ob relaxationem pituitosa materia, quæ ibidem compacta tumorem seu phyma peregit, absque febrem quidem, quia cruda est materia.

Nec.n.suppurat, sed huc crudum existet, & in dies augmentum habet à materia è ventriculo aliisque partibus transmissa vnaque à Iecoris dolore pariter attracta; ideoque censendum non fieri suppurationem cum non adsit rigor, nec febris, quæ duo potissimum symptomata sunt quasi pathognomonica suppurationis signa: quamuis Saxonia addiderit pondus; quomodocunque tamen fit cum affectus fit admodum difficilis, & tuberculum fit in parenchymate non potest nisi per interitum solui, nam vel suppurat, sicque totam Iecoris carnem vlcerat, vel non suppurat sicque in scyrrhum abit aptum sanè vel cachexiam, vel hydropem parere, quomodocumque tamen sit eius curationi incumbendum, quæ à multis indicatur,à cacochymia totius, à materia coniuncta & infarcta eiusdem partis & à dolore, dolor sui mitigationem indicat, infarctus materiæ apertionem, & emollitionem, & cacochymia totius ante omnia vniuersalem amat euacuationem, sed leuem, ideo que ego vterer syr. rof. sol. D. Augustini, & mell. rof. ad vnc. I ſ. pro singulis, deinde deuenirem ad præparantia ex syr. de becton. de cichor. & oxym. simpl.adiecta iuris calidi portione vt post modum possimus deuenire ad medicamentum euacuans, quod esse poterit sequens: ℞. el. Diacatthol. lenit. an. vnc. ʒ. spec. hyeræ simpl. Gal. drach. 3. mis. & cum sacch. f. boli cap. Interim non alienum esse crederem in corpore adeò plettorico sanguinem mittere ex Iecoraria dextri bracchii ad euentilandũ, reuellendum & euacuandum, quamuis enim copia extiterit materierum crudarum, cæ tamen euacuatę supponuntur; vel erunt hyrudines apponendæ, his assumptis ad ius aliquod alteratum deuenirem, quod scilicet, & emolliendi, & leuiter aperiendi vires obtineat, quale esse poterit sequens: ℞. agrimoniæ graminis, altheæ, passul. capill. Ven. cetrach, cuscutæ, an. p. i. absynthii p. ſ cæterum rub. vnc. I. sem. melonum mundat. vnc. I. mis. bull. in iure, in quo omni diede manè addatur syr. de cichor. capill. Ven. & de duabus rad. an. vnc. ʒ. Ex quod si chinæ portio reddatur non erit inutile, sicut chalibem in eodem iure bis, terque extinguere; quinimmò optimum erit

prius

prius pillulam ex ammoniaco paratam accipere, vt bene docet *Claudinus in suis consil.* & quamuis non ignorem gibbam Iecoris partem dyuretica desiderare, cauam verò euacuationem per inteſtina, tamen quia affectus eſt propagatus etiam in gibbam dyuretica poſſunt conuenire interim ad leniendum dolorem animus eſt reuoluendus pro quo & fotus diſcutiendi, & emolliendi vi pollentes commendantur, ſicut inunctiones, cataplaſmata, & ſimilia; ſic quoque ad lienem emolliendum optimum erit emplaſtr. ex Diachylon, de meliloto, ceratum æſypi, vel quod tantoperè à *Zecchio* commendatur: ℞. empl. de muccillagin. vnc. 1. ſ. bdellij vnc. 5. ammoniaci drach. 2. Gummi ſoluantur in aceto acerrimo, & bull. in ol. de abſynthio vncia 1, cum vini albi vnc. 2. deinde adde ſpicæ nardi drach. 1. cum cera alba q. ſ. f. ceratũ ſ. 1. Interim optima victus ratio inſtituenda, quam derelinquo, ſciẽs eidem eſſe maximè notam. hæcque paucula habui dicenda pro morbo quo premitur vir nobiliſſimus noſter.

PRO PER ILLVSTRI, ET adm. Reuerend. Domino Domino Petro à Cardinali Patritio Aquilano hepatis obſtructione laborante.

CONSVLTATIO LVIII.

TRiplicem *Gal.* cauſſam aſſignare eſt ſolitus morborum diuturnitatem conſequentium, Intemperiem viſcerum nempè, humores craſſos, & viſcidos, & denique obſtructiones; nec immeritò, ſiquidem intemperies continuò congerendo, craſſi, viſcidique humores difficulter ſolutionem patiendo, & obſtructiones contumaciam inuehentes diuturnum morbum poſſunt configurare; vt ob id haud ſtupori ſit hærendum, ſi nobiliſs. quo de agimus languens multis ab hinc annis ventriculi languore preſſus, Iecoris obſtructionibus ingemiſcens, continuis angatur affectibus; ventriculus enim vt dixerat *Macrob* 7. *Saturnal. cap.* 4. Pater familias dici meruit, quaſi omne animal ſolus gubernans, ſi ægreſcat, qui vita in ancipiti eſt, indeque *Plinius lib.* 26. *nat. hiſt. cap.* 8. Plurimum inquit negotij aluus homini exhibet, cuius cauſſa maior pars mortalium viuit.

Alias enim cibos non tranſmittit, aliàs non continet, aliàs non capit, aliàs non conficit, eòque mores venere, vt homo maximè cibo pereat, peſſimum corporum vas inſtat ut creditur, & ſæpius die appellat; quare eius intemperantia vt reor morbos potiſſimum gignit, cum enim cibos non bene coquit cruditates generando obſtructiones producit quocunque eas protruſerit, ſuo potiſſimum lentore, vnàque craſſitie, craſſus enim humor dum vias obcæcat nimirum vel vaſa, vel ipſum parenchima obſtructiones parit; quæ quidem materia in hepar tranſmiſſa vel ob eius imbecillitatem eandem ſuſcepit, vel ob anguſtiam vaſorum eam facilè retinuit, vel vi caloris attraxit, quod magis eſt probabile, vel ipſummet craſſum, fæculentumque ſanguinem generando quæ etiam alitur, meatus ſuos obcæcat, quod

con-

contingere ait *Mercatus* ijs qui Iecore sunt feruidiori, vel ſicco vt contingit in noſtro caſu; Iecur enim impensè feruidum extat in noſtro languente, adeò vt continuo ardore fatiſcat, faciemque perenni ferè habeat rubro colore ſaturatam; quod ſanè, & deſtillationibus caput reddit obnoxium, & ventriculum primigenio calore depauperando coctionem primam vitiat, vnde απεψια vitium ferè inemendabile, vitium enim aiebat *Gal.* quod in prima coctione committitur vix amplius reſarcitur; ſicque nedum hepati, ſed capiti noxa communicatur; venter enim capiti, & caput ventri ſibi inuicem morbos faciunt; quam quidem noxam conceperunt hæ partes ob varias cauſas, caput quia expoſitum flaminibus, & frigori, ventriculus quia nimios ingeſſit cibos eosque omnis generis, vnde cibi non ſuperati à ventriculo eidem cruditates ſubminiſtrarunt, frigus caput intemperando reddidit alteratricem læſam, excrementiſque congerendis idoneam, illudque vi frigoris comprimendo exprimere fluxionem fecit, quæ in ventriculum deſcendens, ab eoque in venas meſeraicas per venam portam ad hepar tranſmiſſa infarctu obſtructionem genuit, ni velimus aſſerere ab hepate nimis feruido, & auido, attrahi chylum in elaboratum tum quia ventriculi calor eſt imbeccilis, tum quia ciborum copia perfectam chyloſim impediuit; neque enim indigenam cauſſam Iecori denegarem, quia aduenam admiſi, vt *Dureti* verbis vtar, poteſt enim Iecur eius facultate læſa vel actione ob intemperiem præcipue calidam vſtos humores generare qui ſibi ipſi viam, & poros occludant, vt diximus ni velimus cum doctiſs. *Mercato* aſſeuerare coniectabile eſſe ex vaſis Iecoris in carneam partem irruere, aut tranſcolari tenuium ſuccorum aliquid, quo licet neque propria craſſitie, neque ex vberiori copia cauitates vaſorum maiorum obſtrui poſſint, poſſunt tamen in tumorem eleuare Iecoris corpus, & ob id maiorem efficere obturationem in maioribus, ac ſingulis vaſis coarctatione præexiſtente; vnde fit facile vt ſanguis, & reliqui ſucci velut immobiles fiant, aut ægrè, ac difficulter moueantur, ſicque in prędictis vaſis diu immorantes aut difficulter prætereuntes, eorum non parua portio migret in prædictos poros, quo maior in dies fiat prædicta obſtructio, ſumit tamen hæc obſtructio principium vt ait idem auctor à Iecore vel calefacto, vel à facultate trahente nimis auida; cæterum vt liberè fatear obſtructio in Iecore præſtita noſtri languentis & ab humoribus viſcidis pendet, & ab humore vſto genito ab eodem Iecore, idque non aliter quam ob alteratricem partium læſam vt dixi, in ventriculo enim diminuitur coctio, in hepate deprauatur; neque enim ſolum ab humoribus craſſis & lentis obſtructiones fieri ſtatuerem, ſed ab humorum pariter multitudine, quod exiſtimauit etaim *Gal.* 8. *meth. cap.* 4. aiens: *Cernimus etiam quod multum eſt, cum ſimul totum confluit obſtruendo hærere, infigique non minus quam ea quæ glutinoſa ſunt, & craſſa & ſi per meatus anguſtos eſt tranſitus multo profecto magis retineri, quod nonnunquam euenit in turba hominum, qui affatim ſimul irruentes in anguſtam viam, ſibi mutuo ſunt impedimento vt nemo poſſit tranſire*: ſic ego quoque cenſerem à plethoria fieri poſſe obſtructiones in Iecore, & alijs partibus, cum enim ſanguis ob copiam nequeat commeare denſeſcit, ſicque obſtructionibus datur anſa, vel quia partes denſatum ſanguinem trahunt, vel quia idem in anguſtis venarum anphractibus contentus in eam partem appingit, quæ obuia magis extiterit, ſicque impetu præſtito obſtrui à multitudine, & eadem attracta à vi-

ſcere forte nimis feruido quale Iecur exiſtit, obſtructio conſurgit;
ideoque *Gallenus. lib. de conſtit. Ariſt med. cap.* 17. dixit: *quare nil. mirum*
deinde fuerit ſi viſcus hoc & ob viarum anguſtiam, & ob copiam pertranſeuntis ſub-
ſtantiæ aſſidue obſtructionibus arripiatur; indeque *Iacchinus in* 9. *Raſis* dixit: *Nec*
enim ſanguis venas replens, & continue transfluens vt ſecundum naturam facere ſolet
obſtruere dicitur, ſed quando impactus manet, vel eſt ægre mobilis; Fit autem eiuſmodi
9. meth. 2. vel ex abundantia ſiccorum, vel ex æqualitate. ob idque cenſerem ab
omni humore poſſe obſtructiones produci, etiam à bile modo vel pituite-
ſcat, ſicque vaſa etiam maiora obſtruere poterit, vel ſine pituitæ multa mi-
ſcela, modo vaſa ſint anguſtiora; quid enim prohibet poros Iecoris à bilis
multitudine obſtrui poſſe? dum enim illa intrà meatus exiſtit calore Ieco-
ris vſta craſſeſcit, præterquam quod nouæ bilis aduentu eandem craſſitiem
valet nanciſci; quod cernens Holler. in Coac. dixit: *At retenta bilis craſſior,*
obſtruenſque eas venas quæ ad hepar, et ventrem pertinent, auriginem facit, neque
enim à ſola pituita, ſed vitellina bile, & craſſiore obſtructio naſcitur. quicquid ta-
men ſit lentos viſcidoſque humores in noſtro caſu obſtructionem feciſſe
crediderim, tum quia ijdem emerſere ob intemperantiam in victu ut dixi
tum quia poſt cibum inordinatis motibus eſt vſus aptis vt volebat *Alex.*
Petron. obſtructiones efficere, cum detrahant ante debitum tempus cibum
à ventriculo, illumque forſan incoctum, & inelaboratum; quamobrem
haud mirandum ſi tam diu duret affectio, pendet enim à partibus præci-
puis, quales ſunt ventriculus, hepar, & caput, humor eſt contumax, quia
craſſus, lentus, viſcidus, Iecur eſt maximè intemperatum, vnde debile,
& potius aptum ad recipiendum quam expellendum, eoque magis quia
obſtructum, hancque obſtructionem in parte giſt. habere concrederem,
cum id tactum doleat, manifeſta appareat ſenſus vrinæ non mutentur,
pondus perſentiatur & in ambulando difficultatem percipiat quomodo-
cunque tamen ſit non poſt habendus affectus, ſolet enim vel in ſcyrrhum
degenerare, vel in malum corporis habitum, vel in melancholiam hypo-
condriacam, quod facilius erit in noſtro caſu, ad quos euitandos affectus
triplex mihi videtur conſurgere indicatio, primò euacuandi materiam ge-
nitam, ſecundò prohibendi eius generationem, tertiò tollendi materiam
impactam in meatibus Iecoris dyureticis; ideoque quam primum aluum
lenirem melle roſ. ſol. ſyr. roſ. ſol. & D. Aug. ad vnc. 1. ſ. pro ſingulis, ac
deinde aſſumptis quinque ſyr. ex endiuia, de borrag. & acetoſæ iterum
purgans darem, quale eſſe poſſet: ℞. ſyr. roſ. ſol. D. Aug. mellis roſ. ſimpl.
an. vnc. 1. el. Diacatthol. drach. v. i. rhab. el inf. & exp. in aq. cichor. agar.
trochiſ. inf. & exp. an. drach. 1. dec. cor q. ſ. miſ. f. pot. cap. Interim dum
hæc peraguntur ad phlebotomiam eſt deueniendum, nam vt ait *Gal. vbi*
puer, vel ſenex non ſit ſanguinem detrahere licet, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint
vbi tamen robur ægro non deeſt; mitterem ergo ſanguinem ad unc. v. i. ex baſi-
lica dextri bracchij, ſicut non inutile eſſe cenſerem hyrudines venis ſedis
affigere, quinimo morbo in robore exiſtente, & Iecoris intemperanti
vigente ex ſaluatella pariter ſanguinem haurirem. His præſtitis non eſt ab
re ad intemperies, & obſtructiones animum reuoluere, pro quo explendo
ſcopo non inutile erit ius aliquod alteratum iniungere, & potiſſimum gal-
li antiqui quod vim habeat Iecur refrigerandi, & aperiendi, ventriculum,
& caput roborandi, nam hic adeſt inequalis intemperies, ſeu *αντιωραξια*.

quæ vario indiget remedio: ideoque sumerem Gallum fustibus agitatum, & iugulatum, vnaque exenteratum in quo ponerem cichor. cum rad. gram. capill. ven. cuscutam, rad. asparag. agrimoniam, borrag. lupul. fumar. an. p. i. absynthij pont. beton. menthæ virid. an. p. s. cort. citri vnc. 5. sem. melonum mundat. vnc. 1. rubiæ tinctorum vnc. 5. consumatur, & bull. in s. q. aq. donec coquatur, colatura seruetur pro syr. quinimo si portio chinæ addatur ad fluxionem eneruandam non erit malum sicut Kalybem extinguere; quod si ante iuris assumptionem demus pul. trochis. de rhab. vel de eupator. summè probarem; neque ob id epycrasis non seruanda, sed per vices aliquod purgans exhibendum, quod conflari poterit ex pillul. de tribus cum rhab. & de ag. superbibendo syr. ros. sol. & mellis ros. sol. an. vnc. 1. s. aliter enim materię quę in dies cōgerūtur ad locū affectū attrahētur; sicq. merito dixit *Gal. etenim si ijs auxilis quę obstructiones eximāt uti velimus nō uacuata prius redūdātia nō modo nihil proficiemus sed maiorē etiā reddemus affectū*: ideoque *Valles. in epid. in hist. Theophorbi filij* eos improbat Medicos qui in affectibus renum vel cassia vtuntur ab initio, cum sit dyuretica; quod si ad hæc non videatur obstructio mitescere, denuò ad aperientia deueniendum sed fortiora qualia etiam sunt iura, super infundendo syr. de duabus rad. de cichor. cum rhab. & capill. ven. an. vnc. 5. *Claudinus* etiam in his casibus commendat aquam Tettutianam, à qua nec horrerem in nostro casu modo calida Iecoris intemperies sit quoquo pacto refrenata, habet enim virtutem abstergendi, roborandi, & euacuandi per secessum, quod si adhuc perdurarit affectio tanquam ad sacram anchoram ad stillatitium chalybis deuenirem, chalybs enim videtur in obstructionibus delendis primas partes obtinere; cum non ponderis ratione, vt falso nonulli credunt, sed quia mercurio, & sulphure constet ut notat Mercatus obstructiones ualeat repurgare: Interim & inunctiones celebrandæ ex ol. ros. amyg. amar. de absynth. de cappar. amygd. dulc. cum modico aceti; possunt quoque fotus administrari, & cataplasmata, ex uarijs, consilium tamen in arena capiendum. Quod si adhuc perseueret affectio ad duo cauteria deuenirem in crure dextro unum uentriculi, & hepatis ratione, in bracchio sinistro alterum capitis gratia, quoad uictus rationem cum omnia bene obseruet, non est vt aliquid dicam, atque hisce præsidijs puturem affectum quo præmitur nobiliss. languens posse eneruari, faxit autem Deus vt omnia secundet.

PRO ADM. REVER. DOMINO *Domino Bartholomæo Nanzio Aquilano lienis obstructione lacessito.*

CONSVLTATIO LVIIII.

CAput & lient esse maximè morbis obnoxia explanauit diuinus *Hip.* sunt enim viscera satis idonea ad suscipiendos morbos lien enim vt idem insinuauit *lib. de morb. mul.* rarum est, & spongiosum, & velut alter pulmo, vt propt. habilissimus sit ad materiam suscipiendam, vnaque obstru-

ctionem patiendam, nam vt ait *Plinius lib.* 11. *natur. historia* peculiare cursus impedimentum in liene est; ideoque *Hip.* dixit lienem vbi imbiberit humorem, eidemque adhæserit durum fieri, & augescere humore accedente, quem quidem humorem à multis partibus sugere assolet, & potissimum à ventriculo & hepate; à ventriculo quidem, nam vt ait. *Aris. lib. 3. de part. cap. 7. lien vapores vacantes, hoc est humiditates superfluas diuertit & attrahit è ventriculo; & concoquere eas potest, vt qui sanguineus sit. quod si plus excrementi sit, parumque caloris habeat lien, corpus præ alimento immodico languescit, & propter confluuium huc humoris, sæpe accidit vt lienosis ventres prædura efficiantur, quomodo ijs qui supra modum mingunt ex diuerticulo humoris:* ab hepate verò, nam vt ait *Plato in Timeo*: *Proximum iecori ad sinistrum locatum est huius gratia membrum, vt purum hoc semper clarumque reddat, & instar speculi nitens, atque perspicuum, ad imaginemque exprimendas accommodatum, qua propter quando ob corporis morbum sordibus iecur abundat lienis raritas id purgans eas combibit, cum membrum hoc concauum sit, & exangue, vndè purgamentis impletum excrescit, tumetque sanè, ac rursus cum mundatum corpus est, restrictum in se ipsum considet*; quare falsò dixit *Democritus* splenem dormire, nullum negotium exhibentem, sicque *Erasistratus* quoque malè sensit dum existimauit lienem frustrà conditum; quod vitius est etiam *Aris. dixisse lib. 3. de part. animal.* eundem non nisi ex euentu esse necessarium; verum vt *Andr. Laur.* asserit de lienis vsu, Natura optimus est æconomus, licet ἀπαίδευ & illa Stoicorum τορωνωί αν, scimus enim in structura corporis nihil esse fortuitum, nihil quod summæ Sapientiæ maiestatem non referat, quinimò *Alex. Aphrodisæus sect. 2. probl. Aretæus lib. 1. de causs. & signis chronic. & Gal. lib. de respir.* dixerunt lienem esse sangnificationis organum; quod *Sennert.* multis argumentis probat; quinimò *Carolus Piso* dixit cor minimè esse officinam sanguinis arteriosi sed lienem esse officinam sanguinis tenuis, & calidi qui in arterijs continetur, quem sanguinem ait gignere ex attracta tenuiore chili portione, quinimò docet eundem lienem esse principiũ radicationis venarum gastricarum, & epiploicarum nec non radicationis arteriarum alterumque fontem seri in corpore necessarij quinimo *Franciscus vlmus lib. de liene* dixit in hoc pręparari vitalem spiritum quamobrem lien maximè valet in nostris corporibus tùm ad salutem efficiendã vbi benè valuerit, & ad morbos creandos vbi malè etiam habuerit, est enim is vt aiebat *Imperator Traianus* velut Fiscus, quemadmodum enim crescente liene reliquum extabescit corpus, ità ditescente Fisco populus depauperatur, *ex ijsdem enim* ait *Hip. lib de loc. in hom. splen florescit, & corpus contabescit*: quare non ab re dixerat *Stratonicus Citharædus* in Caria ambulare mortuos, quod lienosi essent omnes, quamobrem lien vt dixi non est viscus adeò spernendum, quin ab illo & maximè obstructionem patientem innumera possint mala prosurgere, dum enim lien obstructum videtur, cum corpus non depuret ab excrementis, dum illa in Iecur, vel alias partes transmittit vitiat sanguinem, sicque malum colorem impartit, quod potissimum adnotat *Valles. in historia Anaxenoris 7. epid.* aiens: *sunt quidam quibus lien valdè durus est & magnus, color verò faciei, & reliqui corporis non admodum vitiosus, quod quidem neque admodum graue neque periculosum est, significatur enim solum vitium lienis partis non adeò nobilis, cum verò accedit vitiosus color, significatur iam magna excrementorum redundantia, reliqua viscera, & totum iam corpus vitians*, quod etiã asseritur ab *Aetio* dicente: *Humida affectione splen detinetur, atque ea vbi amplius*

inua-

inualuerit, in tantum eius incrementum facit, vt etiam ventre pertingat & hepar. quamobrem quamuis ex se non sit adeò visus nobile, tamen eius morbi sunt existimandi, quia solent alios grauiores accersere, indeque nil miror si Reuerendus noster languens multis ab hinc annis obstructione lienis laborans vt patet ex tumore in hipocondrio sinistro, ex dolore, & grauitatis sensu, tandem & in affectum hypocondriacum impegerit, & fœdum corporis colorem, quæ quidem obstructio vt ait non aliundè originem traxit, quam ex nimio aquæ frigidæ & algentis potione, quæ nil mirum si lieni obstructioni ansam dederit, cum lien aquæ sedes existat; quod palam fecit idem *Hip. lib. de loc. in hom.* dicens: *Affero vbi homo bibit amplius; & corpus, & splenem in se ipsa attrahere ex ventriculo, & si plus traxerint, statim hominem affligi, atque hoc ità fieri intelligunt quicunque homines splenici existunt*; sic *lib. de inter. aff. tex.* 37. dixit splenis morbum fieri ab aquæ multæ potu. neque enim ob aquam absolutè potuisse puto lienem intumere, sed quia eadem ventriculum relaxauit, indeque cruditatibus ansam dedit, ac insimul eundem imbecillum reddendo fuit in caussa vt humor melancholicus vt ait *Mercur.* à liene frigido confici non possit nec expelli, aut in alimentum conuerti, vndè retentus humor necessariò lienem attollit, eundemque obstruit, ex cuius obstructione, & reliquæ etiam potuerunt emergere obstructiones hypocondriorum, non suscepta nimirum humoris adusti à Iecore feruidiori mole, sed transmissa in partes hypocondriacas, quæ sua terreitate potuit easdem infarcire, exque infarctu calor subsultare vt volebat *Theophrastus*, qui in materias crassas agendo, flatum generans, dum oberat borborigmum gignit; dum tendit dolores peragit, dum ad pectus corriuat molestiam, & anhelitus difficultatem producit; omnia tamen hęc vt affectum protopaticum lienem agnoscunt obstructum, qui magis quam Iecur est obstructionibus obnoxius tum ob rariorem substantiam, tum ob alimenti speciem vt 13. meth quinimò 5. *de simplic. medic facult idem Gal.* ait; *lien meatus amplos habet, vndè igitur obstructio tam frequens nisi à crasso, & fæculento sanguine*. Quicquid tamen sit dicendum triplicem humorem in nostro ægrotante negotium facessere, aqueum nempè, & pituiteum ob incoctionem genitum, vstum vero & melancholicum à Iecore plusquam par est feruido productum, additis etiam flatibus ab his humoribus sed potissimum aqueis & pituitosis productis tanquam è sua minera.

Proptereàque antequam morbus figat radices aliosque conuocet, curatio ineunda; solent profectò dixit *Mercatus* ex lienis vitiis posthabitis, vel prauè curatis, grauissimæ affectiones succrescere, nam melancholiæ epilepsiæ, scirrhi, & hydropes plerumque neglectis prædictis malis visuntur; Cum ergò dixerim adesse cacochymiam tum in toto, tum in parte, adesse obstructionem, & flatus, propt. insurgit indicatio euacuandi materiam genitam, prohibendi intemperies, aperiendi obstructiones, & dissipandi flatus; & quoniam paulò antè est præstita euacuatio, de illa non esset agendũ, verum cum sciam in his casibus ob morbi contumaciam non vnam sufficere euacuationem, proinde poterit epycrasis seruare, sed non medicamẽtis admodum humidis, nam vt aiebat *Hip.* in his dandum est quod modicũ ingestum multum educat, quale esset stybium vt vult *Martianus*, à quod penitus horrerem, sed blandioribus essem contentus; Interim & ratione Iecoris, & venarum myserai carum obstructarum, sicut & venæ cauæ, & Arteriæ

atte

arte descendentis obstructæ, & efferuentis duas vel tres hyrudines venis magis internis sedis affigerem vt ramus etiam lienis respiceretur, *Saxonia* maximè commendat incisionem saluatellę, neque enim censet vires debilitari ex sectione huiusmodi, quia ex aqua calida dissoluuntur vires, etenim magis dissoluuntur dum vas amplum aperitur, quam paruum, eoque magis quia *lib. de var. rat. per sang. miss.* 16. dixit *Gal.* splenicis aq. conferre saluatellæ sectionem, atque vlnæ in cubito à sanguinis missione è bracchio abstinerem, tum quia materiæ crudæ & aquæ sunt multæ, tum etiam quia viscera aliquam contraxerunt imbecillitatem, & frigidam intemperiem, quæ continuò humida excrementa congerendo continuum exitum affectant, quem præstabit inustio in sinistro crure ad seruandam partis rectitudinem, neque intereà est derelinquendus aperientibus ac dyureticis locus, sed ea quam maximè proficua credo, sic intueri fas est historiam Bionis, is enim simul copiosè mingebat sine sedimento, & sanguis de sinistra nare fluebat, erat enim splen in giberum elatus, & durus, & sursum latus, superstes fuit, recidiua, sic *lib. de aff. tex.* 21. dixit: *& medicamentis vrinam cientibus vtantur, quæ splenem mollire scripta sunt*: & quamuis *Gal.* 13. *meth.* dixerit nullam huic visceri expurgare patere per renes viam, tamen vt aiebat *Hip. in epid. Natura inuenit sibi vias quas Medicus reperire non potest*; *Andr. laur lib. 6. c.* 21. dixit duo uasorum genera per lienis substantiã spargi, venas scil. à ramo splenico ortas, & arterias quam plurimas, aitque ramos splenicos cum venis emulgentibus nullam habere communionem, ideoque se existimare promulgat per arterias potius, quam per venas expurgationem hanc fieri, quia breuiore ductu & patentiore à liene ad emulgentẽ arteriã vacuabitur humor in liene cõtentus, sic empyicorũ Pleuriticorũ, & Peripneumonicorũ pus per arterias uacuatur nõ per venas; quicquid tñ sit sat est dicere adesse viam à liene ad renes, adeò vt possimus diureticis vti, vterer ergo sequenti syr. ℞. rad. filicis, cort. tamaricis an. vn. ʒ. cetrach, capill, ven. graminis, melissæ, buglossæ an. p. i. cort. cappar. vnc. ʒ. cichor. cum rad. asparag an. p. ſ. sem. melonum vnc. 1. mis. bull. in s. q. aquæ s. a. f. colatura, cui adde sacch. fini q. s. vt fiat syruppus; quod si addatur chinæ portio ad exsiccandas serositates non erit absurdum; De quo cap. manè vnc. 1. ſ. superbibendo iuris tantillum; sunt etiam qui laudent trochis. de cappar. & de scolopendr. verum dum hæc fiunt, non inutile erit aliquod medicamentum euacuans adhibere, nam vt ait *Capiuacc.* obseruetur etiam sicut in lue venerea, ut singulis decem diebus aliquod medicamentum electiuè ducens uel pituitam, uel melancholiam prout in corpore redundabit exhibeatur darent ergo vt ℞. pillul de agarico, de fumar. an. drac. ʒ. cum syr D. Augustini reform. pillulæ ʒ. post quas immediatè superbibat syr. de polipod. ros. sol. & mellis ros. solut. an. vnc. 1. dissoluentur cum decocto cord.

Neque enim puto hæc omnia proposita medicamenta posse prodesse, ni alijs fortioribus vtamur medicaminibus, Induratum enim splenem aiebat Gal. non tantum foras fortibus medicamentis curare conuenit, sed intus etiam potionibus vehementissimis; quare chalybem maximoperè commendarem vel in substantiam, vel stillatitium ipsius quod magis probo, puluis etiam lienis Asini à drach. 1. ad drach. 2 summè laudatur à Capiuacceo; Neque interim dum hæc fiunt non sunt lienis loco adhibendæ inunctiones, fotus, & cataplasmata, hoc tamen adnotando ut ponantur quæ visceris

tonum

tonum feruent, quæ discutiant, vnàque resoluant, sed semper emollientibus admixta, nam ut aiebat *Gal.* fortiter resoluentibus semper sunt admiscenda emollientia, ne tumores ipsi in pertinaces scirrhos degenerent. sic ergo fotus poterunt præscribi: ℞. rad. altheæ, cort. tamarisci an. vnc. 5. scolopendr. marrubii, chamepyt. ruthæ an. m. 1. fol. malu. fumar. an. p. ſ. florum chamom. anethi, melilothi an. p. 1. sem. lini, anis. drac. 2. mis. f. fot. s. a. deinde ℞. ol. de absynth. amygd. amar. de cappar. an. vnc. 5. aceti parum vngu. Dialtheæ drac. 3. mis. vtat. superungendo partem iam fotam; quod si obstructio in dies augeatur, ac duritiem quandam lapideam consequatur ad cataplasmata fortiora deuenirem, in quibus describendis *Zecchius in suis consil.* primatum obtinet, qui videri poterit.

Interim victus ratio est obseruanda, vitando cibos omnes crassos, vt legumina, lacticinia, salita, Vinum bibat limphatum aqua chalibeata, & quod præ reliquis commendatur est exercitium, quod excrementa absorbet, vnaque absumit; sic *Gal. 5. de sanit. Tuenda* dixit lienem iuuari exercitatione superiorum, & inferiorum, vt attenuetur, & apud *Plutarcum* legitur de Orchomene Lacedemonio, qui cum esset lienosus, ita cursu se se exercuit, ut tandem inter pedites palmam obtinuerit. hæcque habui pro tempore quæ dicerem, Deus eidem his medicamentis salutem impartiar.

PRO PATRE FRATRE
Hieronymo ab Hadria Cucullato Icteritia laborante sæuissima.

CONSVLTATIO LX.

VEtustissimus *Areteus* de morbo regio uerba faciens *lib. 1. diuturn. pass. cap.* 15. hæc habet: *Planè acerbum id malum est, color verò specie horribilis, etenim colore aurum repręsentant, sed non hominem decet, quod in lapide pulchrum fuerit:* Aureus enim est morbus, sed sub auro recondit malignitatis suæ ferrum, est enim morbus contumacissimus, ac sæpe homines ad exitium deducit; sic cernimus mulierem *6. epid.* apud magnum, quæ retrò heroum ictero superueniente permansit ipsi, idest aut tota uita ut ait *Valles. in comm.* aut doctissimè: sic quoque ibidem legimus historiam eius qui iuxta Temenæ neptim. hic niger erat, idest toto suæ vitæ curriculo; nec immeritò, etenim pars quæ morbum facit est præcipua ut hepar, & obstructionis caussa nempè humor crassus & lentus ut puta pituita est rebellis sicut humor vstus hic à feruidiori Iecore genitus, illa à ventriculo à calidiore Iecore suo calore depauperato, producta, hic ab incoctione orta, ille ab vlteriori genitus, hic indigenam Iecoris, illa aduena, transmissaq; à ventriculo, hepar attrahens ob calorem, Ventriculus transmittens, vel quia validus in expellendo, vel quia grauatus, & imbecillis, sic meritò *Iacobus Douynet apolog. lib. 3. cap. 1.* dixit, apud suas regiones euadere auriginosos μνευματώδεες, quod eius affectus origo sit ab imbecillitate ventriculi, quæ cruditates parit, a quibus obstructio, & icterus, aut ab humore, multo crasso, lento, qui procumbens è

cere-

cerebro in uentriculum tenues Iecoris venas ſenſim obſtruit; vnde duo concurrunt in pręſenti noſtro languente continens ſcilicet imbeccillum,& inæqualiter intemperatum,& contentum excrementitium, iſtudque multum,quod hepatis parenchyma,ac eius vaſa infarciens obſtructiones vt dixi gignendo icteritiam ſeu morbum regium producit, quamuis non ignorem ſecundum *Galenum 4.aphoriſm.62.* & à phlegmone poſſe produci, & à tuberculo duro, cœterum in noſtro Patre ab obſtructionibus fieri non eſt denegandum ut apparet manifeſtè ex meteoriſmo, ex aliquo Iecoris dolore,ex pondere,uerum quia excrementa albicare uidentur in veſſica fellea obſtructiones adeſſe cenſendum,bilis tranſitu in inteſtina præcluſo, vt ait *Senner.lib.3.& Höller.comm.1.Coac.*indèque *Iacot.* ibidem dixit; *Deiectio verò alba bilis abſentiam denuntiat,qua excrementa alui colorantur,Abeſt autem bilis tribus de cauſſis vt Galen.docet in Prorhet.* vel quia igneo calore feruens in cerebrum rapitur,ut in quibuſdam phrænitícis,quod planè lethale eſt, vel quia conuexa hepatis pars ardens & inflammata ſanguinem vna cum bile ad ſe trahit inſtar cucurbitulæ,uel denique quia meatus obſtructi ſunt per quos bilis in inteſtina reijcitur ab humore craſſo, phlegmone, aut ſcyrrho; qui quidem humor craſſus nedum eſſe poteſt pituita, & humor vſtus, ſed quicunque modo craſſitiem aliquam inuehat, ſic pituiteſcens bilis, & ſanguis pituiteus hepatis & veſſicæ felleæ obſtructiones etiam faciet icteritiam fouentes, quamuis non ignorem citrà Iecoris affectum poſſe Icteritiam produci,ſic Iacotius ipſe putauit loco cit.& à Iecoris intemperie calidiore fieri,& à dyſcraſijs feruidioribus venoſi generis; ſic *Zacutus* etiam *lib.2. de Medic.Princ.hiſt.*110. ait poſſe dari morbum regium abſque vllo hepatis vitio;quod primò probat *Gal.*auctoritate q.ui.ſ.de *loc aff.cap.vlt.*dixit. Quidam acuta, bilioſaque febre laborans die ſeptimo multa flaua bile ad cutem tranſmiſſa à morbo liberatus eſt, manſitque ſequentibus diebus auriginoſus,itaque & excrementa, & urinas conſiderauimus, utriſque uerò ſecundum naturam habentibus, atque ob eam cauſſam nullum viſceris affectum declarantibus uenit in mentem fieri poſſe quod tranſlata in cutem bilis craſſior eſſet, qua ratione permotus dicere uolui qualis nam eſſet ſudor, illo autem apparente aquoſo conieci eſſe bilem diſſipari contumacem: Secundò probat *Zacutus*, quia deprauata ſanguinis maſſa, & uenenoſa quadam alteratione in bilioſam qualitatem conuerſa, ſiue corruptio oriatur a ueneno externo epoto, aut ex ictu ferarum, ſiue ab interno hoc eſt intra corpus genito poteſt id contingere. Cęterum ergo non admodum circa hoc laborarem, quia certum eſt naturam quod per uenas oberrar, & quod ſibi infenſum eſt millies ad cutem protrudere; ſic cernimus vſtis humoribus in venis exiſtentibus anthraces, furunculos, generare bilioſis herpetes, eryſipelata; ſanguine cutis efflorefcentias, pituita morphæam aliasque cutis affectiones, vt propt. non ſit abſonum multa dicere oberrante per venas bile ad cutim poſſe à Natura tranſmitti, citrà hepatis vel obſtructiones, vel ſcyrrhum, vel tuberculum, vel phlegmonē; atque hoc pariter voluit in aphor. aſſerere *Hippocr.* quando dixi: *Morbus regius ante ſeptimum diem accedens malum*, 7. q. 14. *bonum, niſi dextrum hypocondriũ obdurueri*t: ſupponit enim vt reor tunc naturam expellere quod eſt bilioſum, illudque per venas vagari ob redundantiam, non autem quia ſit obſtructa via bilis repurgationi deſtinata; hanc opinionem habuit etiam *Horatius Au-*

gen.

gen. epist. & consult. medic. lib. 10. vbi ait: *Ad eam vero sedem effunditur aut è Iecinoris per venas aut ex ipsis venis citra affectum aliquem Iecinoris* hoc tamen sit obiter dictum, nam in nostro languente non ab alia caussa manat vt dixi, quã à calida Iecoris dyscrasia, & ab eiusdem obstructione, impediente bilis transitum ad vessicam felleam, neque enim eadem ab obstructione vindicanda quia huiusmodi vessica destinatum bili iter intercludit, sicque efficit vt ad cutem remeet, eamque auriginoso colore fucet, quinimo hæc bilis nedum ad cutem commeat, sed ad ventriculum cortiuans ἀνωρεξίαν germinat, inappetentiam gignit; sicque *Coiter in libell. obseru. anatom.* dixit: *vnũ animaduertendum quod in Ictericijs quasi omnibus vt & in his qui hepatis grauiore obstructione laborant, vesica fellea fel in ventriculum aliquando per manifestos ad visum meatus, aliquãdo etiam per naturæ cognitas, nobis ignotas vias eructet, vnde ciborum, carnium vero percipuè sequitur nausea, multoties amaritudo, variorum potuum, & ciborum quibus statim exsatiantur*: sic vomitus ab eadem bile ventriculum irritante prosurgunt, vel à pituitea illuuie ibidem stagnante, è qua flatus enascentes vna cum bile dolores hæc pungendo, illi tendendo producunt, nec ignoro *Hippoc. 5. aphoris. vlt.* dixisse Ictericos non esse flatuosos, nam bilis, vt puto non est è sui natura flatuum generatiua, nisi quando fuerit pituitæ maximæ copiæ facta consocialis, vt accidit in nostro casu; neque enim putarim hunc dolorem ab hepatis phlegmonoso affectu nasci, quia febris adesset, necessario phlegmonosis affectibus consectaria; quare potius ad flatus, & bilis præsentiam reducendus est affectus, nam vt aiebat *Hippocr. in acut.* dolores qui sic errant à bile fiunt, vt propt. *Petrus Salius* non ab re crediderit internam Icterici morbi caussam esse sanguinis corruptelam, qui statim in biliosum succum commutetur; quod si affectus Reu. adm. Patris aliquando delitescit, aliquando autem reuiuiscit, id non aliunde manare putarim, vel dempta bilis portione, resolutaque per cutem, vel obstructionibus quo quo pacto reseratis, vel hepate ad mediocrẽ crasim redacto, vel deficientibus crassis humoribus vel denique pacato motu, & prohibita separatione, vel tandem aliqua pręstita coctione; quod si reuiuiscat non rarò pathema, de hoc sanè non mirandum, nam id contingit dum intemperies non est eneruata, vel dum locum aliquem abditum agnoscit, è quo aliquid excernatur, ni huiusmodi affectus recidiuam redigere velimus in partium seu facultatum impotentiam vniuersam materiam semel protrudere nequeuntium, quippè inualida facultas per interualla excrementitias congerit humiditates, easque expellit quiescente malo, sed rursus congestis nouis humoribus iterum affectum renouant, qui quidem humores acres satis cum sint dum cutem peruadunt, inibique moram trahunt, pruritum illum excitare possunt quo noster premitur languens; cæterum *Horatius Augen. loco cit.* irridet illos qui putant morbum regium oriri posse ob facultatis impotentiam, quis enim ait imbecillam esse facultatẽ Natura crisim faciente? aut per cutaneas partes iniectum à venenatis animalibus virus expurgantem, aut à veneno epoto ueneficam labem per cutim deducente? videatur tamen ipse qui hanc opinionem reijcit quicquid tamen sit quare cum hæc omnia concurrant, non sine vel temporis diuturnitate, vel maximo cum periculo morbus delitescet, est enim vsque ad huc morbus diuturnus partes affectæ sunt præcipuæ, humor est contumax, & æger est imbecillis: quicquid tamen sit ne in deterius pergat affectus cura-

tio eſt ineunda, quæ multiplicem nobis proponit indicationem, humorũ
ſcil. colluuiem expurgandi, viſcerum intemperies emendandi, obſtructio-
nes reſerandi & tandem cutis fæditatem tollendi à triplici enim hac cauſſa
diximus Icteritiam hanc fieri; cæterum antequam purgationis mentio fiat,
non leuis dubitatio ab Hip. ponitur, aſſerente in hoc morbo bilem non eſ-
ſe purgandam, ſic enim ait *lib. de inter. aff. bilem verò ne moueto.*, & tamen
bilis videtur in regio morbo negotium facere, ſed ſoluetur difficultas, ſi
doctiſſime *Mercati* ſolutionem attendamus, is enim ait hunc morbum vt
plurimum ab obſtructionibus oriri, quæ cum non niſi à crudo, ac pituitco
humore vnaque vſto fieri poſſint declarauit *Gal.* proinde non bilis purgan-
da quæ eatenus peccat, quatenus nequit permeare, ſed pituita quę eſt in
cauſſa vt bilis exuberet, atque ideò forte *Gal. 6. ſim. medic. facult.* dixit mor-
bo regio laborantes ſanare agaricum; bilis enim non niſi per accidens pec-
cat; quamobrem in inſtituenda in noſtro caſu purgatione, præcipua inten-
tio eſſe debet purgandi humores craſſos & lentos, & quia vna cum his po-
teſt etiam aliqua bilis portio conſiſtere, adderem portionem rhabarbari;
cæterum prius primas lenirem vias ſyr. roſ. ſol. & mell. roſ. ſol. ad vnc. 2.
pro ſingulis, deinde apozemata præſcriberem ex ſyr. de cichor. de ſ bor.
rag. & mell. roſ. ſimpl. vt poſtmodum quinque ex his aſſumptis poſſimus
catharthicũ lene tamen adhibere, vt ℞. ſyr. roſ. ſol. D. Aug. mell. roſ. ſimpl.
an vnc. 1. ſ. Diacatthol. vnc. ſ. agar. trochiſ. inf. & exp. in aq. cichor. rhab.
el. inf. & exp. in eadem aqua an. drach. 1. dec. cord. q. ſ. miſ. f. pot. cap.
de ſanguinis miſſione hic non loquor nam *Gall. lib. de purg.* vt dicit: *ſi mor-*
bo regio laborantibus ſanguinem miſeris extremam in perniciem agens; prærerquam
quod vt ait *Mercatus* biliosi ſucci prę eſt abundantia, eaque à ſanguinis con-
ſortio ſeprata, obſtructio fit à craſſis, viſcidis, ac frigidis humoribus *Horat.*
Augen. ait ſanguinis miſſionem dupliciter fieri, vel pro euacuatione, vel
pro reuulſione, illam indicat magnitudo morbi à ſanguinis copia prę ſenti
aut futura totius, aut partis, hanc autem ſanguinis motus pręceps, aut etiã
tardus vnde cum neutrum adſit, nulla videtur inſurgere indicatio ſangui-
nem mittendi quod ſi *Aetius lib. 10. cap. 18.* dixit: *In reliquis autem ictericis duo*
maxima remedia principatum obtinent; ſectio venæ & purgatio; in quibus igitur mul-
titudo ſanguinis vna cum bile in toto corpore abundat & quos circa hepar, aut ſplenem
dolor aut diſtenſio infeſtat; nihil venæ inciſione commodius fieri poteſt; ſi nulla alia re
id facere præpediaris: ſubdit *Augen.* *quibus verbis ſignificauit quando ſanguinis miſ-*
ſio conueniat: nempe in ſanguinis multitudine, & inflictione quam intellexit dum a t
dolor aut diſtenſio: verum errat tantus vir vt *Aetius* nomine doloris, & di-
ſtenſionis intelligere fluxionem, neſcio enim quam habeant hæc verba
connexionem cum fluxione: dicerem ergo doloris ac diſtenſionis nomine
intellexiſſe inflammationem, nam tenſio, & dolor ſunt propria inflamma-
tionis ſymptomata & ſic bene aſſerit *Aetius* in hoc caſu ſanguinem eſſe n it-
tendum; cæterum ſi mihi propalanda ſit opinio, tunc in Ictericis ſanguis
mittendus, quando pendet ab inflammatione, à ſanguinis multitudine,
& a ſanguine corrupto, qui in bilem commutetur, illumque è ſaluatella
dextræ manus mitterem, vt voluit *Auic.* at cum in noſtro caſu nil ex his ad-
ſit ſanguis non mittendus interim non alienum erit ad obſtructiones animũ
reuoluere, pro quibus delendis *Mercatus* vtitur ſyr. bizantino, de duabus,
& quinque radic. cum aquis oxalidis, cichorij, apij, adianthi, calaminthæ,

faenic.

fænic. gentianæ, marrubij, petroselini, radicis rumicis, vel rubiæ cum modico vino albo, dummodo febris non adsit, in quibus sane quarto quoque die infundit rhab. & agar. an. scr. 1 & facta expressione admisce prædicto decocto quantitate vnc. 2 ß quibus factis ego denuo deuenirem ad diuretica, qua de caussa aiebat Senex lib. de loc. in hom. & vrinam cientia bibenda dato; quod tamen ego in obstructionibus delendis maximi vsus esse probaui est Ius galli antiqui adhibitum, vt mos est, cum herbis diureticis, vt rad. petrosel. asparag. capill. ven. gram. agrimon. cetrach. cuscutæ, marrubij, rubiæ tinct. acetosæ, borrag. melissæ, pimpinellæ, rad. fænic. sem. melonum & similibus; quibus assumptis non alienum erit epycrasim seruare; ideoque ego exhiberem drach. 1. pillul. de tribus cum rhab. adiectis trochis. al. & diagr. an. gr. 2. reform. cum aq. cichor. sic quoque de manè rhabarb. mandere non erit inutile; quod si hæc parum proficere videbuntur, ego sanè laudarem præ reliquis stillatitium chalybis; sic doctiss. *Schenckius in suis obseru. li. 3. obseru. p.* dixit: chalybis in hunc finem, & vsum magna pariter dosest, quibus omnes reliquas viscerum difficultates auerruncare, ictericis vero primariam opem afferre licet; quinimo apud eundem Schenchium annumeratur Horat. Augen. qui dicat sibi communicatum esse à Medico Ducis Bauariæ hoc electuarium chalybis, quo multa centena lucri fecisse dicebat. Hęc autem est descriptio ex illius αὐτωγράφω ℞. limaturæ ferri electi, seu chalybis vnc. 8. molatur super porphyritè subtilissime cum aceto, deinde siccetur ad Solem aut ignem, & sic septies iteretur, deinde ℞ limaturæ sic præp. vnc. 2. cinamomi, nucis conditæ an. drach. 3. rhab. el. drach. 2. ß. p. arom. ros. drach. v. i. mellis opt. Sacch. albissimi electi an. an. lib. i vnc. 1. misc. etiam lento igne, & f. electuarium, dosis sit vnc. 5. aduertendum tamen vt qui hoc electuarium sumit exercitio vtatur, & illud sumat ad dies 30. vel 40. Neque pro obstructionibus reserandis inutile esse crederem ad aquas thermales confugere, & potissimũ ad aquam Salmacinam, & Tettutianam, à doctiss. *Cæsalpino* commendatam in icteritia, & a *Baccio* in obstructionibus; Pro tollenda cutis fœditate *Hipp* laudat balneum *lib. de loc. in hom.* sic *lib. de affect. tex.* 33. dixit: *Morbum autem regium sic curare oportet, extrinsecus quidem corpus molliendum est balneis calidis, aluus v. & vessica humectanda, & vrinam cientia danda, quæ sunt præscripta; si vero fortis fuerit purgato capite, pharmacum quoddam potandum dato, quod bilem purgat*; cæterum hic insurgit difficultas, nam prius dixerat, bilem vero ne moueto, hic autem asserit bilem esse purgandam, manifesta vtique hic est contradictio, sed soluetur, si dicamus p. cum *Perla in comm. huius loci de loc. in hom. tex* 40. *Hipp* scil. hic uoluisse bilis purgationem instituere, quoniam inutilis est ad purgandum humorem, qui icteritiam sub cute immediate caussat, quique facilius extra admotis deleri aptus est, non autem ad humorem antecedentem & per sanguinis massam diffusum; cæterum qua ratione alias dederit medicamentum bilem ducens non explicat ego autem dicerem id fecisse Hip. quia in illo morbo regio *de loc. in hom.* poterat supponere factum eandem esse ab obstructione à lentis crassisque humoribus, sicque non esse bilem purgandam, quæ eatenus peccat, quatenus aditum non inuenit, vt possit ad vessicam commeare; at in hoc casu supponit non à visceribus pendere, sed à bile in venis vagante propterea que eandem esse purgandam credit; vel dicendum *Hipp. lib. de loc. in homine* supposuisse fa-

ctam esse veram metastasim è venis, vel ab hepate ad cutem, sicque bilem non esse purgandam censet, sed bilis quę est in cute aut balneis, aut alijs extrinsecis remedijs euacuanda; at hic *lib. de affect.* censuit factam esse epygenesim, ita vt nedum bilis in circumferentia sit, sed in centro, & in maxima quantitate, sicque meritò dixit *Hip. si vero fortis fuerit purgato capite pharmacum dato quod bilem purgat*; quicquid tamen sit bilis etiam quæ in cute existit, & quæ coloris fœditatem facit deturbanda, sic *Horat. Augen.* vtitur validioribus frictionibus asperis, & euaporatione ex aceto calente decoctionis florum chamomillæ, sic commendat vermes terrenos vstos, & cum myrrha Troglodítica tritos in fabæ magnitudine ex passo, aut uino mulso dato, subdit *Augen. Vstos vermes audio (ne quid sit obscurum) igne crematos fictili vase, donec in puluerem tenuissimum redigi possint, aptantur commodissime in antidotos hepaticos, pulueris huius aut cum decocto marrubij, aut graminis, aut absynthij drach. 1. vel quod summum erit scr. 5. dantur Ictericis felici successu, nam præterquam quod vim habent dyureticam vt Dioscor. tradidit, obseruatione compertum est icterum persanare*, laudatur etiam ammoniacum per os sumptum, quinimo & chimicè ex illo oleum extractum summè valet ad colorem illum tollendum. Cæterum hæc omnia inania credo, ni compar victus ratio adiungatur, de qua non loquar, cum sciam à doctiss. viris eandem esse optime iniunctam; illam tamen à diuino *Sene* traditam 4. *epid. tex.* 68. videmus dũ ait: *Icterico laborare, sudare, panem comedere, bibere non multum, lauari caput multo, & calido, aut potius tepido vinum album, somno non multo vti*; Ærumnoso siquidem hoc victu corpus vndequaque exinanitur, peculiari tamen prouidentia prospicit capiti, cui non exigua biliosi humoris portio in icteritia delegatur non modo secundum cutem, verum etiam in cerebri membranis ait *Perla in comm. lib. de loc in hom.* quam sanè curationem *Valles.* ait admittendam esse in Icteritia non facta ab hepatis phlegmone, sed cacochymia biliosa, quicquid tamen sit hæc obiter dixi, vt doctissimis viris satisfacerem, qui meam sententiam audituri præsentem miserunt tabellarium, hæc ergò proposui, vt vestro tantummodo subessent iudico valete.

PRO ADM. REVER. PATRE
Fratre Hilario Ordinis Prædicatorum hydrope laborante Ascite.

CONSVLTATIO LXI.

Cœua dyscrasia quam fouet malè moratum hepar, malèque constitutum in complexione, & fabrica, aiebat *Duretus in Coac. comm.* omnis aduersæ parens est valetudinis, frigida quidem crudore, cacochymia pituitosa, & flatu, calida verò ardore, putredine, bile primum flaua, & ad extremum marasmo hydropico; vndè *Auenr.* 5. *collect.* 1. ansam dicendi sumpsit: Iecur quamdiù temperatum existit optimos succos generare, vbi verò aliquam nactum est intemperiem sanguinem bonum gignere minimè posse; eòque magis dum illud vel κακωπαγια, vel ατωνια fuerit pressum, vt in nostro

stro

stro languente videre est, qui cum retorridum haberet Iecur, nimisque calidis incederet vt herniam sanaret, vt puta salsa eodem amplius concremato, adauctoque in eodem calore, primigenius est coactus cedere atque cacopragiam experiri, vnde haud mirandum si multis ab hinc mensibus hydropifico phymate, seu tumore vt satius dicam ingemiscere cæperit, calor enim primigenius duplici medio depauperatus cernitur, primo calore aduentitio nimium exuberante vt dixi, secundo frigidorum vsu; *illo* absorbente natiuum calidum, hoc istudmet extinguente, quamuis non ignorem secundum *Mercurialem* doctissimum absonum esse dari frigidam intemperiem in hepate, & insimul in eodem feruorem videri, qui calorem imminuat, ita vt stante aduentitio calore possit aquam gignere, quæ hydropem faciat; cæterum *Horat. Augen.* dixit antecedentem ipsius hydropis caussam calidam esse, frigidam verò coniunctam. idem enim contingere asserit in hydrope, quod in aciditatis generatione, ac putredine, continens siquidem aciditatis caussa frigiditas est, omne enim acidum refrigerat, æstiuus tamen calor achorem inuehit, vt palam id nobis facit vinum, quod in aceti naturam transmutatur, calor enim agens in vinum ad se calidiores tenuioresque vini partes attrahit, quibus exhalatis fit acetum: proptereàque multi fortè dixerunt hydropem fieri à caussa calida; vnde *Alex. Trall. lib. 9. cap. 3.* non omnes aqua inter cutem laborantes quouis modo calefaciendos esse dicit, immò nonnullos ab vsu refrigerantium adiutos esse promulgat, si nimirum nimis exæstuet hepar ita ut bonum sanguinem gignat; quod confirmauit *Auic. lib. 3 fen. 14. tract. 4. cap. 13. Cardanus quoque primo prognostic. 2. & 12. aphor. sect. 1.* hydropem Ascitem oriri statuit ex intemperie hepatis calida, & sicca, idque ideò quia in hydrope adest sitis, quæ caliditatis est omen, & siccitatis.

Sitis enim aiebat *Gal.* fit nobis siccescentibus, quam quoque sententiam *Platerus* pariter tuetur; cæterum non ignoro hanc sitim nasci posse ab aqua à refrigerato hepate producta quatenus in abdomen profusa putredinem comparat, vel id cum *Senneri.* reijcietur ad aquæ salsedinem, is enim ait hanc aquam quamuis frigidam multas tamen in se continere salsas partes, quarum ratione calorem quoque subiectat, quem pariter adipiscitur è viscerum vicinia, hacque ratione crediderim Paracelsicos statuisse hydropis generationem à resoluto sale pendere, indèque *Fernell. 7. de part. morb. & sympt. cap. 8.* hydropis proximam caussam statuerit hepatis siccitatem adeò validam, vt ipsum indè findatur, & hiet, adeò vt serum amplius continere non possit; quicquid tamen sit cum doctis *Mercur.* crederem ascititio calore in Iecore existente non absonum esse dicere posse natiuum calorem hebetari, vnde prouentus aqueæ, serosæque humiditatis; proptereàque *Iacotius in comm. Coac.* inter reliquas hydropis caussas calidam Iecoris intemperiem sanxit, frigidam verò priuatione natiui, non enim ait solum frigus refrigerat, sed etiam calor extraneus subtracto humido, & natiuo resoluto, itaque in hac specie hepar igneo ardore torrescit, & exsiccatur, proprio destituitur; sic *Arist.* docet *in problem.* lachrymam frigidam in ophtalmicis, quæ tamen præ calore exulcerat, & semen frigidum, quia destitutum postrema alimenti coctione calori enim naturali aiebat *Gal lib. de Marcoro* pepsim destinauit Natura, qui tamen ab ascititio infirmatur, sicque apepsiæ prosurgunt vel in prima coctionis officina, in ventriculo nempè, si ibidem fuerit in-

infirmatus; vel in secunda, si in hepate depauperatus fuerit, sic enim hęmatosis languescit, velut in nostro casu contingere cernimus; a calore enim primigenio depauperato hęmatosis elãguit a præternaturali verò caumate humores iam vsti, inque hypogastrij venas depulsi easdem tendendo varicosum illum produxerunt affectum; vnde *Duretus in Coac.* meritò dixit, esse quidem omnium hydropum caussam communem, & veluti quandam matricem frustratum opus sanguificandi; sicuti ex *Gal. lib de atra bile* varices ex melancholico humore in venas illapso creantur, hydropem tamen vt subdit *Duretus* sicut frustratio edit hęmatoseos, sic lienteriam frustrata chyli operatio, vel ipsa chylosis frustrata.

Ille symptoma est secundæ coctionis deperditæ, hæc verò primæ: Quare haud dubiè ex hepatis nimio feruore non immediatè aquam gignente, vel liquante (vt multos hydropes fieri statuo) sed calorem natiuum absorbente, eoque vel obstructionum robore vel alijs de caussis genito, indèque sanguificandi munus labefactante hydropem istum oriri crederem, ea dum enim ematosis prohibetur necessariò serositas insurgit, quę inter peritonæum & intestina, vel inter omentum, & intestina collapsa ibi tumorem gignit, siquidem si hepar aqua onustum fuerit, eadem in omnes venæ portæ ramos, quorum confluxus est mutuus redundat, atque ita in Epiploi, seu omenti venas per eum ramum, qui gastri epiploicus à recentioribus vocitatur potest confluere, vel etiam à liene attrahi, & in omentum per vtrumque ramum epiploicum erumpere; quamuis *Fernell. 6. de part. morb & sympt. cap. 4.* per aliud iter serum in abdomen corriuare contendat, parenchymatum nempè horum viscerum continuitate soluta, fissa, exesa, aperta, ac dehiscente eorum substantia. *Adrianus Spigelius*, vt est apud *Senner.* ratus fuit huiusmodi aqueam substantiam per lobum scil. exiguum in caua hepatis parte iuxtà portas vocatas situm, qui in ipsam omenti cauitatem totus recordatur, & longè tenuiore membrana, quam reliquum hepar tegatur in omentum transferri, quamuis *Erasistratas*, & cũ eo omnes sectatores d[illegible] erit nulla alia ratione hydropem fieri quam viarum angustia sanguinis distributionem prohibente, verum quacunque via pergat aqua in abdomen, sat sit nobis pro tempore asserere hanc aquam ab hepate productam in abdominis spaciositate contineri, ibique hydropem ascitem facere, vt ex contactu palam est, cui statim subsilit borborigmus; quis enim aiebat *Senex* hydropem, & Tabem non cognouerit? quicquid tamen sit cum huiusmodi morbus iam confirmatus necessario ex Hipp perimat, eidem omni cura incumbat; *Est enim* dixit *Duretus hydropis tanta calamitas, vt ad illam exterriti homines illud exclament, Domine meliora*: propt. cum hydropis rudimenta conijciamus, ac eundem visceribus non ita obstructis refertum, vt scribitur, propt. non desperanda salus; *Eum* enim ait *Hipp in prognost. qui ab hydrope superstes esse velit bonis visceribus preditum esse oportet, sitque sine dolore simulque facilè exerat & bene spiret, totumque corpus calidum, & molle habeat*; quod si bona hæc assint symptomata optimè salutem languentis sperare poterimus, sin minus contrà; Nec obstat *Hipp.* alias dixisse hydropem necessario perimere; nam hic loquutus est de hydrope confirmato, sed ibi de hydropis principio; quicquid tamen sit curatio non differenda, nam vt ait *Celsus lib. 3. cap. 21.* inter initia non difficillima curatio est, si imperata sunt corpori quies, sitis, inedia, at si malum inueterauerit, non sine molestia discutitur, itaque quam primum

mum curationi incumbendum, quæ quia aquam supponit genitam, euacuationem indicat, quia intemperiem hepatis frigidam alterantia desiderat, quia eiusdem iacturam roborantia ominatur vnàque siccantia.

Quoad euacuationem nulli dubium est hic, & potissimum in Ascite non desiderari præparantia, nam vt aiebat *Gal. Tenues humores à principio euacuabis, in crassis verò ac glutinosis semper coctionem expectabis*; & alias dixerat: *Hos igitur humores euacuare conuenit qui sunt in motu, latione & fluxu*; qua ratione etiam *Hippoc.* loquens de hydrope dixit: *Hunc siquidem à principio acceperis; priusquam aqua succrescat pharmaca bibenda dabis, à quibus aqua, & pituita purgetur*, vnde vel nulla pręstita præparatione rad. scialappæ, mechoac. succ. ebuli, sambuci, syr. ex flor. persic. comprobarem, sicuti & alia innumera, inter quæ soldanellam nonnulli maximè comprobant, vt *Valleriola in obseruat & Paschalius*, quam tamen *Cardanus lib. de malo meden.* vsu maximè reprobat, cum eadem vt ait hepar debilitet, & alia secum gerat incommoda; Alij sunt qui pro hydragogo vtantur illo medicamine dicto gummi gotten, quod succus est cuiusdam plantæ peregrinæ, ni velimus cum alijs sentire esse succum è floribus vicini indici expressum, atque exsiccatum, verum cum *Septallius lib. 7. suarum animaduers.* dixerit cauendum esse à validis hydragogis ab initio, adeò vt vel rbabarbarum tantoperè à *Gulielmo Placentino* vt refert *Senne* commendatum, cum aptum non sit hydropis humores euacuare, sed bilem non esse mouendam in his casibus dixit Hippocr. quia vt quidam dixerunt euacuatur humor calidus qui hydropi prodesse potest, propterea à validis hisce remedijs abstinerem, ac benignioribus vterer, vt rad. mechoac. & scialappæ; neque enim vnicam euacuationem sat esse censerem, sed eget iterata, prout in dies aqua cumulatur.

Neque enim hic humor eget præparatione, nam vt ait *Mercatus cap. de Ascite coniectandum est opus non esse vt Barbari consulunt humorem educendum præparare, siue à caussa frigida affectio prodeat, siue à calida, nam cum serosa sit substantia, quæ neque coqui potest, neque extenuatione ad expulsionem indiget frustrà est laborantium gustum turbare, & ventrem potionibus replere, quæ forsan tumorem augent potius, quam caussam illudere possint quapropter (subdit) tribus præsidiorum sortibus aquas educere necessum est, primò quod è ventre extrahas quod collectum ibidem immoratur per ventrem ipsum, secundò quo fluxuram ad ventrem aquam per vrinam deducas, tertiò quò discutere possis intrò extraque quod in ventre reliquum est.* De euacuatione iam sumus loquuti, interim ad corroborandum hepar deueniendum, *non enim* (aiebat *Celsus*) *sanat emissus humor sed curationi locum facit*: atque insimul de bi[illegible] uendum quod & dyureticis faciendum, & roborantibus. *Anic* probat ius gallorum decrepitum, & præcipuè cum polipodio, anetho, & similibus, quod profectò ait Massaria non est negligendum, cum ea medicamenta possint humores crassiores incidere, abstergere, obstructiones auferre, meatus aperire, vt posterior purgatio commodius procedat, ipseque possum asserere in obstructionibus delendis semper vidisse huiusmodi ius maximoperè proficuum; sequens ergo medicamentum adhiberem, implendo gallum exenteratum, & collo, alis, ac pedibus spoliatum sequentibus rebus: ℞. quinque rad. aper. eupator. cort. rad. cappar. an. vnc. 1. calami aromat. cinnamomi el. an. vnc. 5. capill. ven. cetrach. fol. tamarisci, florum cord. an. m. 1. absynthij pont. card. bened. an. m. s. fænic. anis. an. vnc. 5. chinæ el. vnc. 1. salsæ paril. vnc. 5. bull. vt solitum est; scio à nonnullis probari vnà cum his

purgantia, verum mihi nunquam arrisit huiusmodi medendi ratio, quippè nititur hoc medicamentum duobus motibus contrarijs suum exequi munus, dyuretica enim trahunt ad vias vrinæ, reuellendo ab itinere secessus, & è contrà; præterquam quod sic maiores fieri possunt obstructiones, adest enim diureticum quod est vehiculum materiæ motæ à medicamento, sicque illa materia sic mota maior pars meabit ad vias vrinæ, quam alui, vnde mihi semper hoc medendi genus suspectum extitit, propterea que potius epycrasis seruanda, quam quotidiano euacuantium vsu & ægrum debilitare, & obstructiones augere.

In vsu tamen dyureticorum illud vnum monerem, quod adnotat *Septall. lib. 7. suarum animaduers. 51* ne scil. diutino tempore insistamus in dyureticorum vsu, *vidimus enim* ait *quamplurimos dum obstinatè nimis per lotium humores hos serosos deducere potionibus ijs tentarent, nec obseruarent an copia vrinę adaugeretur, mortem ęgrosis suis accelerasse, potulenta illa materia in corpore retenta, & in morbificam caussam mutata*; nec immeritò; potulenta enim videntur & lienem, & abdomen implere, Sunt præt. qui ad discutiendas, & euacuandas has serositates sudotifera iniungunt, ea tamen doctiss. *Platerus* reijcit, cum sine delectu hæc fiant, sic doctiss. Senner. putat sudores in hisce casibus nisi spontè moueantur, non esse promouendos, nam in Ascite serosus humor non vt in Anasarca per superficiem corporis diffusus est, sed in abdomine continetur, unde sudorifera non sine magno labore aliquid euacuant. potius ergo insensibiliter euacuantibus incederem china nempè, & salsa vt dixi, quam aliter; sic quod ad roboranda viscera non inutile erit non rarò confectiones magnas accipere, vt mitridathum, theriacam, & similia; *Mercatus* confectionem cyphoidem maximè probat, & ego quoque easdem commendo cum alijs speciebus vt diarhodon Abb. quas *Horat. Augen.* mirè commendat in iecinoris affectibus, proindèque eas nuncupat species Diarhod. hepatis, conflarem ergo sequentes tabulas: ℞ spec. cyphoid arom. ros. Dialaccæ, diacurcumæ an. drac. 5. trochis. de rhab. de eupat. an. scrup. 1. cons. ros. vet. drac. v. 1. sacch. fini dissol. in aqu. beton. vel menthæ q. s. mis. f. conf. in tab. *A Ioanne Anglico* summè probatur electuarium diacubebarum dictum; Senner. etiam probat huiusmodi electuarium, quod non esset ab re in nostro casu. ℞ trochis. de absynth. de eupator. an. drac. 2. de rhab. de lacca an. scrupul. 1. hepatis lupi præparat drach 1. sp. diarhod. Abb. arom. ros. an scrupul. 1. cons. florum sambuci drach. 2. mitridathi drac. 1. s. cum syr. de eupat. f. electuarium.

Neque solum internis remedijs incedendum pro aquæ resolutione, sed externis quoque, vt vnctionibus fotibus, emplastris, inter quæ primum locum obtinet illud quod à *Valleriola* paratur ex stercore vaccino, capillo, sulphure, cumino, anisis, melle aceto, & alijs; Neque inferius crediderim quod paratur à doctiss. *Sennerto*, quod est tale, ℞. farinæ placentor. sem. lini, & cannabis an. vnc. 2. stercoris columbini vnc. 1. coquantur in lixiuio ad pultis consistentiam sæpius agitando, deinde adde pulu. sulphuris viui drach. ß. alum. vnc. 5. farinæ lupin. fænugr. pulu. sem. cumini, anis. baccarum lauri an. vnc. 5. ol. laurini, anethini, an. q. s. mis. f. cataplasma: Sunt præterea balnea laconica dicta, quorum structuram docet *Vitruuius lib. 5. architect. cap. 5.* sunt insimul calidæ arenæ, sicuti sacculi ex millio, sale, & furfure, inunctiones ex vngu. de Agrippa, Martiat. Arag. sicut & ceratum dyapirites, item

ægrotantis reclinatio in aceruo tritici, vel lauacrum ex aquis sulphureis, salsis, nitrosis, aluminosis, quemadmodum & luta prædictis aquis affinia; Sunt preterea qui adhibent cauteria, & vessicantia, quæ *Ludouic. Septall. lib. 7. nu. 56.* nemini profuisse vidit quadraginta annis quibus Mediolani Medicinam fecit, cum ferè semper gangrena fuerit subsequuta; Scio etiam à multis paracentesim adhiberi pro aquæ eductione, verum cum ea locum tantum habeat in Ascite quæ breui tempore ad insignem magnitudinem peruenit, proinde eandem missam facio, eòque magis cum simus in hydropis initio, vbi illa non redundat aquæ vbertas, quæ paracentesim consulere videatur; E de sanguinis missione non loquor cum eadem sit prorsus seiungenda à nostro languente, tum ratione Iecoris cacopragiæ, tum ratione frigidorum humorum.

Cæterum quoniam hæc nihil profutura spero, ni optima adiungatur victus ratio, propt. sunt eligenda cibaria, quæ facillime sint coctionis, nec multa referantur humiditate, qualia sunt al udarum carnes, quarum vsu quendam restitutum fuisse narrat *Nicol. Florentinus*, sic etiam gallinarum, veruecis, pipionum, & similium; exercitium maximè prodest, indèq; dixerat Senex lib. acut. & quam minimum bibens, quamplurimum laboret: ocium enim aiebat alias humectat; quamobrem vinum sit album, tenue, & dyureticum, vt ait *Sennert.* quinimò illud condit lupulo, absynth. agrimon. & similibus; verum quò paucius dabitur, eò salubrius erit; nam vt aiebat *Celsus* potio non vltrà sit danda, quam vt vitam sustineat, sic *Leonardus Iacchin.* refert multos fuisse sanatos sola potus abstinentia; aqua non conuenit, quia refrigerat, vnàque relaxat; ideò, quo *Auic.* dixit ægrotantes nedum ab eius potu, sed visione arcendos esse atque hæc sint satis pro eneruando morbo quo noster æger ingemiscit.

PRO PERILLVSTRI DOMINO IOANNE BAPTISTA Porcinario Patritio Aquilano hydrope lacessito.

CONSVLTATIO LXII.

IEcur quod naturalis animi sedem vocitauit *Fernell.* & nutrientium partium Principem, vbi parum aut nihil à suo tono deuium fuerit, peruium se se reddit omni morbo suscepiando; nec immerito; est illud enim officina sanguinis vt *Hipp. lib. de alimento*, & ex eodem fons, & origo gratiosi humoris; vt propter veteres dixerint illud esse terram frugiferam; quare illius optima constitutio, ac robur maximè ad salutem facit, vt eiusdem destructio ad mortem; quid miror ergo nobilissimum quo de agimus languentem ob hepatis κακοπραγίαμ seu iacturam præstitam à nimia viuifici nectaris sanguinis nempè euacuatione, in hydropem inciderit, læsa vtique ἐμάπωσι? quod *Galen.* explanauit *9. meth. cap.* 10. & 5. *de loc. aff. 6.* sic *Hip. 2. epid. sect. 2.* refert historiam Serapidis, quæ ex liquida aluo intumuit, subsubdit *Valles ex quacunque euacuatione profusa solere hydropem fieri Hip. & Gal. dictum sepe est*; sic *SchenKius* retulit duas historias Georgij scil. Tennebacensis Abbatis, & Ioannis Frey Iuris Doctoris qui ex hemorragia hydropici sunt facti; vetus enim est illud axioma: ὅπα ἐξ αἱμορραγιῶν ὑδερῶται idest quod

ex hemorragia hydropiſcunt, nil enim magis Iecur valet refrigerare quam
nimia hemorragia, nam per ſanguinis eiectionem primigenius calor deperdi-
tur, cum in ſanguine, & ſpiritu calor ſubiectetur: quo quidem deperdito
incoctiones emanant, humorque crudus & feroſus producitur, qui in ab-
domen tranſmiſſus, illud in molem attollendo, hydropificum parit tumorẽ;
*cum enim ſanguis exiguam mutationem ſuſcipit maiore ſui parte in aquoſam ſubſtantiam
vertitur, ac circa primas venas, & cauam manens*, vt ait *Iacchinus cap. de hydrope
vt puta tenuis, & ſeroſus reſudat in peritoneum; quod autem maneat* (ſubdit) *cauſſa
eſt, quoniam à membris, & vlterioribus venis non trahitur, quod autem non trahatur
cauſſa eſt vitium eius, remanent etiam eo ſanguine plenæ venæ meſenterij omnes, quibus
erat aliqua vis ſanguifica; vndè ab ijs defluit roris vice aliquid in cauitatem, vaporis
quoque humidi copia vbi in peritonæum tunicam inciderit, denſatur, atque in ipſum
defluit: talis eſt aſcitis generatio*: & quamuis vnanimis ſit omnium auctorum ſen-
tentia hydropem ſemper à cauſſa frigida promanare, non defuerunt tamen,
qui illum cauſſa calida poſſe manare dixerunt, inter quos fuit *Alex. Trall. lib.
9. cap. 3. Auic. canon. lib. 3. cap. 21. Nicolaus ſerm. 5. tract. 5. cap. 25. Alex. Benedi-
ctus pract. lib. 15. cap. 33. Chriſtoph. à Vega lib. 3. art. medic. ſect. 8. cap. 11. Ioan.
Argenterius art. med comment. 2. pag. 320. Mont. Regal.* Alij vero vt *Iacchinus;
Thomas à Vega, Marcell. Donat.* ab hac ſententia receſſerunt: cæterum *Carda-
nus* multis argumentis viſus eſt probare hydropem à cauſſa calida; & primò
quia *Hipp.* ponit hydropem ſuccedentem ad morbos acutos, ergo ait à cauſ-
ſa calida, & ſicca; ſecundò quia ſitis eſt inditium caloris, & ſiccitatis, ſub-
ditque *Cardanus*, quoniam in curatione illius ſitis, dabone ego calida, & vi-
num ſicut quidam ſtolidi medici faciunt? ergo oportebat occurrere cum re-
frigerantibus, & humectantibus, igitur cura fiet tanquam de morbo à cauſ-
ſa calida, ſubdit: quinimo cum animaduertiſſem caupones maxime hoc
morbo corripi ob vini meri quod hauriunt copiam, quod etiam teſtatur,
Ariſt. ſect. 3. probl. 5. curam adhibui cum frigidis, & omnes quos ſuſcepi cu-
randos curaui: & hoc argumentum, ſi quis non omnino impius eſt, & natus
ad prodendum amicos, & humanum genus concludere debet quoniam non
certatur de ambitione, *ſed hominum ſalute*: tertiò, quia videmus quod in ma-
gna Iecoris frigiditate homo ad hydropem non peruenit, ſed ad fluxum vri-
næ, ad malum colorem, & alios frigidos morbos, ſignum hydropem non
fieri à Iecoris frigiditate, hydrops enim fit in fluxu hemorroidarum, vel mẽ-
ſium ob corruptionem, videri poſſunt hæc omnia apud ipſum, quæ mihi nõ
admodum valida comparentia, miſſa facio.

Petrus Salius lib. de mort. particul. primò, ſupponit aliquando colliquato ſan-
guine, & ſuccis qui in venis ſunt, non attrahentibus renibus, ſed à venis ad
ventrem, vel ambitum vniuerſi corporis, hac colliquatione tranſmiſſa ſerũ
hoc ſubitaneos hydropum ſtatus inducere, tumente ſtatim ex hoc, vel ven-
tre inferiori ſolo, vel etiam reliquo totius corporis; quod factum, ait, vidiſ-
ſe in febribus, quæ ſeruabant ardentium naturam; hunc tamen hydropem
non eſſe verum hydropem inſinuat, ſed qua ratione, non dicit; cum ego
putem verum hydropem eſſe; ſicque merito *Hipp. lib. prognoſt. com. 2.* dixit:
*Fiunt etiam hydropes ex morbis acutis doloroſi, ac pernicioſi, incipiunt autem aliqui ple-
rique à laterum mollitudine, aliqui etiam ab hepate*; ſic *7. epid. par. 13.* dixit: *Con-
tingit etiam hydrops ex febre ardente*: vnde habemus hiſtoriam creſiphoris qui ex
cauſu multo factus eſt hydropicus & *lib. de aff. tex. 23. Aqua intercutem fit ple-*

rumque

rumque cum quis ex longo morbo impurgatus multo tempore manet, corrumpuntur enim carnes, & liquantur, & fit aqua: subdit inferius: *Cum carnes à pituita, & tempore, & morbo, & non purgata immunditia, & mala curatione, ac febribus corrupta fuerint; liquescunt, & fiunt aqua, & venter quidem non distribuit aquam in se ipsum, verum in circuitu circa ipsum consistit*: ex quibus patet calorem immediate esse hydropis caussam, nã colliquatio nequit à frigore fieri, cum habeat virtutem densandi sed à calore, cuius proprium est colliquatio; Scio Duretum in Coacis asserere: *Nil æque natiuum calorem extinguit, atque febrilis ardor; Ac sanè iactura fit maior humidi primigenij septem diebus à febre acuta; quam à calore insito septuaginta annis*: quod quamuis ego non denegem extingui calorem natiuum tamen colliquatio (asserere non vereor) non à prinigenio calore debili manat, sed à valido diffundente; Præt. non ne ex hepatis quibusdam vesiculis quas vocant ὑδατίδας progenitis in ea mẽbrana quæ vestit hepar hydrops potest enasci? indeque aiebat *Duretus in Coacis*: *Huius verò caussa est, prorupta à ruptis bullis in omentum aqua collectio vnde stagnatus venter edit hydropem*, subdit: *sed earum bullarum quæ assurgunt in hepate, caussa est circumtensio à collectione ichorum, vel erodentium, vel amburentium*: quamobrem in vitio est ipsum hepar quod colligit, & ichor, qui erodendo, vel amburendo facit hepar bullatum, quod si hypros potest fieri ex vesiculis illis disruptis, & ichores in omentum eijcientibus, qui erodunt, & amburunt quis dicet hunc hydropem non fieri à caussa calida, & à nimio Iecoris feruore, qui immediatè hydropem producat; ichor enim est ille qui hydropem facit, at ille non potest gigni à calore diminuto, quia frigidos succos gigneret remanet vt immediatè, & positiue resultent à calore præternaturali, & valido; quod magis patet quia *Hippoc. in historia Conei*, dedit lac asininum coctum.

In super vndè manat quod hydropici sæpe flauo colore sint suffusi, & vrinæ coloratæ valdè colore rubro, vel flauo, nisi quia à calida iecinoris intemperie fit hydrops; Neque enim censendum perpetuò hepar esse hydropis caussam, nam non rarò citra hepatis affectionem potest hydrops consurgere; quod primo patet ex Hippocrat. aiente: *Cum à cerebro fluxio fuerint retro ad vertebras, & in carnes hydrops fit*, sic alias dixerat fieri hydropem cum quis siti multa vexatus aquam multam biberit, quinimo *Martianus in comm lib. de loc. in hom.* dixit actionem lædi vel vitio facultatis, vel instrumenti, vel propter errorem externum; v. g. si quis siti vexatus copiosam aquam bibat, nec eam reijciat aut vomitu, aut deiectione, aut per aliam viam, vnde in abdomine delapsa hydropem constituat. quid vitij habet hepar in hoc morbo? Insuper nonne dixit *Hippoc.* fieri hydropes à splene, quid ergò est vt dicamus primario semper ab hepate? quomodo autem aqua à splene gignatur, explicauit. *Hipp p. de morb. mul. sect. 3.* dicens plenem aquosum fieri ab humiditate in proximo ventriculo attracta, qua postquam repletus est, distribuit per venas corpori, & maximè in omentum, & locos circà ventrem, & crura, vnde hydrops: quem casu se vidisse refert Mart. in perillustri Domina Iulia vxore D. Nicolai de Farfa: Præterea quoties ne ex liene non repurgante materiæ illuuiem ab hepate manantem hydropes fieri cernimus, sanguine enim vt ait Iacot. in hepar refluente, qui tum multitudine tum crassitie viscus ipsum opprimit eiusque calorem paulatim minuit, & quasi extinguit, verum fallitur hic Iacotius, nam p. non de fuerunt qui lieni coctionem dederunt, sed hoc transiat, quid impedit vt sanguinis illuuies ab hepate transmissa in lienem

toque non admittente, vel haud defæeante in carnosum genus transmittatur, sicque Anasarca fiat. Neque solum à splene putauit *Hippocrat.* hydropes fieri, sed ab ilibus, & lumbis, vnde aiebat *in Coac. At uerò hydropes illi demum permolesti sunt, atque mortiferi, qui veniunt è morbis acutis, plurimi autem nascuntur à lumbis, & ilibus, alij verò ab hepate:* subdit *Duretus in comm. Plurimi autem nascuntur è lumbis, tum per epigenesim lumbarium vitiorum, secundum neruos ipsos qui à lumbis excorti constituunt mesocola; tum per communicationem febris acutę, quæ focum habet in vena, & arteria prægrandi lumborum, & ilibus,* subdit, *ab intemperie frigida hectica tenuium intestinorum spiritu flatulento fætorum, quæ lis Ieiuni phlegmone, quæ digestionis officium adimit venis miseraicis, nec sinit esse morigeras attrahentis;* ex quibus patet non semper primario in hydrope configurando hepar concurrere, sed non rarò secundario præstita epygenesi; hanc quęstionem optimè agitauit *Senner.* dixitque non rarò ab intestinis hydropem fieri, non rarò à renibus non attrahentibus, ex vtero & alijs partibus, quæ apud ipsum videri possunt; hæc tamen quæcunque dixi obiter dixi, & vt innotescat non esse semper veram Medicorum opinionem dicentium hydropem semper à frigiditate Iecoris fieri, & eodem perpetuo oblæso; In nostro tamen nobilissimo languente ab vtroque fieri non est denegandum, Iecur enim ex profusa nimis, vt dixi, hemorragia refrigeratum crudum sanguinem generando per carnem, sub carne, & iuxta carnem vt dicebat *Iacot.* & spargitur, & colligitur, vnde ἀνάσαρκα producitur, quamuis non ignorem Anasarcam dupliciter fieri vt volebat *Mercatus*, primo quidem ex vbertate pituitæ in vniuersa corporis carne genitæ, ab intemperie frigida solidarum partium, quę sibi cõmissum alimentum in eã vertit, secundò vt vult *Aretæus* dũ corporis vniuersi humiditas liquatur, & non resoluitur, sed crassescit in poris carnium, ac ibidem impacta in tumorem eleuat corpus, verum hæc caussa & hydropis species à *Mercato* ablegatur, vnde existimat hanc Anasarcam non aliter fieri quã Iecoris vitio, vt reliquas hydropis species, in quo velut in humorum officina ob eius frigidum intemperamentum pituitæ generandæ aptum copiosiores fiant prouentus, cuius vbertatem cum nutritoria partium facultas errans trahat, superare nequit, & praua ob id efficitur in vniuerso corporis ambitu nutritio, vnde ait in hoc hydropis modo duo concurrere imtemperamentum scilicet Iecoris frigidum quo vberior pituita succrescit, alterum verò in vniuerso corpore, sine magno hepatis vitio, ab eodem etiam frigido intemperamento, quo nutritoria infirmatur facultas, & deprauatam efficit actionem.

Quicquid tamen sit ego semper censui in hydrope efformando omnem partem valere, quæ in nostro corpore aliquem vsum præstet; sic ventriculum dixerim hydropem posse efficere, dum suam non perficit coctionem, quod de hepate quoque dicendum; sic in alia coctione quæ tertia dicitur, quæcunque pars non fuerit temperata cum non assimilet quod sibi apponitur, nil mirum si illud vel in flatus, vel pituitam, vel aquem commutet, sicque vnam è triplici hydropis specie configuret; non ne cernimus in hydrocephalo à cerebro aquam gigni, non ne videmus in hydrope pulmonis pulmonem quoque congerere, quid ergo implicat quamlibet partem aggestionem excrementorum facere, sicque hydropem manifestare; verum cum de hoc in meis epistolis pertractarim sileo, sat esse dicere Anasarcam nostri languentis ex vitio Iecoris progenitam esse resoluti ob hemorragiam, quod cum crudum, & semico-

ctum sanguinem plurimum in corpus distribuat ita ut copia crudorum venæ omnes abundent, & vniuersum corpus mole augetur, & quia affectæ sunt venæ nequeunt hanc cruditatem emendare, quare nec membra si attrahant in poros assimilabunt, vnde remanet alimentum distributum, & dispersum in omnes cauitates vt voluit *Iacchin. & cum eo Galen. 3. de sympt. caus. 1.*

Quicquid sit; quoniam hic morbus est satis contumax & difficilis, adeò vt dixerit *Hipp. 4. acut. 11. Hydropum duę sunt naturæ, quorum hyposarcidius si aggreditur, vitari non potest*; sic *Cælius Aurel.* vt notat etiam *Zacutus lib. 2.* eandem sustinuit opinionem, & *Auic. 14. 3. tractat. 4. cap. 4. § & sunt homines quibus videtur quod hyposarca est deterior aliis, quoniam corruptio in ipsa communicat hepati, & omnibus venis corporis, & carni, ita ut destruatur plurimum digestionis tertiæ, & ex eis sunt quibus videtur, quod ipsa est leuior tympanite; verum dignius est vt sit ascites malignior illis omnibus.*

Cæterum vt ingenuè fatear nulli dubium est quin Anasarca sit leuior aliis hydropisicis speciebus, quia non adeò recedit à statu naturali, sicut Ascites, & Tympanites, verum quia sumus in hominem admodum annoso, inde est vt salus potius sit desperanda quam aliter, eòque magis quia affectus pendet ex profusa nimis hemorragia: quare curatio adhibenda, & quam citò ne in aliam hydropis speciem deuiet, nam vt ait *Proculus Tremisonis* sectator secundum plurimos inquit (vt est apud *Cælium Aurel.*) hydropis differentias temporibus passionis adscribendas, initium enim atque augmentum esse leucophlegmatiam, cum adhuc secundum carnem fieri mutationem viderimus, statum vero tympanitem, cum summa tensio secundum ventrem fuerit facta, declinationem autem Asciten, quæ quidem curatio triplici medio exequenda euacuantibus materiam genitam, prohibentibus intemperiem, & caussam generationis, & tandem extrinsecis, & intrinsecis discutientibus.

Quoad euacuationem ad primas vias expiandas ego vterer melle ros. sol. ad vnc. 4. & si per vomitum posset euacuari, euacuarem; interim serapia sunt exhibenda ex syr. de beton. de eupat. & melle ros. simpl. vt postea ad purgandum vti possimus ebulo, mechoacanna, agarico, Senner. addit rhabarb. vt hepar scil. roboretur, Neque hac sola euacuatione contentus essem, sed epycrasim seruarem vel supradictis medicamentis, vel pillulis ex mezer. & elephanginis, multa sunt quæ possent hic proponi, verum *multa* vt aiebat *Senex de quocunque præcipi possunt, multa eadem, multa non eadem*; nonnunquam enim aiebat *Senner* sola per aluum purgatione, si in principio, & antequam viscera habitualem intemperiem contraxerint, instituatur, multi sanitati restituuntur, cum causa antecedente sublata natura coniunctam interdum sola superet, quod etiam confirmat Mercatus.

Cæterum neque solam euacuationem sufficere crederem, sed ad intemperiem frigidam eneruandam animus est reuoluendus, & ob id sanguinis missionem haud proposui, quamuis non ignorem *Galen. lib. de venæ sectione aduersus Erasistratum* sanguinem misisse dicens *cap. 5. in fine: Ego autem non hoc solum, sed & spasmum, hydropemque sanguinis missione sæpius sum medicatus, in hunc enim modum erudiuit me tum longa experientia tum ratio ipsa, quæ mihi suggessit occasionem ipsam, eiusque momentum sic inuestigarem &c.* sic *Hippocr. 4. acut. tex. 3.* dixit in hoc affectu venam secandam si difficulter spirauerit æger, fueritque anni tempus vernum, & viguerit ætas, viribusque fuerit valentibus: *Gal. in comm.* subdit: *Tympaniam verò, & Ascitem nullus per sanguinis missionem sanare est ausus, nam licet anasarca ex*

ca ex

a ex sanguine frigidiore oriatur, & frigiditatis ratione illa non indigeat, tamen quoniam copiæ detractio naturam leuat, vt hec minorem illam effectam facilè superet, non alienum, immò rationi consentaneum est venæ sectione vti, cum enim innatus ignis extinctioni proximus sit, nisi copia exhauriatur, ipse onere pressus peribit: quemadmodum enim ignis propè extinguitur immissis lignis tum humidis, tum multis, nisi quis multitudinem sustulerit, sic in frigidiore ob copiam sanguine vbi calor natiuus suffocatur præsentissimum est remedium sanguinis missio: Zacutus doctiss. hisce *Gal.* verbis innixus ait: *Ego illius vestigia sequutus ratione longoque artis vsu munitus, quibus solum confidit tantoperè ille in arte nostra 6. epid. sect. 8. comm. vlt. in ascite, & tympanite aliquando sanguinem mitti posse constanter affirmo*: quicquid tamen sit in nostro casu nullo pacto conuenire potest, quia sumus in Sene, & morbus venit ab exhausto, nimirum à nimia hæmorragia; quod crediderim dixisse *Auic.* dum 14.3 *tract.* 4. *cap.* 13. sic inquit: *Phlebotomiam verò oportet vt deuitet omnis hydropisim habens, quantum potest, nisi illi qui patiuntur hydropisim ex retentione sanguinis*: cum ergo contrarium accidat, ab omni sanguinis missione est abstinendum; atque ad tollendam caussam est animus conuertendus, sicque decoctum ligni guaiaci commendarem, quod habet virtutem exsiccandi, cum portione ligni saxafras ad viscerum tonum restituendum, sique difficultatem habeat in hoc præsidio chinæ vsum iniungerem cum salsa, & portione ligni saxafras; quod si hisce pręstitis remedijs adhuc morbus vigeat, quod sperari potest, ad ea medicamenta deueniendum quæ internas humorum reliquias conterant, vt est Dialacca, Diacurcuma, trochis. de eupator. de rhab. & de absynth sic quoque species arom. ros. Diarho. Abb. mitridathum, & theriaca prodesse poterunt: *Zecchius* proponit mirabile electuarium, quod est sequens: ℞. spec. Diacurcumæ drach. 1. salis theriacalis drac. 1. s. spec. Dianisi drac. 2. cyphoid. drac. 2. s. facch ros. antiqui vnc. 5. i. Dantur drach. 2. quinque horis antè prandium, superbibendo vini Kalibeati actu calidi vnc. 3. Erinacei etiam terrestris caro siccata confert ad exsiccandos hos humores.

Neque interim ab externis præsidijs abstinendum, proindèque *Mercatus* laudauit balnea aqu. sulphurearum, vel ex alumine, & aqua marina, prodest & arena maximè in maris littore, aut milium, sal, sulphur, sed melius id efficient calidi furfures, & pulueres lapidum qui pumices appellantur; sic laudat inunctionem cum ol. irino, & modico aquæ vitæ, aut eodem oleo, sale, & sulphure; *Forestus* vt est apud *Senner.* refert vetulam quandam sumere solitam esse ranas viuas, quas in olla noua coquebat, superfuso oleo oliuarum, quo quidem oleo ventrem inungere refert versus inferiora manus ducendo à stomacho versus inguina, tumor die secundo descendebat, vt pedes intumescerent vehementer, tertio die penitus liberata fuit. sic quoque Sennert. & alij commendarunt crurum scarificationes, quas haud propono cum sciam nobilissimum virum illas haud admissurum; quod tamen præ reliquis laudandum est diæta, quæ exsiccans esse debet, & attenuans, ideò potius carnes assę sunt dandæ quam aliter, & paucissimè bibendum. Hæcque volui dicere in casu nostro pœnè desperato faxit Deus dt omnia propitia euadant.

∴

PRO

PRO DOMINO IVLIO *Strapparola hydrope laborante.*

CONSVLTATIO LXIII.

COmmissum in secunda valetudine errarum dicebat *Gal.* iter esse ad ægritudinem, proindèque doctiss. *Fernell.* temperantiam omnis iucundæ, salubrisque vitę moderatricem prędicauit. Ars quippè quæ sanitatem tuetur, ijs qui sibi paruerint, firmissimam sanitatem promittit, qui verò aut ambitione, aut voluptate victi parere recusant ijs perindè est, ac si omninò non esset; voluptas enim est velut tyrannus quę nedum vt aiebat *Plato* pueros infestat, sed homines quoque nam ab ea velut hamo pisces assumuntur, qua tractus noster ęger innumera errata commisit, minimè sui obseruans, quibusuis fine ordine vtens, ac se denique gerens intemperanter tum in exercitijs faciendis, tum in cibarijs assumendis, tum denique in Veneris actibus, qui eidem gonorrhęam pepererunt, vitiatis tum motu, tum luc loculis fæmina deportantibus, vnàque irritata expultrice facultate ob seminis acredinem ab infecta muliere impartitam; à qua pariter gonorrheę materia in testes corriuata, ibique detenta testes ipsos ita tumidos reddidit, vt hyderocelem configurarent, ni velimus cum Hip. *lib. de aer. aquis & loc. tex. 7.* testium hydropem vocitare, cum tumor esset pellucens, obscurior, & grauior quam in Pneumatocele, contactuique obediens, factus tum ob earum partium imbecillitatem, tum ob Iecinoris frigidam *δυσκρασίαν* eiusdemque actionem diminutam, tum denique ob partium omnium refrigerationem, hinc *Auic* dixit Hyposarcam fieri per lęsionem tertiæ coctionis, ita ut materia alimentalis partibus adhęrere nequeat, partes enim ut ait *Capiuacc* ita refrigerantur, & languent, ut licet ad partes optimum deferatur alimentum; non tamen mutari possit, neque id solum pendere ait vitio partis, sed etiam uitio materię quę tripliciter generari potest vel ob ventriculi dyscrasiam, vel ob victum pituitosum, vel ob Iecoris refrigerationem vt dixi, vel ob febrem reddentem materiam colliquatam, quę protrusa ad externas corporis partes, & non immutata ob diminutam facultatem coctricem hydropem pandit Anasarcę nomine dictum, tum *Heraclides Tarentinus 2. lib. intern. pass.* totius corporis inflationem, siue humoris infusi penetrationem catasarcam vocauit.

Quicquid tamen sit Anasarcam pręsentis nostri languentis hepatis vitio prodijsse non est dubitandum, hepar enim refrigerium non aliundè sortitum est quam ex diutino febris ardore, qui primigenium extinguendo ansam dedit pituitosis humoribus coaceruandis, quamuis ego dixerim huiusmodi hydropis speciem vt plurimum à ventriculi imbecillitate manare, is enim cruditatum est mater, is pituitosos multos excrementitios humores gignit ob facultatem alteratricem læsam. Iure igitur *Diogenes Cynicus* hunc vocauit ventriculum vitæ Charybdim, *Aretæus* ducem & datorem omnis iucunditatis, & iniucunditatis, huius itaque exemplo vtitur, quia ex hoc vno omnium partium morbi proueniant; vitium enim quod in prima coctione committitur vix amplius resarciri potest, unde cum à uentriculo non elaboratur materia, hematosis non fit, cum non fiat neque fit tertia, coctio sicq. congesta

multa

multa humiditas per vniuersum corpus hydropem Anasarcam producit; non ob id explodo Iecoris frigiditatem, quod pariter est aptissimum pituiteos, & crudos congerere succos; iam verò languescens, & extinctioni proximum ab excessu quidem frigoris accedente sanguificationis priuatione in carnosum genus pituitam diffundit, quæ assimilari non potest, vt ait *Iacotius in Coac.* atque indè hydrops; qui quamuis solum compareat circa crura fæmora, & corpus id contingit vt vult *Hippocrat.* 4. *de morb.* cum materia penetrare non potest ad superiora, cum verò ad inferiora peruenire non potest, adest eadem ratio, sicut quando vtraque pars est impedita in abdomine subsistit; sicque varia inuehuntur symptomata, variique effectus, comparent, nam dum ea materia solum in abdomine subsistit varias sumit figuras; sic memini me vidisse in vxore magistri Tiberii de Nobilibus iam hydropica, ob hepatis lienisque vehementes obstructiones aliquando excretas per secessum innumeras vessiculas, quę aquam quandam citrinam intus habebant, ita vt æmularentur vitellos ouorum in gallinæ ventre contentos, maiores & minores prout ferebat occasio; ortas vt putabat *Petrus Salius comment.* 1. *de morb.* & ex materia apta ad cystis generationem ob propriam viscidítatem, & tenacitatem, & ex robore virtutis formatricis, quæ potens est effingere sibi folliculum illum ex præsentia aptæ materiæ, quæ vis formatrix adeo ualida est ut pro ratione dispositionis materiæ diuersa fingat ex contentis in folliculo succis, cuius meritò quandoque pilos, vngues, lapides carbonem, cęnum, mel, & alia huiuscemodi producit; quæ quidem ratio uidetur posse reddi de iis vessicis aqua citrina plenis; sic de hoc hydrope solus *Aretæus* est loquutus; *qui lib.* 4. *cap de signis, & causs.* diuturnorum morborum dixit: *Hydropici morbi species talis agnoscitur, in ea vessiculæ quædam pusillæ, crebræ, humoris plenæ, in loco vbi Ascites fieri solet excitantur*; subdit inferius: *Vnde enim id genus vessiculę eruperint via haud facilè reperitur*; Alii namque affirmant huiusmodi ampullas per intestina transiisse, idcirco neque scribendo affirmo, nam si ex intestino colo, siue ex ventre ferantur, qualis sit ipsarum generationis modus, quid dicam, nil certi habeo, iter enim ad omnium excretionum per sedem lubricum ac patens est, at ipsius humoris in ilibus collecti per intestinorum rupturam egressio credi non potest: sic *Cordęus ad lib.* 1. *de morb. mul. Hippocrat.* refert mulierem quandam hydropicam & mortuam in eius autopsia habere inuentam esse vndequaque vessicas, aqua citrina oppletas, & sine vllo fætore.

Verum hæc sint obiter dicta, volens duntaxat significare, quot edat effectus hydrops, quot pariat symptomata; potissimum hic quo noster æger conflictatur, nam foueam facit diù durantem in contactu, quia pars humore imbibita pituitoso cedit, & cum multa humiditate affluat non statim redit ad suum pristinum statum; siti non torquetur ob humiditatum abundantiam, earundemque saporum expertium, neque obstat ob febrem debere ægrotantes sitire, non inquam, nam ut ait *Auic.* hydropicorum febris tepida est, & proindè non apta sitim facere. anorexia torquetur, quia ventriculi os supernum ob frigidorum stationem stupet, sicque non sugit, nec fit inanitio, quia expultrix languet, torpetque omnis actio, intus enim existens prohibet extraneum; sique in incessu grauitatem persentiat, id ad maximam humorum sarcinam redigendum, unde haud mirandum si dum incedat anhelitus difficultatem persentiat, uel oneratis humore pituiteo partibus spiritalibus, uel iisdem compressis à partibus naturalibus; vt Iecore, & splene quæ olim obstructa-

emersere à lentis hisce humoribus progenitis à ventriculo tum ob venerem relaxato, tum ob cibaria praua, venus enim ex *Gal. 3. de sanit. Tuen.* corpus laxius, ac frigidius reddit, addita etiam luis suspicione, quę omnia membra debilitat, laxat, intemperat: atque ex his obstructionibus febris illa diuturna ortum duxit, nam vt aiebat *Hip. lib. de loc. in hom. Febres propterea fiunt, cum corpore superinflammatos carnes intumerint, & pituita plena fuerint eaque compacta, & neque refrigeretur quicunque neque moueatur, neque aliud quid subeat:* calor enim innatus ita in naturam conuersus est igneam, vt & diminutus ab igneo tandem, & suffocatus à constrictione vt dixerat *Theophrastus*, huic hydropi caussam potuerit exhibere; quare cum tot concurrant in nostro languente, quis non dixerit istum hydropem esse lethalem, additis erratis in victu à quibus nec abstinet, morbi enim aiebat *Gal.* qui prorsus salubres sunt, multis magnisque deinceps erroribus commissis in lethalium naturam incidunt, sed quomodocunq; sit neque in sepultura derelinquendi ægrotantes, decet enim pietatem Christianam eos perducere vsque ad finem vt volebat *Trallianus*, propter medica manus non deneganda, sed multipli medio tentanda, prout multiplex est caussa morbi; cumque dixerimus adesse vniuersalem plenitudinem eadem deplenda, sicut intemperies & viscerum debilitas emendanda alterantibus, obstructiones reserandæ, & tandem materia tum intrinsecis tum extrinsecis discutienda.

Quoad euacuationem quamuis Ascitis præparantia non amet, quia tenuis est humor, tamen Anasarcę humor indiget præparatione cum in ea crassi humores peccent, quamuis vt ait *Cęlius Aurel.* falsum sit in omni hydropis specie aquam non adesse; vterer ergo rhodomel. simpl. syr. de f. beton. vna cum oxym. simpl. & deinde darem puluerem mochoac. atque scialappæ, quinimo nedum hac vterer solum euacuatione, sed epycrasim seruarem; siquidē vt ait *Hip. in Coac. Hydrops leucophlegmatias appellatos alui profluuium sedat*, quod eo magis à Medico naturæ æmulo id fieri debet, caussa etenim productiua denuo regenerat materias, neque enim sola mechoac. vel scialappa esse videtur ex vsu, siquidem à multis laudatur brassica marina soldanella vulgo dicta, ebulorum succus, species hyeræ agar. trochis. elaterium, aut succus rad. sambuci, sic radix ireos adeò ab *Hip.* celebrata *Baccius* se sola lotij potione multos ab hydrope persanasse fatetur, consilium tamen sumendum in arena.

Neque interim dum hæc fiunt cogitam potest de sanguinis missione, multoties enim est missus tum ex bracchio, tum è saluatella, tum denique per hyrudines dum febricitabat, vnde inutile esse videtur denuo sanguinem mittere, eò potissimum, quo vires sunt labefactæ corpus nimijs scatet humiditatibus, & morbus sit confirmatus, ideoque dixit *Zacutus lib. 2. Anasarca enim cum incipit, solum indiget venę sectione, subintelligens in hac hydropis specie audacius, & copiosius quam in alijs esse venam secandam*; Nullum vero Ascitem, & tympanitem sanare ausum fuisse per venæ sectionem, intellige per solam venæ sectionem nam hydrops solo hoc auxilio non curatur, quoniam expurgantia desiderat, & deobstruentia: quare omissa venæ sectione non absonū credo ad deobstruenda viscera & corroboranda accedere, pro quo explendo scopo ius pullorum, pipionum vel galli adhiberem multis alteratum herbis, vt putà beton. quinque rad. aperient. cort. rad. cappar. calamo arom. cinnamomo, cariophyllis, capill. ven. cetrach. fol. absynthij pont. tamari-

ſci, card. bened. ſem. fæn. fol. viſci quercini & ſimilibus, quod ſi addamus lignum guaio cum optimum erit tum ad diſiſpanda excrementa; tum ad debellandam luem, & quoniam diaphoretica reſpuit medicamenta non inutilem crederem chinam vna cum ſalſa, nam quamuis ſalſa ſit ventriculo noxia, tamen quia correctiſſima cernitur in hoc iure non erit inutilis, ſicut nec inutile erit chalybem extinguere; ſic *Hip. lib. de Iudicat. tex.* 11. dixit: in his qui ab hydrope detinentur, ſi aquoſitas per ventrem ad veſſicam, aut ventrem fluat, ſolutio fit; ſic poſſet commendari pul. ſem. litoſperim ex decocto aſari exhibitus, ſicut aqua florum geniſtæ mirè prodeſt: interim his non iuuantibus roborantia adhibenda, quæ poſſunt eſſe Dialacca, Diacurcuma, trochiſ. de eupat. de abſynth. de rhab. cum puluere roſatæ nouellæ; Neque ob id externa omitterem medicamenta, quæ quamuis multa fuerint celebrata, poterunt tamen & alia adhiberi; non enim ſanantem ait *Hip.* variare oportet modum ideoque præter emplaſ. illud è ſtercore caprillo, vaccino, ſulphure & alijs à *Valleriola* celebratum, vterer inunctionibus ex vng. Agrippæ, Artanita, Martiat. & Arag. ſicut alijs ex ſucco rad. ſambuci, rad. yreos, cyclaminis, cum cardamomo, calamo aromat, & alijs huic vſui deſtinatis, ſic quoque varcos fotus iniungerem pro diſſipandis illis excrementis, ſicut, & ſaculos ex milio, ſale, ac furfure; Poſſem hic alia medicamenta proponere, & præcipue ſuffitum à *Claudino in ſuis conſult.* propoſitum ex decoctione actu calente, artemiſſæ florum geniſtę, calaminthæ, dictami cret. hiſſopi, rad. cucumeris agreſtis, ebuli, cyclaminis, ſulphuris, nitri, & alumnis in qua lapis molaris, vel pyrites ignitus fuerit pluries extinctus, ſicuti & ceratum diapyrites, ſic pro diſcutienda materia tenuit non eſſe poſſet in arenis fluuiatilibus aut marinis, in fornace excalfactis, item & reclinatio in aceruo tritici a Sole excalefacti, vel lauacrum ex aquis ſulphureis, aluminoſis, vel ex aqua marina, qua in Niſantide vſus eſt *Hippoc.* ad reſoluendum, quemadmodum & luta prædictis aquis affinia eſſe poſſunt ex vſu; ſic poſſunt fieri inciſiones, vnde *Gaſpar Hofmannus* refert mulierem quandam quæ curata eſt cauterio pedi impreſſo, egreſſa per cutem aqua; Ioannes Michael Paſchalius multa cauteria ſæpe ventri admota non profunda hanc materiam purgare docet. ſic *Gal. ex Archigene 9. de compeſ. medicam. per loc.* præcipit talos eſſe ſcarificandos, quinimò *Chriſtoph. à Vega lib. 3. art. med ſect. 8. cap. 13,* dixit hoc remedio malum corporis habitum curaſſe.

De victus ratione non loquor, cum iam apud omnes conſtet debere eſſe victum tenuem & exſiccantem, ideòque vtatur cibis ſolidis, & conditis aromatibus, atque ſeminibus odoratis; vix ac ne vix quidem bibat, ſcimus enim hiſtoriam Inlij equitis Romani, qui ab omni potus genere abſtinens, ex hydrope conualuit; indèque meritò elegantiſſimus *Celſus* dixit hoc morbi genus facilius in ſeruis, quam in liberis tolli, nam cum famem, ſitim, milleque alia tædia deſideret, promptius his ſuccurritur qui facilè coguntur, quam quibus inutilis libertas eſt; nullæ enim ſont leges pro ijs qui vitam ſectantur voluptuariam, ſed pro iis tantum qui frugaliter viuunt, & frugi ſunt, atque obedienter ſe gerunt in Medicos bene monentes; qua fortè ratione ductus nobilis quidam Medicus apud Antigonum Regem negauit hydropicum quendam poſſe ſanari, vt eſt apud eundem *Celſum*, cumque alter Medicus ſe ſanaturum polliceretur, reſpondit illum ad ægri morbum reſpicere, ſe verò ad animum, cum vir eſſet notæ intemperantiæ; Atque hæc

po-

potui dicere breuissimo temporis interuallo, Deus sit qui secundet nostra medicamina, &c.

PRO PERILLVSTRI DOmino Domino Pyrrho Alferio Sancti Iacobi, Equite colicis doloribus detento.

CONSVLTATIO LXIV.

NOn immeritò *Plinius* nostræ naturæ caducitatem vicissitudinemque deplorat, dum colici doloris nouum cernit aduentum, *lib. enim 36. nat. hist. cap.* 1. sic loquutus est; *Id ipsum mirabile alios desinere in nobis, alios durare sicut colum. Tiberij Cæsaris principatu irrepsit id malum, nec quisquam prior Imperatore ipso sensit magna Ciuitatis ambage, cum edicto eius excusantis valetudinem, legeret nomen incognitum.*

Quid hoc esse dicamus, aut quas Deorum iras? Parum enim erant homini certa morborum genera, cum supra 300. essent, nisi etiam noua timerentur? indèque meritò etiam nonnulli humanæ naturæ miserias deplorarunt, cum eandem videant innumeris ærumnis circumseptam, adeo vt iure *Democritus in epist.* dixerit hominem totum à natiuitate morbum esse, vix enim enatus incipit dentire, vagire &c. sic *Diuus August. super Psalm.* 111. dixit: *Ægrotante incipimus mox vbi nascimur*, vnde *Plato* inter reliquos tirannos qui homines depopulantur dolorem esse dixit is enim vt perhibebat *Auic.* de maximis est prosternentibus virtutem, summè enim hominem angit, torquet excruciat; vt proindè dolor a nonnullis dicatur esse tristis molestaque sensatio à sensibilibus qualitatibus confestim agentibus, quod etiam expressit *Plato in Timæo, & in Philebo*, violentia namque subitaque mutatio adeò naturæ est aduersa, vt vel in transitu ad naturalem statum homini dolorem communicet: qui quidem dolor quamuis semper homines lacessat, colicus tamen pre reliquis primatum tenet in affligendo, adeò vt à veteribus fuerit tormentum vocitatus, & *Gal.* ipse *lib. 2. de loc aff. cap.* 1. dixit (volens huiusmodi doloris acerbitatem explanare) sibi ipsi aliquando accidisse vehementissimum dolorem vt videretur in profundo ventris cerebro perforari, in eo potissimum spatio, per quod à renibus ad Vessicam vreteras extendi scimus: ut etiam contingit in nobilissimo nostro Equite, qui diris modo circa uentriculum, modo circa lienem, uel hepar, doloribus diuexatur; undè uagus est dolor, instabilis, & modo in hac, modo in illa parte est maior, pro uario situ intestinorum, ac potissimum coli, quod tradunt Anatomici à dextra parte in modum cuiusdam zonæ ad sinistram procurrere, itaque vt ait Mass. nunc hepatis, nunc lienis regionem occupat, nunc ventriculi, frequenter renum, supra & infra vmbilicum; quod quidem colon ideò doloris esse capacissimum dixit, & quia pituitę crudæ est velut officina vt dixerat Laurentius, quæ enim in tenuibus remanet pituita, facilè ob loci angustiam, & venarum multitudinem coquitur, hic ob coli amplitudinem refrigeratur, & euadit vitrea, & quia flatuum est receptaculum, & ab infernis partibus aerem excipit, ut non sit mirandum nobi-

lissimum nostrum ægrotantem,& pituitæ, & flatuum caussa laboret, hi enim tendendo, illa autem grauando, & refrigerando ac intemperiem inducendo dolorem peperit, proindèque *Gal.6.de loc.aff.cap.2.* dixit: *Vehemens inflatio vehementes dolore dextra magis parte intestinum quod verti videtur propè spiritum elidit*, & ibidem pariter dixit: *Igitur ob frigidum crassumque, aut etiam humorem viscidum aut ob flatulentum spiritum in corpore crasso densoque alicuius intestini inferioris genitum, sed egredi nequeuntem excitari dolor consueuit*, quæ quidem pituita, qui quidem flatus, si procatarticam velimus caussam disquirere non aliundè manarunt, quàm ex inordinata viuendi norma, ex ocio, & repletione, multa enim ingessit cibaria, quæ coctionem quoquo pacto respuere videbantur, siluestrem enim raphanum (rapestam vulgus nuncupat) ingessit vna cum acetario, quę & ob eorum malitiam, & ob eorum incoctibilitatem in cruditates, & flatus conuersa dolorem adeò acerbum genuerunt, addito etiam animi pathemate quod & bilem generando vt dixerat *Gal.* eandem crudis succis ac flatuosis commiscendo acerbiorem præstat dolorem; vt proindè elegantiss. *Celsus* dixerit: *In plerisque post frigora cruditatesque oritur*: Crudo igitur humore, ac viscido simul congesto à ventriculo, vnàque in intestinum colon transmisso dolor ille consurgit acutus, ac vehemens; vehemens quidem vt voluit *Gal.* ob intemperiem, atque tensionem corporum quibus inhæret impactus, longus verò quia difficulter euacuatur; vnde *Auic.lib.3 fen.17.tractat.3.*p.343. multas alias annumerat caussas, ait enim hunc affectum posse produci ob obstructionem egestionem prohibentem, ac flatuum penetrationem occupantem, hancque repletionem fieri asserit; cum repletum fuerit monoculum; subditque eandem obstructionem fieri aut ex apostemate in intestino, aut ex humore phlegmatico, viscoso implente spatium eius, & ipsum oppilante, aut ex flatu intestinorum torsionem faciente, aut ligamenti disruptionem, aut propter vermes congregantes, & oppilantes ipsummet intestinum aut propter fęces induratas; aut denique propter lapides, & quamuis *Gal.6. de loc.aff.* dixerit se nec vidisse, nec aliam audiuisse qui viderit hos lapides in intestinis genitos, habemus tamen historiam illam de Excellentissimo Frisimelica Patauij degente, qui ex lapidibus in colo dolorem est expertus vehementissimum; neque ab re est dicere non raro huiusmodi dolores fieri ob intestini phlegmonosum affectum, sicque *Gal.7.meth.7.* adolescentem huiusmodi doloribus tentatum tractauit refrigerantibus, sic *Paulus lib.3.ca.43.* colicam proponit epidemicam, in conuulsionem, aut paralysim desinentem, quæ feliciter curabatur frigidæ potu, intybo, cichor. & similibus.

Quicquid tamen sit dicerem nobilissimum Equitem non alia de caussa hos experiri dolores, nisi ob crudos viscidosque humores, qui ipsum intestinum infarciendo, humorumque transitum prohibendo vt superius ex Auicen. diximus egestionem prohibet; nec ignoro *Gal.3.de sympt.caus.* triplicem assignasse caussam de excrementis non descendentibus, quarum prima est quia partes quæ excrementa expurgant, sunt imbecillæ, secunda viarum angustia, tertia est excrementi malitia: imbecillitatem intemperies parit, angustiam verò vel obturatio, vel aliquis instrumentorum tumor, atqui tumorum caussa est humorum affluxus, obturationem facit humorum vel crassitudo, vel lentos, vel innatum tuberculum.

Cum ergo dixerimus viscidos humores adesse, intestinum ipsum obstruentes, nil mirum si non tam facilè materia possit excerni; anorexia illa, ac nausea,

sea, & vomitus ex ventriculi repletione oriuntur, vomitus enim vt ait *Hippocr.* in repletionibus excitatur, ni velimus cum *Dodoneo cap.37.obseruat.Medic.* asserere id accidere ex intestino colo, quod super ventriculi fundum transiens ventriculum comprimit, ventriculus enim ait est veluti lagæna coriacea, quę compressa, eius quod in ea continetur cum impetu pars quædam reijcitur.

Quod tamen mihi maius negotium facessit, est quomodo hunc dolorem distinguamus à nephritico, est namque tanta horum dolorum similitudo, vt *Gal.2.de loc aff.5.* dixerit se dolorem colicum existimasse nephriticum; ideòq; idem *Gal.ibidem cap.2.* dixit: *Cæterum & nauseæ, & vomitus per id genus affectus vrgent, sed multo grauiores, & magis dolente colo,* & subdit ibidem; *Euomuntque ita laborantes pituitosa quadam atque corrupta, hac in re longè superantes nephriticos ac retinent etiam magis excrementa, vt ne flatum quidem, neque etiam ructum excernere possint sæpe numero* (subiungit) *veluti circuire videtur modo hanc, modo illam partem infestans, nephritici verò dolores eodem in loco stabiles infestant iugiter, quum itaque dolor in loco fuerit altiore renibus manifestum colicę inditium portendit;* Cæterum doctiss. *Saxon.* ita distinxit, nam dolor colicus aliquando est supra regionem renum, habet vomitus potius simplices, quam varios, aluus medicamentis, aut clysteribus non respondet, & si quę excernuntur quasi bouina stercora, & aquæ supernatant, mobilis est aliquando colicus dolor; contra verò in nephritico vomites sunt varii, pituitosi, biliosi nonnumquam sunt supra vmbilicum, & ex iniectis clysteribus deiiciuntur fæces naturales, nec tamen subleuantur patientes, præter quam quod tenues emittunt vrinas, postea verò crassas, & sabulosas.

Quam difficultatem intuens *Valles.4.epid.* dixit: *Aliquando dolores renum, ac viarum vrinæ tam similes sunt doloribus intestinorum, vt primis diebus omninò discerni non possint, quod scilicet in vtroque contingat & vrinam & deiectionem cohiberi, & ęgrotum nauseare, & doloris species in eodem loco eadem sit.* Non discernuntur ergo vsque dum incipiant vrinæ, & deiectiones exire; tunc enim earum forma indicat renes, an intestina laborent; ex renibus enim mictu, ex intestinis deiectione reiiciuntur, cum ergo dolorem aut mox inuadentem comitatur, aut antecedit insigniter mutata vrinæ species facilè dignoscentur vel in ipsa prima inuasione, nam & timebuntur antequàm fiant, velut accidit Apemanto, & Fabro vide, & reliqua.

Leonardus Iacchinus cap.de dolore colico ponit signa distinguentia, nam colicus alium situm à renibus occupat, vel in aliam partem mutatur, & extenditur, in nephritico cruenta mingunt, &c. *Sennerto* dixit dolorem in intestinis esse pungitiuum, & intensiorem, in renibus grauatiuum, & remissiorem. deinde colitus dolor amplum spatium occupat, nephriticus angustum. Tertiò dolor colicus ductum intestini coli sequitur, nephriticus autem semper in eadem parte permanet, & qui calculo è renibus promoto accidit à supernis ad inferiora descendit versus pubem secundum ductum vreterum, & semper a dorso incipit, & ad posteriores potius partes circa spinam vergit. sicut colicus magis ad anteriores qui & in loco renibus altiore consistit. Quartò dolor colicus cibo assumpto intenditur, quia ventriculus repletus colum comprimit, nephriticus verò augetur cibo ad inferiora descendente intestinis renes prementibus. Quinto colicus dolor non in vno loco fixus est, sed vagabundus, nephriticus in uno loco stabilis.

Ego

Ego tamen dicerem ex omnibus hisce colicum dolorem distingui à nephritico, verum per vnum magis distingui crediderim, quia scilicet in nephritico adest stupor fæmoris eius, quod è regione est, vt in colico nequaquam, quod signum potuit *Hippocrat.* in renum calculo dicens: *In renem dolor grauis, pituitosa vomunt, cum autem implentur cibo, æruginosa, arenulæ rufæ subsident, & cruentum mingunt, stupor fæmoris eius quod è regione est:* quare si plurima ex his ad fuerint nephriticus erit dolor, at si nullũ ex his colicus erit affectus, quare cum noster æger nihil de vrina conqueratur, nullæ sint arenulæ, nullus stupor fæmoris, dicendum affectum quo præmitur colicum esse, ortum vt dixi à crudis, viscidisque humoribus intestinũ infarcientibus, qui quidem flatibus ac biliosis humoribus consociati solent grauissimum sit in nostro casu contingit dolorem efficere; qui quantum discriminis habeat, non est vt explicem, dolor enim huiusmodi cum vehemẽtissimus sit vires maximè dissoluit, quarum lapsus interitus est, vt putà cum vires vitam esse constet ex *Gal.* cæterum quia os non fætet, non febricitat, dolores non raro terminantur, sperandum est ægrum conualiturum; quamuis non raro soleat commutari in Ileum, indeque *Alex. Trall. lib. 9. cap. cit.* dixit: *Nam si in tantis affectibus temere medicamenta adhibere audeamus, maximorũ malorum, interdum etiam mortis auctores erimus.*

Pro curando ergò hoc affectu optimè asserit Saxonia accurrendũ esse caussæ, & symptomati, vel vt asserebat *Gal.* attendendum ad id quod magis vrget, neque alterum negligendum: idem *Saxonia* existimat in colico dolore aliquando necessaria purgantia valida, nam duo connectuntur, dolor, & stypticitas, vnde ne voluulus accedat, purgandum, cum in voluulo omnes etiam purgent, purgantia autem ait conuenire in materia frigida non autem calida, atque in hoc deceptum putauit *Fusium* qui ab vsu purgationum recessit, quia fortè legit *Pauli & Aetij* sententiam de materia calida, non frigida, ego tamen ab vsu fortiter purgantium abstinerem ab initio potissimum imp reparata materia, nam maior fit affluxus in partem affectam quare nunc quia sumus ab initio, in quo supponi potest materiam non esse adeò fixam, & inhærentem, vt opus impediat, mox à leniente clystere purgarem vtrumque ventrem vt etiam perhibet Mercatus, exhibitis quattuor vncijs mellis ros. sol. addita portiuncula aquæ cinnamomi; quod si hoc medicamentum pertimeamus, *Leonar. Iacch.* vtitur ab initio oleo amygd. dulcium epoto, dicitque esse egregium remedium non modo ad hanc obstructionem, sed ad laxandum corpora, & leuiter extenuandum, quod sanè oleum millies ego probaui, & perpetuo vtilissimum inueni: Sennertus in materia frigida qualis est nostra præter oleum amygdalarum dulcium addit oleum amyg. amararum, verum quod præ reliquis in hisce casibus commendatur, sunt clysteres, nam vt ait *Gal. 6. de loc. aff. 2. quin etiam cruciatus colici, quam nephritici multo magis lenientibus mitigantur clysteribus, atque interdum euenit vt frigido aliquo humore simul eiecto illico quiescant*: sic *Auic.* dicebat: *In colica educ. feces* poterunt ergo fieri clysteres ex decocto malu. altheę pariet; flor. chamom. anethi meli lothi sem. lini, anis. cumini fænup. addito ol. amygd. dulc. chamemeli, & laur. vel cum bened. laxat. & hierà, vel cum decocto, & melle despum. vel cum vrina pueri impubis, vel cum vino, & sapa, prout occasio dederit nobis ansam variandi: Nec interim anodina sunt omittenda, dolor enim hisce tolli solet, vt narcoticis, & caussam tollentibus, eaque tam per os quã

per

per fotus, sic *Senner.* laudat decoctum florum chamomillę, illudque ait esse præstantissimum anodinum, sicut anodinos fotus pariter probarem, nam vt ait *Hippoc. lib. de flat. Barefacto corpore à calore, fomentum spiritus inde exhalat, vt quies inde aliqua, & mitigatio contingat dolorum: Gal. 2. ad Glauc. cap. 5.* adhibet sacculos ex milio, sale calfacto, vel vni semine crudo; sed vt libere fatear satius est humida fomenta adhibere, nam hæc partem relaxandi cum habent, & dilatandi partes, nec non etiam reserandi obstructiones, atque hac fortè ratione vtriculis vtitur Senex. Post fotum non alienum est inungere dolentem partem; vnum adnotat Saxonia dignum, ne scil. pręsente copiosa materia valida attenuantia adhibeamus, vel intrinsecus, vel extrinsecus, quod est *Gal. consilium 12. meth.* 7. nam humorem attenuatum inflatum vertunt, sicque dolorem augendo, vterer ergo præsenti fotui: ℞. fol. malu. altheæ, pariet. an. m. i. florum chamomillæ anethi, melilothi an. p. i. sem. lini, anis; cuminis, fęnugr. contus an. vnc. 5. mis. bull. vt dixi. Pro vnctione autem vterer ol. amygd. dulc. chamom. anethi; sic quoque à multis multa laudantur, *Ioannes Michael Paschal.* laudat filum ex lixiuio cum cineribus coctum; alij laudant veruecis omentum in oleis ebullitum, Alij laudant balnea vel ex oleis, vel rebus appropriatis, *Gal.* laudat cucurbitulam vmbilico ad motam, aitq; esse velut incantamentum, *Mercatus* probat siccos fotus, cineres in vase testaceo ignito positos lanaque exceptos, & dolenti parti appositos, qui plura. Neque interim sunt omittenda materiam pręparantia, vt si dolor perseueret possit repurgari materia eundem faciens, ideo vterer sequentibus serapijs ℞. syr. de beton. mellis ros. simpl. an. drach. v. i. dec. pulegii, beton. calamenthi vnc. 3. mis. pro syr. quibus exhibitis non alienum erit exhibere sequentes bolos ℞. sp. hyære el. Diaphæn. an. drach. 2. Diacatthol. drach. v. i. sem. citri gr. 4. mis. & cum sacch. f. boli cap. cæterum circa hoc consilium sumendum in arena, nam prout morbus commonstrabitur, ita nobis occasionem præbebit dandi, vel non dandi, hæc propono in morbo tam diro, verum si mutetur, eius conditio aliter incedendum, quod tempus, & occasio commostrabunt. Neque ob id clysteres derelinquendi, qui in hisce doloribus sunt maximi vsus, vt qui materiam disponant, & vna materiam euacuare queant; quod si doloris acerbitas propagetur, aliquod narcoticũ addere non erit absonum; nam vt ait *Senner.* quamuis aliqua intemperies vel stupor inducatur, tamen melius est intemperiem ex narcoticis relictam longiori tempore curare, quam breui deiectis uiribus ægrum mori: Possunt etiã multi collaudari clysteres, verum inter cęteros laudatur clyster ex iure galli antiquissimi, vt *Saxonia* neque clysteribus solum ea admiscerem, sed per os exhiberem, tutius esse ratus dolorem vires eneruantem soluere, quam viribus dissolutis omnem spem perdere; multa enim in præcipiti periculo fiunt alias omittenda, quamobrem exhiberem phylonii rom. drach. 5. dissoluti cũ decocto chamomillæ vnc. 3. & syr. papaueris vnc. 1. vt vult Senner.

Sunt præter multa medicamenta quæ qualitate quadam occulta prodesse dicuntur, inter quæ sunt stercus lupi, ossa etiam quæ reperiunt in stercore lupi, parua quantitate sumpta idem os collo suspensum lupi intestina comesti, Radix Iusquiami ventri admota, ventriculus anseris assatus; Dragma vna & semis cornucer. tosti, vena vmbilici masculi infantis, Puluis virgæ cerui, Pes lupi collo suspensus, vt recitat *Michael. Paschalius*; *Galenus* laudat auem galeritam, seu alaudam, quæ apicem in capite gestat iniure elixam

Senner.

Senner. laudat lubricos terrestres, lysius quidam Medicus stercus gallinaceum vtiliter præbuit.

Ambrosius Pareus lib. 16. cap. 58. ait quod si perseueret obstructio, adeo vt fæces per os redundent; *Martianus Sanctus* suadet haurire cum sola aqua argenti viui libras tres pondere enim hydrargyri explicatur duplicatum, ac vinctum intestinum, deprimuntur ac detruduntur fæces, necanturque vermes, qui illi reduplicationi caussam præbuerunt, subdit *Pareus*: *Narrauit mihi Ioannes à Sancto Germano Pharmacopola fidelissimus vidisse se nobilem quendam qui cum nullis remediorum à doctis Medicis præscriptorum Machinis doloris colici acerbitate liberari posset, tandem Germani amici sui cuiusdam consilio, haustis olei amygd. dulc. sine igne extracti vnc. 3. cum vino albo & aquę parietaria mixtis, deinde deuorata glande plumbea argento viuo illita eademque mox ano reddita crucia: u colico planè fit liberatus.*

Hæc tamen mihi semper suspecta sunt habita, & non nisi in desperetis casibus adhibenda, quæ quamuis ego proposuerim, ostendere volui quot possint proponi in colico dolore remedia, cæterum quod nunc mihi videtur agendum est insistere in edomanda caussa leniens aliquod exhibendo, postmodum clysteres administrarem, & anodina proposita iniungerem, dolore autem his præsidijs non cessante adhiberem narcotica, vel euacuationem iterarem, hæc ergo habui dicenda pro recuperanda salute nobilissimi Equitis.

PRO PERILLVSTRI
Domina Victoria Gentili Ileo laborante.

CONSVLTATIO LXV.

VAllesius *4. epid. sect. 1. t. 19.* hæc habet aurea verba de intestinorum gracilium læsione loquens: *Vlcerata non curantur (vt aliquando quidem crassa) intemperata verò aut obstructa, pro dolore colico qui in crassis intestinis fit, voluulum vocatum afferre solent, morbum perniciosissimum, & à quo vix vllus euadit, cuius propria signa sunt dolor acutissimus supra vmbilicum, fastidium, & vomitus facum.* indeque dixerat *Alex. Trall. lib.* 10. non enim aliud est Ileos, quam colici affectus intensio, ac incrementum, experta est hunc morbum. *Mulier qua erat apud Tisamenum lib. 3. epid. sect. 2. Huic enim* (aiebat *Hippocrat.*, *uoluulosa difficulter concitabantur vomitus multi, potum continere non poterat, dolores circa hypocondria, & in ijs qua circa infernam ventriculi partem dolores, tormina continenter*; quæ quidem symptomata præfatus Valles. in comment. ait esse voluuli pathognomonica, vomitus nimirum multi, potum continere non posse, dolores, ac tormina continenter affligentia circa hypocondria, & infernam ventriculi partem, hoc est inter thoracem, & umbilicum: quæ quidem omnia symptomata cum omnia experiatur nobilissima nostra languens eandem voluulosam declarant, factam sanè ex præexistente colico dolore, eoque genito ex multorum olerum esu; olera namque ob incoctibilitatem facillimè in cruditates degenerant, quæ flatibus combinatæ dolorem vehementem inductum ac transitum impediendo, cibo, & fæcibus eadem per os euomere præstant; quod quidem impedimentum à firma obstructione nascitur ipsius intestini, *est enim Ileus* ut uolebat *Duretus vtriusque intestini sursum reuolutio, qua nec aluus, nec spiritus infra transmits.*

mittitur, ſed contrà cibus, & ſtercus, cum inueterauerit per os redditur, eius reuolutionis in ileo cauſſa eſt, tum alterutrius inteſtini, vel vtriuſque inflammatio; tum craſſioris præſertim firmiter fixa oppilatio, ac fixæ firmiter oppilationis in craſſiore doctrina eſt illa præceptoris. Hic ſanè morbus, inquit, enaſcitur quando peruſti ſtercoris copia eſt, atque ſubſiſtit in inteſtino, ac pituita inuoluitur, eorumque duorum cumulata congerie clauſum inteſtinum circumtenditur, & intumeſcit. intumeſcit quidem ut puto in noſtra languente inteſtinum non propter ſyſtrophicam inflammationem, non propter ſcyrrhum, aut abſceſſum, quæ legitimum faciunt Ileum; ſed propter fæcum ſiccitatem ab hepate feruidiori communicatam, earundemque crudis humoribus conuolutarum; ſi namque inflammatio adeſſet quæ legitimum Ileum facit, vtique febris adeſſet, ſitis maior, æſtus, & reliqua quæ in muliere voluuloſa apparuerunt, remanet ergo dicendum præſentem voluulum ab obſtructione vt dixi oriri ex fæcibus induratis, multaque pituita obuolutis; hæc enim obſtructio eſt in cauſſa quemadmodum ait *Iacotius in Coac.* vt facultas expultrix noxam retenti excrementi ſentiens contractione vehementi aggrediatur excluſionem, & primum quidem ſeruato conſueto mòtu, & ordine inſtituto à ſuperiore parte inchoat contractionem, vbi nihil promouere poteſt propter coarctationem ductuum *περισαγικῦ δυναμτι* ordinem inuertit, atque multa vi ſurſum excrementa, bilemque cohibitam regerit. ita ergo augetur exitus inferioris anguſtia, vt vomitione tum alimenta, tum bilis, tum etiam ſtercus reddantur, poſt diù cruciantem nauſeam, & cardiogmon, *Duretus loco cit.* dixit: *Sed alia quoque vomitio eſt ſtercoris, ac fæcis, quam pace Galeni dixerim, venire arbitror à contumaci deſcripta oppilatione, craſſioris inteſtini, cuius reuolutio indè fit ſurſum, eorumque quæ infrà continentur eodem tranſmiſſio cumulata congerie, quando vt iam diximus infrà tranſmitti non poſſunt,* Ex quibus Dureti verbis videtur craſſius inteſtinum affectum, non tenuius, quod contra communem opinionem profertur.

Cæterum neque hoc eſt contrà *Gal.* is enim *3. epid.* 2 ſcribit interdum tenuia inteſtina, interdum craſſa affici; hæc ſunt eius verba: *Exiſtente omni ileo periculoſo qui in ſublimibus conſiſtunt inteſtinis, his qui craſſa occupant deteriores ſunt, quoniam facilius & citius tum hepar, tum lienem in ſympathiam adducunt:* ſubiungit *Gal. Qui ſtercus ſi vomant clariſſimum ſit ſignum tibi eſſe ſubtilia inteſtina affecta*: ſubdit *Salius lib. de morb partic.* id intelligendum eſſe ita, ut ſenſus ſit in omni Ileo vel primario, vel ſecundario ea debere eſſe affecta, ſicque in *Gal.* contradictionem ſoluit. ideoque *Petrus Salius* exiſtimat in Ileo etiam craſſa inteſtina eſſe affecta, quod potiſſimum probat, cum viderit Iliacos qui laborantes hoc morbo propter fæces obſtruentes, vltra vigeſimam ſecundam diem fæces vomuerunt, ſignum non eſſe in tenuibus quia ea non ſunt tanti ſtercoris capacia, vt craſſa. ſic *Fernellius* narrat hiſtoriam Iliaci ob fæcum retentionem, cui diſſecto inuentum eſt colon ipſum, non inteſtina tenuia hac materia oppletum. *Pereda in adnotat. Paſchalii* ait ſed falſo *Gal.* nomine inteſtini craſſioris ſenſiſſe craſſiorem partem Ilienetri.

Neque enim cenſeo ob ſimplicem hanc obſtructionem fieri voluulum, ſed aliquando vt vult Mercatus, ob vitium facultatis trahentis, eius nimirum, quæ in ventriculo, & inteſtinis alimenta allicit, dum euerſo agendi ordine procedit, videlicet ab infimo inteſtino facto tractionis exordio, haud ſecus quam in vomitu contingit, in quo villi oblongi æſophagi incipiunt trahere ab infima parte dum vomitum voment, ſicut a ſuprema dum uorant,

ſeu deglutitionem ex ſequuntur; ſic certè contingit in voluulo, nam experieris clyſmate iniecto, quod uomendo regerit natura, nullo alio medio, quam facultate initiante motum tractionis a recto inteſtino ſurſum, ac rurſus meſeraicis ſugentibus, & trahentibus ad uentrem uſque ſic *Matthæus de Gradibus in praxi cap. de vomitu vt eſt apud Sennert. lib. 3 par. 2. cap. 1. ſect. 2.* refert quandam puellam duodecim annorum Ileo laborantem non ſolum nihil per aluum reddidiſſe, ſed & fæces, & poſtea etiam clyſteres iniectos non multo poſt vomitu reieciſſe; immò aliquid de eadem puella difficilius enarrat, quod ſcilicet cum ſuppoſitorium oblongum fuiſſet immiſſum, per inteſtina ad ſtomachum aſcendiſſe, & vomitu fuiſſe reiectum, poſteà cum aliud ſuppoſitorium filo ad coxam alligaretur, ſtatim rupto filo aſcendit ſurſum ad ſtomachum, & vomitu fuit reiectum, & cum tertio ſuppoſitorium aliud quatuor filis fortibus alligaretur, & illud paulò poſt ruptis filis per os cum parte filorum reiectum fuit.

Tandem cum Medicus iuberet vt aliud ſuppoſitorium immitteret, tanta violentia ſurſum attractum fuit, vt mater ne ſurſum raperetur, illud extrahere cogeretur, curata tamen fuit iſta puella iuſculis pinguibus quæ virtutem attractricem laxant exhibitis. ſic ex relatione eiuſdem *Sennert. Iacobus Oethæus* obſeruauit vxorem cuiuſdam Fabri Ferrarii Toldani puerperam partem candelæ Sebaceæ quam loco ſuppoſitorij ano immiſerat poſtera die vomitu reieciſſe, *quæ omnia ſatis teſtantur* ait *Sennert. in Ileo viam inteſtinorum non ita occluſſam eſſe, vt vulgò ſtatuitur, ſed potius motum facultatis expultricis in inteſtinis inuerſum*; cauſſas autem cur motus ille inteſtinorum ità inuertatur tres annumerat auctor, primò inteſtinorum inflammationem, ſecundò inteſtinorum exulcerationem, humoresque acres, & vellicantes, quę irritando cauſſa ſunt vt natura ſuum motum deprauet.

Tertiò fæcum retentionem, quæ vel diſtendendo, ſeu vellicando, & mordendo naturam ad hanc præpoſteram excretionem irritant; vt in noſtro caſu contingere poteſt; multis enim ab hinc diebus ſtyptica manſit adeò vt fæces ſint retentæ, quæ obuolutæ cruditatibus obſtructionem hanc genuerunt, ex qua *ileos*, qui dum in inteſtinis tenuibus magis conſiſtit cibi faſtidium, nauſeam, & vomitum parit ob viciniam, & ſynthimotiam, quam tenent cum ventriculo, & hoc ſignum ait *Petrus Salius lib. de morb. particul.* facere maximè ad diagnoſim inteſtini affecti, nam craſſis oblæſis inteſtinis vomitus non ita aſſidui inſpectantur, cum craſſa inteſtina magis à ventriculo diſtent, longiorique ductu aſſumpta ad locum affectum permeare, & ab eo remeare debeant.

Secus autem contingit affectis inteſtinis tenuibus; tum enim vomitus crebriores viſuntur, quoniam ab his facillimè ventriculus in conſenſum traducitur; citòque materia ad locum affectum trahitur; quid mirum ergo ſi obſtructis ita inteſtinis (quamuis hanc totalem obſtructionem irrideat *Sennert.* quia ſi illa adeſſet, quomodo fæces, & ſtercora quæ in craſſis cumulantur per ea tranſire, & vomitu reijci poſſunt. Et quomodo clyſteres, & glandes vomitu reijci poſſent?) nihil per aluum deijciatur, (quamuis ego dicerim adeſſe aliquam obſtructionem, ſed magis motum quendam conuulſioni ſimilem, nam cum inteſtina ſint membranacea, ac neruea vt vult *Galen. in meth & And. Laurent.* aſſerit *lib. 6. cap. 16.* dum à materia acri ſtimulantur fæces enim etiam ex corruptione acredinem ſumunt, contracta, & facta inteſtinorum coaleſcen.

ſcentia exprimuntur fæces,& prohibetur earundem exitus ; Vnde ex continua contractione,continuus eſt dolor,& continua fit fęcum vel aliarum materierum eiectio ; ſicque nil miror ſi aliquando aliquid deijciatur, vt retulit *Hippocrat.* de muliere apud Tiſamenum , nam laxatis inteſtinis apertæ ſunt quo quo pacto viæ,& indè aliquid deiectum atque hinc noſcere licet obſtructiones non eſſe totales,quamuis id alias in meis epiſtolis expreſſerim; *Petrus Salius* tamen dicit non eſſe abſordum in initiato Ileo poſſe aliquid deſcendere,ſecus autem in confermato.

Doctiſs. *Saxonia rap. de Ileo* dixit hanc fæcum deiectionem impeditam pendere , vel è facultate læſa , vel impedita , quæ quidem facultas vel eſt expultrix,vel retentrix ; Expultricem ait lædi ex intemperie vſque adeò frigida, vt iam ſenſus ſtimuli ſit ſublatus ; læditur etiam , vbi vſque adeò laxa ſunt inteſtina & humida, vt conſtringi nequeant, tum autem non conſtringantur fæces non comprimuntur,atque ideò *Galen. 5. in 6. epid.* 28 qui agnouit inteſtina ideò expellere, quia conſtringuntur, loco facultatis expultricis meminit facultatis conſtrictoriæ; Impedimentum facultatis ait *Saxon.* fieri aut compreſſis inteſtinis, vel conſtipatis, vel obſtructis , vel coaleſcentibus , vel ſubſidentibus.

Quicquid tamen ſit in noſtro caſu obſtructio à fæcibus facta , nec non etiam & ab humore lento cauſſa eſt Ilei, vt & motus inuerſus ; vnde meritò aiebat Iacot. *Ileus eſt* τῆς διεξώσυ τῶν τῆς τροφῆς περιττωμάτων ἐπίσχεσις *retentio excrementorum cibi quæ per aluum excludi debent, præcluſa via inferiore , ſæpiſſime quidem ab inflammatione modo tenuia, & ſuperiora inteſtina , modo craſſa ipſa , aut craſſis maximè vicina occupante , interdum etiam ab abſceſſu, aut à duro ſtercore , aut ruptura peritonæi, rariſſimè autem à multitudine obſtruente crudorum , & craſſorum humorum cum vehementi refrigeratione , cui febris remedio eſt, & retenta vrinæ;* Quænam ergo inteſtina in nobiliſſima noſtra languente ſint affecta eſt etiam conſideratione dignum; Duretus in Coacis dicebat: *Si pars ſuperior affecta eſt cibus, ſi autem inferior ſtercus per os redditur;* melius id explanauit aiens: *Nam ſi ſtatim ab initio ægri vomant, tenuia inteſtina haud dubiè afficiuntur , ſi verò poſteà vomitiones ſuperueniant , magnitudo affectionis declaratur , vomunt autem primum pituitoſa, poſtea biliofa tandem ſtercus , vt ſcribitur 3. de morb.* quare cum non ſtatim vomitus acceſſerit,ſed poſt aliquod interuallum , dicendum potius craſſa inteſtina lædi,quam aliter : eòque magis quia hic ſtercoris vomitus ſerò quidem aduentauit,ideòque vt ait *Senner.* minus periculoſus eſt affectus,hæc ſunt eius verba.

Iliacus dolor magis periculoſus eſt ſi omnia inteſtina afficiantur, minus ſi ſecundum partem,& adhuc minus ſi ſecundum partem inferiorem,à ventriculo,& hepate remotiorem: Mercatus tamen ait affectum hunc grauiorem eſſe in craſſioribus fæcum ratione;quam opinionem deſumpſit à *Galen.* ſuperius adnorato , quia craſſa inteſtina facillimè in conſenſum trahunt tum hepar,tum lienem ; adde quia vt ait *Mercatus* affectis craſſioribus inteſtinis citius, & validius omnibus excrementis via præcludatur ; quicquid tamen ſit quamuis in noſtra languente craſsa dixerim inteſtina eſſe affecta, non ob id caſum deſperarem , febris namque non eſt multa,dolores quamuis acerbiſſimi,non ob id tamen nonnunquam non leuantur, ἀνορεξία non eſt adeò magna vt nil comedat,& ſi non raro malè olentia euomat,ea tamen non ſemper euomit; quod ad ſperandum mihi magis impellunt ſunt quinque illi gradus

præsagij deterrimi ab *Auic. & Blasio 2. contin.* adducti. Primus, & summè malus est eorum qui stercus euomunt, secundus est sudor à toto emanans fætidus, tertius cum spiritus emittitur per respirationem fætidus, quartus cum ructus etiam fætidus est, & quintus dum is qui per aluum excernitur crepitus fætidissimus exit. vnde cum nullus ex his gradibus in nostra languente reperiatur, sed solum stercoris aliquando vomitus, quamuis eandem in maximo periculo versari credam, non ob id tamen desperationis limites attingere censerem; quomodocunque tamen sit citissima curatio adhibenda, nam non rarò vt ait *Auenr.* sicut fiunt monstra in natura ita & in Arte.

Cum ergo dixerimus hic tria adesse dolorem nempè facultatis expultricis motum inuersum, & obstructionem intestinorum crassorum vnde fæces non prodeunt, ideo danda opera est vt fæces expellantur, vt motus inuersus tollatur, & restituatur naturalis, & tandem dolor mitigetur; Pro fæcum emollitione emollientia medicamenta darem per vtrumque ventrem vt perhibét nonulli, ideoque *Mercatus loc. cit.* cauendum esse ait à trahentibus seu eligentibus pharmacis ne plus humoris aut excrementi trahatur ad affectam partẽ; quod reijcit *Septall. lib. 7. suarum animaduersus 71.* dicens quod si quæ materia à validis medicamentis trahatur, etiam educatur, dummodo non adsit inflammatio, verum ego à maximis pharmacis, & seligentibus abstinerem, siquidem pro euacuatione maiorem compactionem moliemur, ideoque à consilio *Mercati* non recederem, qui tertio quoque die ante cænam sex aut septẽ dragmas exhibet pulpæ cassiæ fistulæ, vel summo mane, & mox à sumptione exhibet ius pulli; cæterum miror quomodo adeò doctus vir tertium expectet diem pro dando hoc medicamento, cum sciamus non raro eadem dieperimere, ita vt vel nulla expectata inducia sit multa tentanda; verum loquitur de Ileo minus periculoso, & à retentione stercoris facto, qui dare solet inducias; sic quoque idem *Mercatus* existimat maximè vtile exhibere ol. amygd. dulc. sesaminum, de semine lini, habet enim oleum virtutem maximam reddendi aluum lubricam, nec non etiam & emolliendi iam induratas fæces, & quamuis præfatus *Septall.* oleum vituperet, vbi adest materiæ viscíditas, quia maior inde viscíditas comparatur, tamen quoniam maius emolumentũ est ex emollitione fæcum quàm damnum ex pituitę viscíditate, propterea dandum cum admixtione vel spiritus vitrioli, vel succo limonum, sic enim relaxatis intestinis & humectatis tolletur motus inuersus, & forsan fæces euacuabuntur; *Sennertus* laudat iura etiam pinguia, sed quod maximè iuuare poterit erunt clysteres qui poterunt vario modo parari, modo ex doctis malu. altheæ, pariet; melilothi, rad. liliorum, violis fęnic. & similibus addito oleo communi, & butyro, quod si hic non valeat, poterunt etiam fieri ex hydreleo nec non ex iure pulli cum butyro, aut oleo sesamino clysteres quos ego etiam vtiles probaui sunt ex melle despumato, & decocto emolliente, vel ex eodem decocto additis cassiæ tr. & benedictæ laxat. an. vnc. 5. ol. viol. vnc. 1. ſ. sacch. rub. & mell. ros. sol. an. vnc. 2. vitell. ouor. num. 2. possem quoque inumeros clysteres iniungere, sed incassum cum morbus singula quaque hora subministret occasionem varia præscribendi, interim extrinsecus foribus, inunctionibus, emplastris & similibus incedendum, *Saxonia* maximè laudat bubulam vessicam oleo, & decocto emolliente semiplenam, vel filum ex cineribus & lixiuio coctum adhiberem, sic quoque reiterarem clysteres acroires, & inunctiones magis emollientes, *Mercatus* laudat oleum in quo scibue-

ferbuerit radix altheæ, ſemen lini, pſyllij, & cydon. quod tamen maximum eſt remedium balneum eſt vel olei, vel aquæ dulcis vbi ebullierint res emollientes, & à balnei egreſſu denuò ad clyſmata acriora deuenirem, quibus remedijs non cedente malo vel dolore narcoticis vti haud paueſcerem, ſed lenibus vt ſyr. de papau aqua lactucæ, & morbo adhuc vigente philonio rom. ſatius eſt enim cui curationem adhibeamus habere, quam deſperatam illi ſalutem facere.

Eſt præter quoddam remedium ab *Hippocr. lib. 3. de morbis* præſcriptum, quod ab *Amato Luſitano* probatum refertur, eſtque vt accipiatur follis qui intrà ſedem immiſſus adeo inflentur inteſtina, vt à ſtercore diſparentur, quo facto ſtatim imponendum eſſe iubet clyſterem ad diſſoluendas & excludendas fæces, ſimulque ſpongia ſedem obturandam, & ęgrum in balneo locandum, hoc tamen remedium vt maximum vbi magis deſperata eſt ſalus adhiberem; nam quos ratio non reſtituit, temeritas adiuuat. Præter idem *Hippoc. 2. epid. ſect. 6.* voluuli curationem adducens ait: In voluulo tenui frigidum vinum, multum, merum ſecundum rationem dare, vſque dum ſomnus ſit, aut crurum dolor fiat, ſoluit autem & febris, & dyſſenteria ſine dolore: ſubdit *Valleſ. in comm. Pulcherrimam & mihi iam experimento probatam docet curationem voluuli: non omnis, neq; eius qui ab inflammatione fit, & quem acuta febris comitatur) ſed eius qui à flatu craſſo diſtendente, aut faces duras ad inteſtina gracilia afferente, aut à ſucco frigido impacto; Talem enim nihil poteſt ſoluere melius quam vinum merum. coquit enim cruda, extenuat craſſa, diſſipat flatus, digerit, deducitque per corpus quare aut coquendo, diſſipandoque cauſſam, aut in aliam partem trudendo liberat ab hoc malo*, cæterum ego ab his medicamentis cauerem, cum poſſint non raro in corpore inflammationi diſpoſito quale eſt noſtrum inflammationem afferre; hoc tamen verum quod à vino non abſtinerem proportione mediocriter limphato, de victu non loquor, cum videam illum optimè inſtitutum.

PRO PERILLVSTRI DOMINO Camillo Alferio Patritio Aquilano Diarrhea laborante.

CONSVLTATIO LXVI.

MOrbi non derepente hominibus fiunt, ſed paulatim collecti, aceruatim erumpunt; dixit *Hippocrat.* vt proinde haud ſit mirandum nobiliſſimum noſtrum languentem nulla (vt putat) data cauſſa in morbum incidat, nam quamuis non adinueniat procatarticam cauſſam proximam, remotam tamen multiplicem indagabit, atque hac ratione *lib. de alimento* dixit idem *Hipp. tex. 3. ſucci corrumpentes & totum, & partem, & forinſecus, ac intrinſecus, ſpontanei, & non ſpontanei, nobis quidem ſpontanei, cauſſa verò non ſpontanei, rurſus cauſſa aliæ manifeſta, alia obſcura, &c.* nam quamuis nobis obſcura ſit cauſſa, morbo tamen non eſt obſcura: quicquid tamen ſit ſupponi poteſt Iuuenem nullam in viuendi norma ordinem ſeruaſſe, ac propterea anſam dediſſe tum facultati concoctrici oppreſſæ à prauis cibis, eos in cruditates commutare, tum cibis ob eorum incoctibilitatem in excrementa conuerti, omnia namque cibaria ſine

vllo

vllo delectu ingessit, & quod deterius est nulla habita temporis ratione: vnde non immeritò dixit Auic. *Et nihil quidem deterius est, quam diuersa nutrientia simul adiungere, & post illud in congestione tempus prolongare, cum enim postremum nutriens aduenit, primum iam incæpit digeri, nutrientis ergo partes in digerendo non similantur*: indèque haud mirandum si multa facta crudorum humorum congerie fuerit genita Diarrhæa; atque hoc expressit Arist. quando dixit: *Vt igitur in aluo Diarrhæa ex cruditate est; sic in venis a iæ hemorroides, ipsaque in primis menstruorum*: eæ namque cruditates quia multæ cum à facultate imbecilla euinci haudquaquam possint, eandem irritando Diarrhæam mouent, neque solæ cruditates eandem promouent, sed & acriores humores, vel à ventriculo morsum sentiente attracti, vel ab alia parte, & potissimum hepate transmissi, *vbi enim natura* (dixit *Iacot.*) *membrorum euincere nequit totam materiam accedentem, nec permixta excrementa sanguini emendat, permittit manere in vasis abundantem, ex hepate cacochymiam*: quæ cum fuerit aucta ad intestina propulsa Diarrhæam generat, particularum namque altera ad alteram quod superfluum est a se pellit, indèque haud miror si in dies congesta materia eadem in dies etiam intestinis consignetur, quę varia quidem est prout varias habet partes ob inæqualem dyscrasiam producentes, siquidem pituita grauitate, & quantitate irritat intestina, bilis autem qualitate; sicque natura insurgit ad expellendum, quod partes nequeunt vel ob copiam, vel ob qualitatem sustinere, sicque illud excrementum & quantum, & quale segregant, vt ob id dixerit *Mart.* in antiparalogismo humorum separationem tripliciter fieri, vel ob multitudinem, vel ob motum, vel ob alterationem, multitudo facta est à membris coctionibus inseruientibus, vtputa ventriculo, Iecore, & alijs, motus caussatur ab expultrice irritata, & valida, vel a retentrice imbecilli, illa expellente, hac retinere nequeunte, vnde motus.

Alteratio tandem fit quia materia mouetur, vel quia multa, vel quia conclusa, vnde *Theophrastus* quattuor alterationis caussas assignabat, motum nempè, constrictionem, antiparistasim, & alimenti additionem: ex motu enim humores incalescunt, qui quocunque ferantur morsum impartiendo facultates tum retentrices tùm expultrices ad sui expulsionem irritant, sicque & affectum vnde veniunt indicant, & quò vadunt; vnde veniunt, intemperiem supponendo, quo vadunt & dolorem, & morsum inferendo; ex quibus omnibus febris succrescit, vt bene asserit *Nicolaus Piso*, sicut contigit in nostro ægrotante, dolor enim, & humorum motus sunt maximè idonei febres accendere, & viscere excalfacere, quare inæqualis viscerum intemperies huic Diarrheæ ansam dedisse videtur, quæ varia excrementa producens, dum eadem ad intestina protrudit, excretiones variegatas gignit non meras, ortum & suo sero, & alijs permixtæ, ideòque non mirum si vsque adhuc Dysenteriam non genuerint, quia non ea acredine sunt præditæ, quam Dyssenteria requirit, verum hic occurrit dubium dissoluendum, qui fieri possit vt non rarò stantibus etiam mordacissimis humoribus & fluentibus in Diarrhæa per intestina, nihilominus nulla succedat Dyssenteria, *Ludouicus Mercatus* ad hoc dubium respondet solam humorum acrimoniam, & mordacitatem ad Dyssenteriam gignendam non sat esse, sed requiri uisciditatem, & lentorem, ob quem intestinis adhæreant, eaque continuo rodant, hæc tamen responsio nec mihi, nec *Sennerto* potest arridere, nam in biliosis humoribus, & alijs mordacissimis non reperitur nonnunquam ille lentor, & tamen Dyssenteria producitur, quare

hit Senner. humores Dyſſenteriam producentes præter acredinem requirere quandam occultam qualitatem, ad quam velle recurrere vbi eſt maior ratio eſt cum *Scaligero* recurrere ad Aſylum pigritici, vnde dicerem id contingere, vel quia inteſtinis non obfirmatur, vel quia inteſtina ſunt craſſiora, quam poſſint ab acri humore vellicari, vel quia non ſunt mera, ſed ſero aliquo combinata, vel quia aliquo humore crudo conſociantur.

Quicquid tamen ſit antequam huiuſmodi Diarrhæa in Dyſſenteriam commigret, medendum, Facilius eſt enim imminentium, quam præſentium depulſionem facere vt dixerat *Senex in epid.* cumque dixerimus adeſſe inæqualem intemperiem, materierum copiam, earundem motum, & dolorem, ideò dolor ſedandus, motus corrigendus, & proſternendus humorum copia euacuanda, & intemperies tollenda, & alteranda; cæterum quia vt ait *Senn. lib. 3. par. 2. ſect. 2. ca. 6.* alteratio fieri nequit niſi humor prius tollatur, primò ab euacuatione inchoandum, & quidem maturè, ne bilis ſua acrimonia Dyſſenteriam producat, indeque aiebat *Mercatus: depoſita naturam grauante plenitudine, non irritabitur deinceps amplius, nec excernet.* Quamobrem deponenda eſt copia, quæ dolores facit ſua acredine, anorexiam copiam, ſitim, qualitate calida, cumque diximus eſſe crudos humores, & bilioſos, ideo præparata materia cum ſyr. granat. roſ. ſimp. & rhodomelle darem ſyr. roſ. ſol. vnc. 2. ſ. pulpæ tamarind. drach. 2. rhab. el. agar. infuſi & expreſſi in aq. plantag. an. drac. 5. myuę cydon. vnc. 1. aq portul. parum, miſ. f. pot. cap. non enim adſtringentibus ab initio eſt incedendum, ſic Septall. lib. 7. num. 88. cauendum eſſe dixit ab abſterſoriis, vt melle, aut ſyr. roſ. ſimpl. aut ſolut. cum ſero lactis, aut manna, cum enim aliquando bene operante natura id fiat, non erit aut irritanda, aut promouenda, ſed totum negotium Naturæ erit relinquendum: ſin verò mala qualitate irritata etiam Natura id præſtiterit non etiam erit adiuuanda, ne calcaribus naturæ currenti additis præcipites in mortem ægros agamus, ſpectatores igitur potius huius motus naturæ aliquamdiù erimus, & morbi, morbificæque cauſſæ potiſſimum rationem habebimus, quod ſi naturam hiſcere, aut ſuccumbere videbimus, neque materiam poſſe pro ratione euacuare irritari tamen partes, ſæpiusque ad excretionem ferè inaniter prouocari, tentiginem in ano, & inane deſiderium egerendi ſubeſſe, tunc manus adiutrices porrigere conueniet, atque abſtergentibus vti, quin aliquando ſoluentibus blandioribus vt manna, & ſyruppo, & melle roſ. ſol. vt quod pluribus egeſtionibus cum dolore, & Naturæ labore euacuari tentatur, breuiori tempore, & minori moleſtia educi poſſit: qua ratione *Sennertus ca. de Diarrhæa* dixit non ſtatim fluxum eſſe ſiſtendum, ſed primum ventriculum, & inteſtina ab humore vitioſo expurganda, ſed lenioribus medicamentis, ne aliundè attracta materia fluxus augeatur: ſic *Alex. Trallianus* cap. de rheumatiſmo, ſeù de profluxione ventris dixit non eſſe adſtrictione vtendum; *nam ſi quis ventrem conſtringere volet, magnum excitabit ægritudinem,* ſubdit: *Vidimus enim ventrem initio affectum ad quartum, quintumue diem profluxiſſe & poſteà fluorem, aut per ſe, aut ope Medici ſubſtitiſſe, vndè ægrum magnum periculum inciderunt;* ſubdit adhuc inferius: *Quare initio ea quę corporis commodo, atque utiliter excernuntur, minimè reprimere conuenit, ne materia ſurſum educta humorum ſupradictos affectus generet, ſed ad ſtatum vſque contemperari cibis debent, vbi vero diutius iam profluuium perſeuerarit, non modò ſuperflua euacuans, ſed etiam habitum colliquans, viresque contumens tunc ſanè circumſiſtere medicamentis expedit:* quod deſumpſit à *Galen.* qui 3. *aphoriſ. 2.* dixit: *In omni*

omni euacuatione ad vires ægroti oportet attendere, & donec tolerant, nec laborant *attendendum est humorem exsuperantem educere, vbi vero dissoluuntur vires, etiamsi restent aliquæ superfluitates, cauere oportet earum euacuationem*: ego tamen viderem Naturam quomodo incedat, & siquidem ea cum conferentia, & tolerantia procedat, naturę nec negotium committerem, si autem diminutè operetur, & maximam, vberrimamque humorum copiam adesse cernemus tunc sanè Naturæ defectum arte supplere conuenit: hocque fortè voluit *Gal.* cum in com. aphoris. dixit: *Cum natura mouet, nullo est opus medicamento, cum vero mediocrius ac imbecillius agit, tunc oportet ad id quod deficit supplere, natura enim expellente, medicamento verò attrahente recta fit euacuatio*: sed si cernamus naturam expellere, sed maximo cum virium dispendio, tunc sanè adstringere conueniet, & roborare: quod cum non contingat in nobiliss. nostro languente, potius euacuandum, quam aliter, sunt enim multi iam dies, dum euacuatio procedit, & tamen æger non degrauatur, idque non aliundè contingit quam ob nimiam copiam, proindè vterer pręscripto medicamento, idque non semel, sed pluries, leni tamen medicamento, melior enim est ex *Auic.* multitudo numeri, quod sumpserat ab *Hippoc.* asseuerante, *Plurimum atque repente euacuare periculosum*, & alias dixerat: *melius est infra subsistere*. Quod si vomitus sit spontaneus, non alienum erit vomitorium aliquod iniungere.

Præstita euacuatione ad intemperies eneruandas, & humorum motum prosternendum deuenirem, sic enim pariter dolor sedaretur: Pro intemperiebus ventriculi & Iecoris ac pro temperanda bile non inutile existimarim alterantia exhibere ex syr. de cichor. de indiu. de succo acetosæ, cichorium enim reuellit ad vias vrinæ, quod maximè probandum; poterit ergo sequens syr. præscribi à *Senner.* commendatus ℞. rad. acetosę, fragariæ, cichor. an. vnc. 3. endiu. m. i. sem. endiu. drach. 1. portul. drach. 5. passul. maiorum exacinat. drach. v. i. adderem ego beton. parum ventriculi ratione coquantur in dec. hord. colaturæ ℞. lib. 1. syr. de cichor. acetosę an. vnc. 2. misce fiat pot. pro quattuor dosibus vel ℞. aq. endiu. cichor. plantag. an. vnc. 1. syr. endiu. simpl. portul. acetosæ an. vnc. 5. mis. pro syr. cap. quod si vires magis debilitentur, commendarem magis iura alterata, hæc enim cum sint medicamentum in alimento, habent hoc vt nutriant, vires roborent, refrigerent, & aperiant, sumerem ergo ius in quo bullierint plantag. acetosæ, portul. endiu. poligoni, cichor. cum rad. graminis, fragariæ an. p. i. deinde facta colatura, eiusdem iuris darem de mane calidi vnc. 4. superinfundendo syr. granat. de s. acetosæ, & de cichor an. vnc. 5.

Quod sine per hæc quidem fluxus tollatur, ad alia deueniendum, sed primo videndum an ad hepar euentilandum possit aliqua sanguinis missio conuenire: non enim ignoro *Hippocrat.* dictum in acut quod vbi sanguis mittendus solidam aluum facere oportet; tamen quando Diarrhæa pendet a Iecoris calore vt vult *Mercatus* sit ab humore acri, & est cum febre potest sanguinis missio conuenire, ideo post primam præstitam euacuationem sanguinem mitterem ad vnc. tres, vel quattuor ad summum, sic cernimus *Hipp. 7. Epid. in hist. onesianactis* eidem misisse sanguinem, quamuis multum deijceret, hæc sunt eius verba: *Aliquando incidere sibi in hypocondria calorem dicebat, & oculorum splendores sequi, & alui deiectio multa, & sæpe, & similis hyeme fiebat, venæ sectio facta est, hellebori, latis potiones bouini, prius autem Asininum contulit, & deiectiones sedauit*: subdit: *Valles. in comm. Quapropter oportet singulorum auxiliorum considerare*

rare

rare vires, & adhibitis distinctionibus, dicere in quibus ita laborantibus fieri debeant, aut secus illud vnum dicam generatim Hip & alios qui in magno pretio fuerunt Medicos, indicationem caussæ sequi consueuisse, multò audacius quam Vulgares Medicos, qui plerumque præsentibus symptomatis territi, illisque occurrentes morbos plerosque producunt, & vix nisi leuissimos persanant: velut nuuc Vulgaris missionem sanguinis interdiceret, timens euacuationum multitudinem, & expurgationes caueret, ne excrementa vndique traherentur in ventrem fluxione alioqui laborantem: in nostro tamen langnente lubenter sanguinem mittere, sed in pauca quantitate præstita tamen purgatione, nec in venas rapiantur materiæ crudæ, & biliosæ.

Quinimo si hisce omnibus præstitis præsidijs ad huc morbus subsistat, clysteribus incedendum est ex lacte Kalibeato, ex iure veruecis cum sacch. rub & vitellis ouorum, & tam intrinsecus, quam extrinsecus roborantibus, & adstringentibus agendum est; vt ℞. syr. de ribe, myuæ cydon. an. vnc. 1. corall. rub. prop. drach. 5. m. f. cap. vel sequens opiata erit optima: ℞. conf. ros. vet. de corn. an. vnc. 5. pul. corall. rub. prop. drach. 5. cor. cer. vs. terræ sigill. an. scr. 1. syr. de granatis q. v. vt f. opiata cap. sic quoque ad prosternendum humorem iam motum, & sedandum dolorem darem conf. Hyacinthi, theriacæ rec. an. drach. 5. conf. ros. vet. drach. 2. mis. cap. per horam ante cibum.

Quoad medicamentà extrinseca ab initio ob metum adstrictionis nil aliud adhiberem præter ol. amygd. dulc. ros. & de absynthio; ac postmodum præstitis euacuationibus deuenire poterimus ad ol. cydon. mastic. myrthinum, sic quoque emplastrum de crusta panis, Diaphænicum, & similia optima erunt; verum impossibile est nunc præscribere quæ agenda veniunt, nam instabilia sunt quæ in humidis fiunt: De victu nihil dicam, cum sciem eundem esse optimè institutum.

PRO ILLVSTRISSIMA ET EXCELLENTISSIMA DOMINA *Asserici Ducissa Dyssenteria laborante.*

CONSVLTATIO LXVII.

Bilis in aluum perennem afluxum ab hepate prouenire dixerat *Duretus* doctiss. in Coac. vt propt. haud mirandum veniat Excellentiss. Dominam hepate à natura feruidiori donato, apto bilis generationem perennare, eandemque ad aluum transmittere & Dyssenteriam gignere, eorum enim quæ aluinam faciunt dyssenteriã exulcerando triplex est omne rheuma dixit idem *Duretus* ibidẽ: ὡρμώμενον σωισάμενον idest concitatum, atque consistens, est autem bilis flaua, bilis atra, ac pituita putris, & salsa; indeque Iacotius quasi hoc confirmans dixit Dyssenteriam constare ex fluxione, motu, & putredine humoris mordacis, frequentissimè quidem bilis flauæ, aut salsæ, pituitæ, interdum etiam cum certo mortis periculo bilis atrę; vnde *Gal.* ad hoc alludens *in aphoris* dixit: *Incipit maxima ex parte intestinorum difficultas abrasis prius in summa parte intestinis, deinde excesis adeo vt exulcerentur, hanc igitur intestinorum difficultatem sepe sanauimus, quæ vero ab atra bile fit insanabilis est prorsus, cum nihil differat à cancro vlcerato:* quod volens explanare idemmet *Duretus* dixit: *Ergo citata*

rata bilis flaua, & velut expreſſa multum ſaturata ex hepate, contumaciter adhęreſcit ad inteſtinum, quod abradendo, & exaſperando, primum quidem leuiter, velut epidermide tenus, mox carne tenus, & vltra exulcerat, vnde hinc merito reſultat Dyſſenteria, quæ vt ait *Gal.* 12. *meth. cap.* 7. vt Pleuritis habet ſigna ſcientifica, vt eſt tormen nempe, & cruenta excretio; quod volens ſignificare *Hippoc. lib. de aff. tex.* 24. dixit: *Dyſſenteria cum habuerit dolor adeſt per totum ventrem, & tormen, & egerit bilem, ac pituitam, & ſanguinem combuſtum*: & ſubdit: *Morbus hic fit, vbi bilis & pituita in venas, & aluum incubuerint, ęgrotat quidem ſanguis, & corruptus ſecedit, ægrotat autem & inteſtinum & raditur, & exulceratur*: & quamuis hic dixit adeſſe dolorem, tamen 2. *epid ſect* 6. dixit: *ſoluit autem, & febris, & Dyſſenteria ſine dolore*: ſubdit *Valleſ in comm. ſed quam vocet Dyſſenteriam ſine dolore ſi enim inteſtinorum exulceratio, quo pacto ſine dolore ſit*. Certe *Hip. loco cit. ex lib. de Iudicat.* non addidit illud ſine dolore, ſed ſimpliciter dixit febris, aut dyſſenteria, quapropter quidem cenſent hinc de er, vt codicis corruptione interiectum, ſubdit: *Ego vero non ita cenſeo, ſed dyſſenteriam hic, & illic dici quamcunque alui perturbationem, addi verè hoc loco ſine dolore, vt ſignificetur Diarrhęa, quæ hoc differt à peculiariter vocata dyſſenteria, quod ſine dolore, aut cum minori dolore inteſtinorum eſt crebra deiectio.*

Cæterùm ſi à me ſit danda reſponſio, dicerem multiplicem eſſe Dyſſenteriæ cauſſam, multiplicem item rationem atque modum; Cauſſæ ſunt inquit Duretus hepatis ἀτωνία, vacuatio periodica, & expreſſio ſymptomatica, quorum egeſtio ſine vlcere fit inteſtini cum primum egeritur; Altera Dyſſenterię cauſſa eſt, hepatis εὐτωνία, cuius virtute ſanguis prorumpit ad inteſtina, quod ſcripſit *Hippoc.* λαύρων καὶ ἰσχυρῶν id eſt fortiter, & liberaliter, ac ſalutaris eſt illa Dyſſenteria, & periodica puri ſanguinis, vnde κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur, αἱματώδης vel αἱματηρή. huius diſtinctionis Dyſſenteriarum meminit etiam *Iacchin. cap. de Dyſſent.* poſſem ergo aſſerere has Dyſſenterias eſſe ſine dolore, & de his Hippoc. intelligere cum dixit, & Dyſſenteriæ ſine dolore; verùm ego potius aſſererem *Hippocr.* nomine Dyſſenterię intellexiſſe quamlibet cruentam deiectionem etiam citrà vlcerationem ſicque non eſſe dolorem neceſſarium, ut probaui ex *Dureto* vnde cum non adſit vlceratio, neque dolor eſt conſectarius: ſic *Gal.* 1. *epid. par* 2. hoc intendens dixit: *Dictum eſt à nobis antea huiuſmodi morbos naſci confluentibus in aluum excrementis*; Ac Dyſſenterias quidem cum ſanguineis deiectionibus, quocunque illę modo exortę ſunt, quin etiam vt dicit idem *Duret. Galen.* vult *Hippocrat.* conſueuiſse nomen dyſsenterię non ſolùm ad inteſtini vlcus referre, ſed ad cruentam excretionem quæ per inteſtina deijcitur: *Ergo* (ſubdit *Duretus*) *Nec ſemper tormentum eſt inteſtini, nec ſemper vlcus dyſſenteria cauſſa morbifica vt Celſo placuiſſe video, cuius ego latinitatem magis amplector, quam ipſius ſcientiam Medicinæ.*

Igitur vt paucis complectar, ac dicam quod ſentio, Dyſſenteria omnis cruenta egeſtio eſt per inteſtina vndecunque illa egeritur. quare tam cum dolore, quàm ſine dolore deiectio ab Hippocr. vocatur Dyſsenteria de ea quæ fit cum dolore fit mentio in hiſtoria Heropiti, vt hic fit de Dyſsenteria ſine dolore. His ſtantibus quid miramur Hippoc. voluulum ſanari à Dyſsenterijs ſine dolore dixiſse? præterquã quod in hiſtoria Famulę Oneſidemi, & Leambij qui ambo vlcere inteſtinorum laborarunt, quamuis Famula cholera laborauit ab initio, tamen Dyſsenteriam pariter accerſiuit; nam ut ait *Cęlius Aurelianus*; *Fit antecedente fluore, quem Græci Diarrhæam vocant, aut cholera, aut tumore ventris*, nunquam do-

loris

loris meminerit; verum quomodo voluulus à Dysſenteria, & articulorum doloribus iuuetur non explanat diligentiſs. *Valleſ.* ego dicerem id fieri quia articulorum dolor ſuperaccedens reuellit materiam antecedentem, quæ poteſt ad partem affectam corriuare, ſic & Dysſenteria coniunctam demit, ac tollit.

Quicquid tamen ſit dicendum Excellentiſſimam Dominam Dyſſenteria laborare cum excretiones habeat cruentas, bilioſas, & ærugineas vnà cum tormine facta à bile vt ait *Hippoc. in præfata hiſt. Famuli oneſidemi* à bile ſponte commota, dum enim eadem exſuperat, copia vergit ad vias euacuationis, & turget, qualitate pungit, & irritat expultricem facultatem vt expellatur, & retentrix ſub pondere gemens, & debilitatur indèque bilem deſinit per aluum debaccari, inteſtina laceſſere, eadem abradere, exulcerare; vt in nobiliſſima noſtra languente videre eſt, ſanguinem enim eijcit, & cum dolore, qui potiſſimus eſt ad attrahendum, indeque aiebat *Gal. lib. 1 pharmac. gen. omnis dolor inflammata exacuit, irritatque & fluxionibus occaſionem præbet, quamuis rheumatica æger non afficiatur diſtemperie*. neque enim reor ob expultricem tantummodò aliarum partium excrementa tranſmitti, ſed attrahi ab inteſtinorum facultate attractice vellicata ac ſtimulata ab acribus humoribus, ideòque fortè Senner. dixit non ſufficere acres humores ad faciendam Dyſſenteriam, ſed requiri in ijſdem humoribus qualitatem quandam occultam qua poſſint, & de facto lædant inteſtina, dat exemplum de pulmone marino, & cantharidibus, ille enim pulmoni eſt infenſus, hæ autem veſſicæ.

Cæterùm hoc non eſt præſentis inſtituti diſquirere ſat eſt dicere hepar eſſe illud quod bilem tranſmittit, & quia calidum producit, & quia oppreſſum expellit, expellit autem in aluum vtputa vt aiebat *Fernell.* ſentinam totius corporis, & quia corpus diuerſis ſcatet humoribus, ideo variegatas eiectiones tranſmittit, modò bilioſas, modo æruginea à maiori vſtione pronatas; indèque optimè dixit *Duretus in Coac. Ergo citata bilis flaua & velut expreſſa, multum ſaturata ex hepate, contumaciter adhæreſcit ad inteſtinum, quod abradendo, & exaſperando, primum quidem leuiter, velut Epidermide tenus, mox carne tenus & vltra exulcerat:* quem locum etiam paulò ante citaui, vt qui ad noſtram rem faciat; quæ quidem bilis quamuis à feruidiori Iecore fuerit genita, habuit etiam originem ab animi pathematibus, eadem enim dixit *Gal.* bilem generare, non alia ratione vt credo, quia ait volebat Senex anima à Curis caleſcit, & ſiccatur, ex quo maiori calore nata eſt etiam bilis illa æruginea, quam non rarò per aluum eiectat; per bilis enim maiorem aſſationem vel in ventriculo, vel in venis (in vtroque enim loco naſci dicebat *Valler. lib. loc. comm.*) æruginoſa bilis accedit; quamuis non ignorem bilioſum humorem poſſe generari, tum in ventriculo, tum inteſtinis, tum è veſſica fellis, tum è venis myſeraicis, & è toto corpore ad inteſtina effundi.

Verùm quicquid ſit quoniam ſumus in Excellentiſſima muliere, quæ eſt quo quo pacto annoſa, excretiones ſunt variæ, & prauorum humorum, ſitis adeſt ob præſentiam bilis in ventriculo, anorexia ob eorundem humorum præſentiam, adeſt febris, ideò eandem periculo vacare non crederem, & ductus prognoſtico, quo *Hippocrat.* aſſerebat *lib. 2 prædict. tex. 30. Dyſſenteriæ ſiquidem cum febre inuaſerint, aut varijs alui egeſtionibus, aut cum hepatis inflammatione, aut præcordij, aut ventris, aut quę doloroſę fuerint, aut cibos intercipiunt, hę omnes malę, & ſanè qui plurima horum malorum habuerit citiſſimè peribit, cui verò pauciſſima talium*

affuerint, huic plurimę spes sunt. Cum ergo Excellentissima Domina pluribus ex his symptomatis infestetur, non erit sine periculo, verum quoniam vires vsque adhuc morbi sæuitiem ferunt, sperandum aliquid, (*interest enim* aiebat *Celsus non quantum excernat quis, quanti vt ferat*) eoque magis quia obediens est, tum in victus ratione, tum in medicamentis assumendis.

Plura mihi videntur indicare sui ablationem, cacochimia quę euacuanda, intemperies quę corrigendę, motus humorum qui prosternendus, & vlcus quod abstergendum: quoad euacuationem hic multę consurgunt difficultates; nam videtur esse improbanda purgatio, primò namque trahimus ad partem affectam materiam; nimirum ad intestina, secundò quia non est prudentis Medici tentare auxilia periculosa, quia sanare debent Medici citò tutò, & iucundè; periculosum autem esse fluente aluo purgans medicamentum dare declarauit *Auic. lib. 3. fen. 20.* Tertiò quia fluenti aluo non opponitur fluor, sed adstrictio.

Ad hæc neque Galenus neque Paulus purgationis meminerunt. Postremò *Gal.* verba contrarium persuadent; is enim 1 *ad Glauc. cap.* 14. dixit; *Neque si febris fuerit cum alui profluuio alia est opus euacuatione, verum hæc sola sufficit, etiamsi pro multitudinis ratione non sit, quicunque enim plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt in grauiora pericula ęgrotantes deduxerunt.*

At ad omnia hæc argumenta respondet *Augenius* aiendo in motu pure symptomatico oportere procul auellere, at in critico, & in eo qui mediam naturam habet nonitem; ego tamen dicerem quod quamuis materia trahatur in partem affectam scilicet in intestina, nihilominus euacuatur, non enim contingit sicut in parte obstructa, quæ dum recipit materiam a medicamento propulsam, cum inhibeat eius transitum difficiliùs compingitur, parsque affecta magis molestatur; prærerea non ne in cardialgia in qua os ventriculi est affectum, non ne inquam *Gal.* commendat vomitum, qui trahit materiam ad partem affectam; nihilominus ideò probat vomitum, quia trahendo ad os ventriculi, ibidem non retinetur, sed eijcitur, atque hac etiam de caussa in affectibus phlegmonosis *Hippocrat.* vetat medicamentum purgans, quia si trahat ad partem affectam non euacuat, sed semper reuulsione potius vtitur; indeque *Galen.* dixerat: *Incipientes phlegmonas reuulsu curare conuenit, quæ verò inueteratæ iam sunt ex ipsis si fieri potest affectis particulis, aut si id fieri nequeat saltem ex vicinis.*

Præterea *Horatius Augenius* dicit Medicos doctrina & artis vsu claros nunquam periculosa auxilia adhibere, quod si aliquando exhibeant, id faciunt maioris commodi gratia, ideòque *Galenus*, ait, dum ait esse periculosum vsum pharmaci expurgantis, loquitur collatione facta phlebotomiæ, & purgationis; mox quæ accidunt casu, & fortuito ab arte consideranda non sunt: Possem etiam dicere in magnis morbis tentandum esse etiam cum periculo; nam præterquam quod quos ratio non restituit temeritas adiuuat, nullum medicamentum sine noxa prodest, satius est anceps experiri pręsidium quam certò sinere ęgrum mori; adde etiam quod multa in præcipiti periculo rectè fiunt alias omittenda; sic non ne in vlceribus prauis vtimur & ferro, & igne; non ne in hydropicis paracentesim adhibemus? non ne in apoplexijs inustionibus in syncipite vtimur, quas multi sed falsò vt periculosas damnarunt? quid plura, nequit Medicus citrà aliquod periculū non rarò operari, præter-

quam

quam quod nullum periculum cernitur in pharmaco exhibendo in Dyssenterijs, cum vnanimes ferè sint omnes auctores.

Ad tertiam difficultatem qua dicitur sic contraria contrarijs non curari, respondet *Augen.* purgans medicamentum suam habere contrarietatem non ad fluxum, sed ad copiam, quam vna curat inanitio; sicque semper contraria contrariorum auxilia.

Cæterum quamuis bene respondeat *Augen.* tamen stante quod contraria contrarijs non curentur, quid inde? an Hippocrat. non dixit per similia morbum fieri, & per similia ei morbo adhibita curari? non ne aurium sibilus ab *Aristot.* sonitu curatur, non ne ab *Hippocrat.* flatus flatu immisso tollitur, dolor dolore, merum mero, & similibus sicut etiam declaraui *in libro octauo mearum epistol.*

Falsum præt. dicit esse *Augen.* Græcos non admisisse præsidia pro purgatione bilis, si quæ de lacte exhibendo ex *Æt. Alexandro, atque Gal.* dicuntur veritatem habent; sic ego possum apud *Hippoc.* inuenire locos in quibus dat lac ad purgandam bilem; sic *Hippocr.* vt bilem purget in febre ardente quæ ichoribus fit, & humoribus biliosis lac Asinæ exhibet, & multis alijs in locis quinimò & in ipsa Dyssenteria dat lac, vt videre est, 2. *epid sect.* 5. vbi hæc habet: *Pharmaco quod fluit sistere inungendo, Fluit enim ex magna vena; Si autem spontè fluat multum, ieiunet. aut aquæ duas, quattuor lactis partes.* Subdit *Valles. in commentario: Si verò ob acrimoniam succorum fiat spontaneus fluxus opus est alimentis dulcedinem afferentibus, & attemperantibus, proindè consuluit dare duas aquæ, & quattuor lactis, aut vnam aquæ, duas lactis partes, sunt verò hæc Concilia non ad fluxus sanguinis solum, sed ad fluxus etiam ventris, & reliquas fluxiones vtilia, pararique solet hoc lac ex aquæ, & lactis dictis portionibus, immissisque lapillis ignitis, aut ignito ferro vsque ad consumptionem tertiæ partis, estque ita paratum magni vsus in dyssenteriis, & omni fluxione quam succorum mordacitas pepererit*: sic historiam habemus Eratolai filij 7. *epid. is enim* (ait *Hippoc*) *circa autumale æquinoctium dyssentericus fiebat, & febris tenebat, egestiones erant biliosæ, tenues, multæ mediocriter subcruentæ, dolor autem ventris vehemens, cum bibisset serum, & cum bibisset lac, in lacte ignito moderatiores fiebant dolores & deiectiones subcruentæ*: subdit idem *Valles. in comm. Hac occasione purgatus est copioso haustu lactis Asinini excocti, accepit verò duobus diebus quasi nouem Atticas cotylas, quæ capiunt vncias* 81. *erat veteribus familiaris vsus huius lactis ad purgandam bilem vt constat facilè librum secundum de ratione victus, quem vsum ego non sine magna vtilitate sum aliquando imitatus, cogens ægrotos accipere huius seri, aut huius lactis, quod est valdè serosum plusquam duos sextarios.*

Ad *Galeni* sententiam respondet eandem esse de Dyarrhæa intelligendam, in qua licet non fiat purgatio pro ratione multitudis, sed tamen quæ possit processu temporis perficere quod incepit, purgandum non est, sed omnino totum opus naturæ sinendum, si speramus illam certò perfecturam, quamuis in præsentia non perficiat, sed si suspicamur contrarium adiuuanda; quæ quidem responsio mihi satis arridet, nam idem *Gal.* in com. aphoris. dixit hanc fortè suam volens explicare sententiam: *Si natura mouet nullo est opus medicamento, cum verò mediocrius, ac imbecillius agit, tunc oportet ad id quod deficit supplere, natura enim expellente, medicamento vero attrahente recta fit euacuatio*: hincque *Fernellius* ansam de sumpsit aiendi: *quæ perfectura est natura, ne tangito, inchoata verò, nec ab ea perficienda completo*: quamobrē remanere mihi videntur solutæ difficultates aduersæ partis, ac proinde in Excellentiss. Domina poterit dari

aliquod

aliquod ſed leniens pharmacum; *expedit enim* ait *Horat. Augen* ibidem, *manus porrigere, vt breuiori tempore vacuata copia per regionem conferentem per quam ipſa tentabat Natura in tutũ ægrotum portũ deducamus*: ſic *Senner. lib. 3. par. 2. ſect. 2. cap. 7.* hæc habet aurea verba: *Præſtat paucioribus vicibus medicamento humorem euacuare, quam permittere vt pluribus vicibus à natura expellatur, & diuturniore tranſitu, ac mora in inteſtinis ea lædat, & maius damnum afferat.*

De medicamento tamen ambigitur, nam non vnanimes circa hoc auctores exiſtunt; Alij enim laudant rhabarbarum torrefactum, Alij tamarindos, myrabol. Alij medicamenta validiora deſiderant. Cæterum *Senner. loco cit.* hanc difficultatem ità dirimit, nam ſi humor vitioſus multus eſt in toto corpore, & ad inteſtina quaſi turgens affluit, dyſſenteriamque excitare incipit, non incommodum videtur mox in principio vna copioſiore euacuatione maiorem humoris peccantis partem euacuare, poſtea verò ſtatim ea quę ſimul purgandi, & adſtringendi vim habent, ſed in minori quantitate exhibere conuenit, ſi verò alia cauſſa Dyſſenterię ſit, neque ea à critico quaſi fluxu originem habeat parcior purgatio inſtituenda, atque ea, quæ leniter purgant, ſimulque roborant ſtatim vſurpanda, neque etiam copioſius purgandum, cum humores praui, atrabilarii, & maligna aliqua parte pręditi ſunt, hi enim priùs temperandi, & cum aliis ſuccis miſcendi ſunt, vt miteſcant, & poſtea medicamento expurgandi.

E qua diſtinctione ego hoc dogma deſumerem, vt ſyrupos pręparantes ac refrigerantes ante purgationem tunc inſtituamus, cum videlicet humores ſunt praui, & maligni ad hoc ſcil. vt temperatiores facti in tranſitu per inteſtina non eadem magis exulcerent, at quando humores non ità ſunt mordaces fruſtrà priùs pręparantibus incedimus, nam materia eſt in fluxu, eſt ſeparata, eſt mobilis à medicamento abſque vlla præparatione; proinde in Excellentiſſima Domina ego vel nulla adhibita præparatione cum ſimus in quarta darem ſyr. de cichor. cum rhab. ſyr. roſ. ſol. an. vnc. 1. ſ. myſ. e cydon. drac. v. i. aq. cichor. in qua bull. myrab. citrin. drach. 1. pulpæ thamarind. drach. 2. miſ. f. pot. cap. commendaui ſyr. de cichor. cum rab. quem ego in hoc temporis interuallo quo medicinam factitaui ſemper vtiliſſimum obſeruaui, pręterquam quod *Septallius lib. 7. 92.* quamuis improbet in Dyſſenteria rhabarbarum (quia igneas partes habet, & quia in ſubſtantia aſſumptum tunicis inteſtinorum, & vlceribus adhæreſcens dolores implacabiles pariat, vt ſepę obſeruauit) tamen ſyr. de cichor. Guglielmi cum eo paratum commendat, quia adſtrictione careat, à cichoracis enim igneæ illius partes, retunduntur, ſi tamen cum decocto tamarindorum aut mirabol. concedatur. Quam ſanè opinionem viſus eſt habuiſſe Mercatus qui cap. de Dyſſenteria, quamuis rhab. torref. commendarit, nihilominus ab initio improbat aiens: *quas ſanè medicamentorum formas non primò acceſſu porriges vt multi conſulunt, ſed cũ in animo eſt leuiter purgare, & preſſiùs comprimere, nam primo morbi inſultu, & vbi ſuſpicio eſt de obſtructione, aut deſcenſu mucaginum ad inteſtina, tunc quidem expreſſioni dragmæ vnius rhabarbari infuſi in aq. cichor. adijcere oportet drach 5. expreſſionis agar. trochiſ. infuſi in ſucco roſarum*; *Horatius Augenius* nullo ex his remedis vtitur, ſed lacte duntaxat: hęc ſunt eius verba: *Ego itaque hiſce rationibus perſuaſus à principio (ſi tamen expedire iudicauerim) corporis purgationem moliri ſoleo antiquorum conſuetudine, nam vt audiuiſtis lacte purgabant quę ratio medendi ſuperat omnes difficultates, admirorque plurimum raros exiſtere potiſſimum in noſtra prouincia Medicos qui vtan-*

tur

tur lacte: quicquid tamen sit ego in nobilissima languente darem prædictam potionem, quę citra adstrictionem euacuat; ideoque *Senner.* in principio rhabarbarum sine tostione exhibet; nam nõnulli, vt vim purgandi minuant (quod in principio non conuenit) & adstringentem augeant rhabarbarum torreri iubent, inter quos est *Matthiol.* quod etiam à *Mercato*, adnotatur, ipse enim loco cit. dixit posse hęc medicamenta leuiter torrefieri, &, paullo maiori quãtitate exhiberi, dissoluta in aqua plantag. aut capitum rosarum: neque credendum vim propriam efficacia ignis amittere, & acrimoniam acquirere, vt nõnulli arbitrantur, siquidem nobis non est in animo eorum medicamentorum formam vstione corrumpere, sed solum quod in ipsis mordacius est, & tenuius est leui igne dissoluere; quod reprobatur à *Septallio loco cit. numer.* 93. vbi ait: *sed magis etiam recentiores communi errore decipiuntur torrefactum rhabarbarum in Dyssenteria exhibentes, adstrictionem, & exsiccationem augere volentes, vt vtraque facultate purgatoria, & adstrictoria adaucta melius intentioni satisfacere possint. quod innocentius fieri torrendo putant, cum experientia constet mediocriter torrefactum vehementius & minori dosi purgare, quàm integrum, igneas tamen partes ad huc magis vigere, & si maiorem adustionem adhibuerimus, purgatoria facultate penitus destituitur.*

Quicquid tamen sit, ego lubentius rhabarbaro acerbiori vterer, sicque absque torrefactione idem præstaretur absque vllo detrimento, verùm scio me longius ab incæpto deuium esse propterea que redibo vnde discessi, asserens purgationem esse ab initio faciendã syr. de cichor. cum rhab. ros. sol. & aqu. cichor. in qua bullierint myrabol. citr. & pulpa tamarind. Nec ob id alterantium immemores esse debemus, nam cum humor aliqua polleat mordacitate indiget attemperatione, & viscera quę feruore exæstuant temperie pariter opus habent, quare syr. præscriberem de cichor. de granatis, & de f. acetosæ cum decocto communi, vt ijs partim assumptis, denuò, si opus sit, possimus ad medicamenta sed leniora deuenire, quæ purgandi vim habeant, sed cum aliqua adstrictione.

Interim tamen dum hæc peraguntur cogitandum est, an aliqua possit sanguinis missio conuenire; *Ludou. Septall loco cit. num.* 94. rarò dixit in Dysenteria conuenire sanguinis missionem, nisi quando pars fuerit inflammata, vrgentes adsint dolores, hepar, aut totum corpus aut ob æstuantem febrem, aut ob calefactos humores in venis, viribus præsentibus consentientibus, imminentis virium collapsus habita ratione nec multum, neque confertim, & semel, sed parum, per interualla & sæpius euacuandum *Aetii*, & *Alexandri* etiam sententia, idq; non ea solum ratione, quod vires non ità dissoluantur, sed etiam quod iterata euacuatione sanguinis melius reuulsio perficiatur. quod si hæc non adfuerint, sanguis haud mittendus, quia cum sępissimè a diarrhęa producatur, nunquam vires sunt fortes, cum ab illa sint redditę imbecillæ, vel periculum imminet, ne prosternantur, præterquam quod non rarò scimus in huiusmodi affectibus peccare humores longissimè à sanguine differentes, & huiusmodi languentes cacochymia vt plurimum elangueant.

Hanc opinionem sectatus esse videtur *Horat. Augen.* dum ait: *Quid enim sanguinis vacuatione indigemus, vbi aut flaua, aut atrabilis, vel pituita salsa facit negotium? quis hoc genus admitteret remedij cum in primis venis, quod ferè fit semper malorum humorum copia, continetur? distinctionem igitur adhibere oportet*; subdit infer: *Si*

enim

enim à venis maioribus per hepatis regionem biliosus effluit sanguis, cuius inditium potissimum febris est continua suis comitata symptomatis, aut etiam si corpus abundauerit sanguine, cuius occasione vereri contingat, ne ob calorem partis igneum, & ob dolorem perpetuum attracto sanguine tenuiore vlcus inflammatum fiat, quis non admiserit sectionem venæ nam in prima suppositione vacuato sanguine, totoque corporis habitu refrigerato, caussaque iam remota fluori medemur, in secunda præcauemus quod futurum est optima quidem ratione, & felice successu; sic vna euacuatio fit multitudinis, fit etiam reuulsio ab intestinis vlcere labefactatis; quod si *Gal.* sanguinis missionem respuat, eundem loquutum esse de Diarrhæa vult idem auctor; sic quoque *Holler.* venæ sectionem commendat, sed multas admitti vult conditiones, vt corpus sit bene carnosum, grauis febris existat, atque inflammatio, suppressa sit aliqua solemnis euacuatio, sanguis multus cum excrementis abeat, & consentiant vires, & ętas.

Quicquid tamen sit, quoniam languentem curandam habemus gracili corpore, febris non sit multa, & sit annosa proindè ab omnimoda sanguinis missione abstinerem; ac alterantibus incederem, quæ nedum vim habeant refrigerandi, sed & vim quoque diureticam; qua ratione doctiss. *Sennertus* laudat decoctionem, vel emulsionem quatt. frigidorum maiorum ex sero lactis, fænic. & petrosel. in iusculis carnis, additis ijs quæ ventriculi robur tueantur; hoc tamen cum Celso monet ijs tantum diuretica in hoc casu conuenire, quibus alioquin facilè prodesse solent, si verò effectum suum non facilè consequatur, malum potius augetur.

Cęterum ego ab vsu diureticorum abstinerem, quippè cum eadem habeant virtutem attenuandi, reddunt humores magis fluxiles, atque indè augent Dyssenteriam, quod si natura ad vias inclinet vrinæ, tunc sanè optimum erit diuretica adhibere, vel si eadem velimus adhibere non absonum erit eligere illa quæ sunt minoris efficaciæ, vt capill. ven. cichor. gramen, & similia, describerem ergo ius vbi bull. acetosæ, borrag. melissæ, plantag. portul. sem. cucum. papau. graminis cichor. cum rad. an. præp. i. miss. bull. in iure, cuius dandæ sunt vnc. 4. addendo syr. de s. acetosæ, granat. cichor. an. vnc. 5. quod si adhuc copiam præesse cernamus, & vlcus non sit magnum, tunc sanè optimum erit accipere pulpæ thamarind. vnc. 5. rhabarb. acerbioris scrup. 2. cons. ros. rec. drac. 2. cum sacch. f. boli cap. vel poterit sequens medicamentum exhiberi vt ℞. tamarind. drac. 3. cort. mirabol. citrin. drach. 1. coquantur in aqu. hord. & plantag. in colatura infundatur rhab. drach. 1 f. spicæ gr. 6. colaturæ ℞. vnc. 4. adde syr. ros. sol. vnc. 1. mis. f. pot. hoc medicamentum, quod est Sennerti mihi sum mè arridet, cum omnes expleat scopos.

Interim ab vsu clysterium non abhorrerē, illa tamen cautione quam certè *Ludou. Septall. loc. cit. num.* 97. adhibet, quæ mihi semper cordi fuit, ne scilicet statim ad abstergentia confugiamus, nam mucositas illa quæ in Dissenterijs eiicitur non est aduentitia, neque præter naturam, sed naturalis, intestinis indita, vt muniantur à bile quæ cum fęcibus in dies euacuatur; vnde enemata abstergendi potentia prædita cum valeant mucos magis abstergere denudata tunica eo quo munitur facilius exulcerari poterit, propterea que monet vt adhibeantur pinguia, & viscida, & quamuis *Septall.* adhibeat ol. ros. & vngu. ros. mihi nunquam id arrisit, cum vlcus ab oleosis sordidius reddatur, ac insimul detur occasio alicui intestinorum maiori ardori; propterea que aiebat Senex: Pinguia ad inflammata non conducunt; Vterer igitur in nostro

casu

caſu iuribus pinguibus facti cum capite veruecis, vel inteſtinis eiuſdem, addita portione ſacch. rub. & vitell. ouorum, ego ſoleo vti albuminibus, cum hæc ſua viſciditate inhærentia abraſionem impediant: quinimo ego poſſum iure iurando affirmare *Ioannem Antonium Benedictum V. I. D.* & meum germanum ſolo hoc clyſtere liberaſſe iam iam factum Dyſſentericum; nec deſunt qui cum adipe hyrcino & alijs clyſmata præſtent, quę quamuis à nonullis improbentur, inter quos eſt Mercurialis qui cap. de dyſſent. dicit vſum huius adipis pernicioſiſſimum eſſe in clyſtere quia vt ſcribit *Gal.* 4. *ſimpl.* 9. adeps hyrcinus igneus eſt, & acris, & propter mordet, & adurit, nec valere ait *Gal.* 2. *ſimplic.* 14. huiuſmodi adipem dixiſſe in dyſſenteria prodeſſe, nam contextus græcus legit ſuccum tragi, at recentior interpres cum ſciret τράγων Græcis dici hircum, & cognoſceret hanc eandem vocem ſignificare genus quoddam cereale, tranſtulit potius hircum, quam tragum vt debebat; propterea ipſe vtitur ſolo iure caſtrati pinguiſſimi cum vitellis ouorum, quod ſi hæc nō arrideant, & alios clyſteres adhibere velimus, poterimus vti clyſteribus ex lacte Kalibeato, additis muccillagin. ſem. cydon. vel alijs cæterum tempus nobis occaſionem præbebit, quid, quomodo, & quando ſit adhibendum; ſic pro teneſmo illo quo premitur tollendo ſuffumigia ex vſu eſſe poterunt, ex taſſo barb. ſeuo hyrcino, pice, ſic pro firmando fluxu non inutile erit emplaſtris vti ex Diaphæn. & de cruſta panis, vel vng. ſtomatico; ſic quoque inunctiones ex ol. de maſtic. cydon. roſ. myrth. opt. erunt. fotus ad leniendos dolores quoque probarem; ſed quod præ reliquis commendo eſt cydonium cariophyllis plenum, vnaque in vino odorifero ebullitum, quoad inſtar vnguenti veniat, quod petiæ lineæ ſuperimpoſitum, & applicitum abdomini, quod vim validam habet roborandi, cum modica adſtrictione; Pro fotu maximè commendo illum qui a Valleriola in ſuis obſeru. præſcribitur, vt ℞. abſynthij, menthæ, plantag. ſummitatum lentiſci, rubi, caudæ equinæ an. m. i. centinodiæ m. i. ſ. florum chamemeli, & melilothi p. i. roſ. rub. p. ij. granorum myrthi contrit. vnc. 1. ſem. ſummac. plantag. & coriandr. an. drach. v. i. cariophyll. vnc. 1. cort. granat. furfuris an. p. ij. f. omnium decoctio in aq. Kalibeata, & vino rub. craſſo, f. ſubinde fotus ventri, & ſtomacho ante cibum: ſic idem Valleriola poſt fotum laudat ſimile vng. ℞. ol. maſtic. cydon. roſ. an. vnc. 2. maſticis, olib. coriandri præp. roſ. rub. menthæ ſiuæ, an. drach. 1. ſem. ſummac, & plantag. an. ſcr. 4. corall. rub cariophyll. boli arm præp. an. ſcr. 4. ceræ q. ſ. f. vng. ſed vt liberè fatear huiuſmodi vnguentum non adhiberem, cum conſtet, ex rebus nimis adſtringentibus; vndè occaſionem dare poterit, vt retentis in inteſtinis excrementis, ex eorum inhæſione fiat maior exulceratio.

Idem auctor refert quoddam remedium adhibitum à quadam annoſa muliere, (ſunt enim auctore *Gal. 6. de loc. aff. cap.* 5. quędam mulieres medicæ, eſt autem tale, ſumitur pomum integrum & ſanum, deinde excauatur, vndè impletur cauitas cera vel alba, vel citrina ſelectiſſima, & indito operculo prunis admouetur pomum, donec omnifariam cera liqueſcat, & pomi ſubſtantiæ intermiſceatur, tuncque pomum huiuſmodi ſic paratum ægro exhibendum: quod ſanè ait Valleriola conferre poteſt quia emplaſticam habet virtutem, qua agglutinare inteſtinorum vlcera poteſt, quinimo *Gal. 7. de ſimplic. medic. fac.* ceram exſiccandi vim habere prodit unde *Dioſc. lib. 2. cap.* 76. de cera dixit eandem dari in ſorbitionibus dyſſentericis.

Sunt præterea qui alia laudant pro hoc eneruando affectu; sic *Senner* laudat radices tormentillæ, plantaginis, consolidæ maioris, sic laudat nimphæam exsiccatam, acetosam, alceam, filipendulam, pæoniam, quas aluum sistere scribit *Galenus 6. de simpl. med. fac.* quæ si in cereuisia coquantur, decoctumq; butyro condiatur, & manè ac vesperi bibatur tormina & dysenteriam sistere dixit. sic *Dioscor. lib. 3. cap.* 113. laudat absynthium, mentham, quercum, pimpinellam, sanguisorbam, millefolium, saniculam, virgam auream, & alia quæ breuitatis gratia sileo, sperans multo minoribus Excellentissimam Ducissam medicamentis egere; hæcque proponere volui pro tempore interim optimæ victus rationi est insistendum, quam cum videam optimè institutam à viris doctissimis non est quòd vlterius meus sermo diuagetur.

PRO PERILLVSTRI ATQVE ADM. Reuer. Domino D. Gregorio Alferio Patritio Aquilano, & Primariæ Ecclesiæ Canonico, Dysenteria cruciato.

CONSVLTATIO LXVIII.

FRuctus horarios, & niuis vsum nobilissimum virum in Dyssenteriam transtulisse non est vt explicem, cum ambo maximam vim habeant producendi huiusmodi morbum, nix enim sua frigiditate, fructus autem eorũdem putrescibilitate id agere potuerunt; sic *Vallesius 5. epidem:* dixit hos fructus crudos, & aqueos gignere succos, & facile corrumpi, hacque de caussa noxium esse eorum vsum promulgauit; sic Hippoc. 5. *epid.* narrat Cytenij in Omilo historiam, qui in calidissimo tempore edens fructus horarios, & alios cibos non conferentes, à febre correptus, & Diarrhæa mortuus est: subdit *Vallesf. in comm.* eosdem virtutem habere aluum laxandi, & bilem ad aluum deponendi; nec immerito; nam vt ait *Cardanus lib. de sanit. tuen. 2. cap.* 40. aqueus succus qui in carne, & fructibus continetur, non aqua est, sed humidum corruptum, & putrescens, nam omnis generatio fit per quandam putredinis viam, ob id cum non dum est assequuta formam pinguis humidi, corruptionem in se continet; è qua fructus acrimoniam nacti expultricem vel ventriculi, vel venarum vellicantes, bilemque mouentes ad intestina, abrasa tandem Dyssenteriam faciunt: velut in nostro accidit languente, ex horum enim fructuum, & niuis vsu debilitata ob frigus retentrice, & expultrice ob fructuum acrimoniam irritata, mobilitatem nacti sunt humores qui ad intestina protrusi sua mordacitate potuere adeò intestina exedere, vt exulcerarent, indeque successit cruenta deiectio, & dolor; dolor quidem pronatus est intestinis intemperie graui affectis, & subita alteratione immutata vt dicebat *Gal. in ar med. cap.* 8 vel vt idem asserit *Gal in aphoris. com.* ob flatus intestinorum inuolucra permeantes, vel ob biliosos humores eadẽ intestina mordentes, quod clarius patefecit 2. *de loc. aff.* aiens: *Porrò qui mordaces dolores fiunt, ij à mordaci humore intestinum erodente fiunt*: cruenta autem deiectio ab vlcere promanauit, qua ratione dixit *Hippocrat: 3. de diata tex.* 12. *Vbi autem corpore calefacto purgatio acris fiat, tunc & intestinum raditur, ac exulceratur.*

tur, & sanguinolenta egeruntur, hoc autem dyssenteria à mala intestinorum affectione appellatur, morbus grauis, & periculosus, hęc autem acris purgatio non alia esse potest in nostro casu quam biliosa vt ab excretis patet, eaque progenita tum ob maximam cibariorum aptitudinem vt conuertantur in bilem, tum ab hepate plusquam par est feruido, hoc enim dum biliosas humiditates creat, ad intestina propellendo Dyssenteriam gignit, non eam tamen quę ob hepatis imbecillitatem fit, sed potius ob deprauatam eius actionem: nam vt ait, *Gal. comm. 4. in lib. Hipp. de artic. tex.* 40. *Cruentam deiectionem Hip.* δυσεντερίαν *vocauit, quo nomine vsus videtur, non vt exulcerationem intestinorum, quemadmodum plerique Medici, sed vt cruentas intestinorum deiectiones significaret, sic vt vbi propter iecinoris imbecillitatem cruentum descendat id quoque vitium* δυσεντριν] *appelletur*; & infer. subdit: *est ergo morbus, & iecinoris imbecillitas, & vlcus intestinorum*: quare non dubitandum vt plurimum Iecur concurrere in Dyssenterijs pagendis, cum illud potissimum idoneum sit biliosos humores generare, qui sua mordacitate intestina valent exulcerare; ideoque nouam qui hodie vt vocat Medicinam excolunt, ipsi priscam, & naturalissimam, ex veris principiis rati, caussam, Dyssenteriæ, atque lienteriæ, ac Diarrheæ virulentæ cuidam materię ascripsere, & veneni laxatiui participi, ventritriculum enim asserunt ex subtiliori, exactiorique elaboratione alimentorum in stomacho extrahere vim quandam catharticam, & emeticam, vnde ob tale quasi semen genitum, formatumque in corpore humano, & ob proprietatem trium primorum hypostaticorum ventriculus irritatur ad excludenda *ανω κι κατω* omnis generis contenta, vel aliundè etiam ex vicinis partibus eo corriuata, Aluminosam, vel helleboraticam vim denominant si per superiora reijciantur; item Esulatam, & colocythiacam facultatem attribuūt materiæ contentæ si per anum deturbetur, non tam ventriculo attribuunt, quam materiæ in eo contentæ, at ex vitio ventriculi ad illam virtutem laxatiuam, miro naturæ opificio, & alchimia redactæ, symptomatica potius quam critica motione; vt enim aiunt antimonium, præcipitatus, helleborus, colocynthis, agaricus foris vim nacta sunt laxatiuam ex suis caussis, & principijs specificis actiuis; ita eadem ex lege microcosmi intus, & in homine vsu venire solent: subdit inferius *Schenkij filius*, qui hæc omnia refert: *Porrò Dyssenteria, Dyarrhæa, &c non tam in ventriculo, quam in hepate vessica matrice obseruatur*; & quamuis ego anteà dixerim morbum hunc potissimum ab hepate generari acres, ac mordaces humores inuehendo, tamen non ob id ventriculum excludere credidi, qui prothopathico affectu pressus est, vt videre est ex fructibus horarijs ingestis, & ex nimis vsu, hæc enim ventriculi retentricem vt dixi labefactando, nec non etiam & expultricem irritando, potuit hunc affectum generare, conseruationem tamen eius, & maiorem mordacitatem ab hepate habere censerem facta morbi ἐπιγένεσι, sicut à ventriculo in alterando oblæso; bilis enim illa quæ à nostro ægrotante eijcitur non nisi hepar habere potest vt productiuum, ob nimium calorem quo refertur, bilis enim ex *Galen. lib de sem. cap* 6. ab hepate est.

Quam quidem ad intestina transmittit per magnas venas vt ait *Galen. com. 2. progn.* per quas ijsdem intestinis copulatur; eademque ad intestina transmissa, ... erguntur eadem, abraduntur, deinde temporis tractu vlcerantur, vt idem *Gal. 1. de loc. aff.* dixit *cap. 2.* hæc sunt eius verba; *In Dyssenteria mordax humor caussa est affectus, vtpotè qui ab initio & absterget, & abradit, deindè temporis*

tractu vlcerat intestinum: itaque mordacitas in humore requiritur; sic *Hippocrat. 6. epid.* refert Critiam, & Xenophanem in Dyssenteriam incidisse, vt Bionem qui erat apud Silenum, Aretonis filium, & vxorem Mnesistrati: Hi omnes ait *Hippocr.* Dyssenterici euaserunt, quod vrinas reddiderint aquosas: subdit *Gal. Etenim verisimile erat, quod biliosum excrementum per vrinas non esset euacuatum vbi in ventrem fluxisset, Dyssenterias generasse, consentaneum porrò erat, eo quod multum hic humor valeret, ac vigeret, nisi biliosa excrementa per vrinas essent euacuata, ex eo quod etiam tum reliquum erat in corpore, dyssenteriam illis excitatam esse*: & hac fortè ratione *Scheneumannus* dixit ventris profluuia ex sulphure coagulato, resolutoque fieri, verum ab aliis Paracelsistis dissentit, qui à sale (& probabilius) omnes alui fluxus oriri statuunt.

Et quamuis id hactenus Medici docuerint, & tormina ventis, excreta, imò cadauerum sectiones id confirmarunt quod humores aeres quos Chymici non malè salsos appellant, & ad salium genera referunt, intestina abradant, & erodant, eorumque venas aperiant, rem tamen tam manifestam negat Schennemannus, & ex sanguinis, vel sulphuris coagulati in sanguine quem appetat, & absorbere desideret ventriculus per intestina delapso fieri dyssenteriam statuit, cæterum quicquid sit (hoc tamen sit obiter dictum) Dyssenteria qua premitur noster languens ab humore bilioso producitur, eoque progenito à Iecore, nec non etiam, & ichoribus è fructibus horariis resultantibus; verum quænam intestina sint affecta tenuia ne an crassa, hoc pariter aliqua opus habet indagine: non enim ignoro ex *Gal. 3. de loc. aff. cap. 3.* sedem affectam agnosci ab excretis, ab ijs quæ affectis partibus adnascuntur, ab actionum læsione, à colore præter naturam, & figuris; cæterum si doloris figuram cernamus videbimus circa intestina tenuia dolorem adesse, ex quo duntaxat nos possumus decipi, nam potest esse vlcus in crassis, & ob vellicationem dolor circa tenuia intestina percipi; præterquam quod vt ait *Sennerto* signum ex dolore sumptum, quod scilicet si dolor sit supra vmbilicum sint oblæsa intestina tenuia, si autem infra, intestina crassa nos fallere facillimè potest, quia intestina tenuia, & supra, & infra vmbilicum sunt, colon enim etiam sub vmbilico ducitur, eoque illic affecto dolor quoque supra vmbilicum percipitur.

Plerique subdit *Sennert.* aiunt si intestina tenuia sint affecta, ramenta minora, & tenuiora sunt, si verò crassiora, & maiora cum copiosiori pinguedine; Cæterum idem auctor quattuor esse consideranda docet, dolorem, doloris locum, tempus exitus excrementorum, & mixtionem sanguinis, ac purulentę materiæ cum excrementis aluisi enim tenuia sint intestina, dolor est acutissimus, aluus non statim post dolorem aut tormina ventris excernit, cruor cum stercoribus vniuersis permixtus est; quæ quidem signa maximè posse videntur ad commonstrandum locum affectum; quod si uerum est, vtique non est dubitandum in nobilissimo nostro languente crassiora intestina esse oblæsa, sanguis enim, & purulenta materia alui excrementis supernatat, dolor non est admodum validus, & statim à dolore fit excretio, quia vt puto est propinquior via secessus, indeque haud miror si febris non sit adeò valida, cum dolor non sit vehemens, pars affecta sit ignobilior, & motus non sit nimius.

Quicquid tamen sit morbus non est spernendus, non rarò enim solet in maiorem prorumpere, intestina etiam tenuia exulcerare, & morbum reddere

re incurabilem, verum cum simus in iuuene Medicis obtemperante, potius de eius salute sperandum, quam desperandum; quæ vt magis speretur, ad curationem properandum; quæ multa nobis proponit consideranda, cacochymiam, motos humores, eósque acres, ventriculi laxitatem, dolorem, & vlcus; ideò cacochymia vel à Naturæ Imperio deplenda, vel ea deficiente ab Arte, prosternendus impetus humorum attemperantibus, ventriculus roborandus, sedandus paregoricis dolor, & vlcus abstergendum, vnaque consolidandum.

Quoad cacochimię euacuationem maxima insurgit difficultas, Alij namque eandem admittunt, alii denegant; verum explosis ambagibus dicerem cum *Vallesio in historia Leambij Dyssenterici comm.* qui malè habuit ab vsu pharmaci, vt notat *Hippoc.* per hæc verba: *Leambio verò cum intestinum vlcerosum esse videretur, in dyssenteria pharmaco curato, humerus, & sedes exulcerata sunt in sinistra citra febrem*: dicerem inquam aut in dysenterico esse cum cacochymia magna exulcerationem nondum magnam, aut cum exulceratione magna cacochymiam exiguam, aut vtraque cacochymiam dico, & exulcerationem exiguam, aut vtraque magna: Si primum, expurgari debet, si secundum minimè: sed ad vrinas, & sudorem, & vomitus vocandum, & instandum localibus interiùs, & exteriùs pro vlcere curando: si tertium, ne tunc quidem opus est purgatione, neque localibus admodum, sed bono victu, & facili ad alias euacuationes deriuatione: si quartum, insanabilis est, facies aut nihil, aut omnia tentandi gratia, velut in re desperata; tales enim etiam curationes aliquando profuerunt, neque mihi semper displicet illud *Celsi lib. 3. c. 9. & quos ratio non restituit, temeritas adiuuat*: vnde cum noster languens sit in principio, sanguis qui eiicitur non sit multus, vlcus supponatur paruum, & materia non mediocris non alienum erit aliquod leniens medicamentum exhibere: neque me expauet historia famulæ Onesidemi in Larissa (quæ habens vlcerata intestina, & ventrem à bile sponte commota, & prodibat sursum, ac deorsum bilis & sanguis, & febris tenebat, & tamen tertia die mortua est vesperi) quippe non obiit hæc ratione pharmaci, vel curationis, sed quia morbus fuit acutissimus. sic *Leonard. Iacchin.* dixit falsum esse vlcus ex euacuantibus augeri, nam in Dysenteria continuò defluunt excrementa, neque sistuntur; secus autem in aliis affectibus vt in phlegmone, colliguntur enim in tumore quæ attrahuntur. quinimò idem auctor obsistere ait possumus vacuando ne excrementis vlcus lædatur, primum ea admiscendo quæ oblinant, & temperent acrimoniam, mox & adstringant partem ita vlceri conducant, itaque inuenerunt infusum scil. psyllii, cotoneorum, tragacanthi, & rhabarbaro vti torrefacto, atque infuso in aq. plantag. & cum modico cassiæ propinato. eadem ratione, & mirabolanos apparamus.

Quare non timerem nobilissimo languenti medicamentum exhibere, dummodo admodum cautè fiat, proindéque *Auic. 3. canon fen. 16. tract. 2. cap. 7.* de dysenteria verba faciens, hæc habet: *Et si fuerit necessaria euacuatio propter humoris malitiam vtere iam cum timore, & cautela, & stude ne solutiuum vehementer noceat vestigio, & vlceri*; quia vt alias asserebat: *Soluere ventrem supra ventrem timorosum*; quod respicientes nonulli lac exhibuerunt, quod virtutem habet attemperandi bilem, vnaque euacuandi; sic *Alex. Tral. adductus à Sennerto vt & Aetius* ac commendarunt *Alexander enim lib. 8. cap. 8.* ita scribit: *In primis lactis calefacti, & inter coquendum sæpius agitati cyathos tres exhibemus, & post horas duas tan-*

tantundem rursus potui damus, quibusdam etiam tertiò offerimus, vt integra hemina absumatur, & si eo die repletus æger videatur, cibo eum abstinere iubemus, hoc igitur modo bilis educitur, & humores corrupti modicè purgantur, mitiganturque, &c. vndè *Aet* dixit lac purgare simul ea quæ in corpore sunt, contemperando, postremò verò aluum sistere; quicquid tamen sit *Amatus Lusit. cent. 2. curat. 44.* lac in Dysentericis si febris adsit tanquam venenum damnat; neque in dysentericis biliosas deiectiones habentibus admittit: nec immeritò nam illud pariter inhibuit *Hippoc. in aphor. Herc. Saxonia* lac coquit sine aqua, interdum accipit lib. 1. lactis, aq. plantag. vel sonchi vnc. 5. i. & coquit ad consumptionem medietatis, quo non modo dolores sustulisse refert, sed incipientes Dysenterias sine alio auxilio sanasse testatur. *Senner.* laudat vaccinum lac quod crassarum sit partium.

Quicquid tamen sit cum lac in nostro languente ab omnibus non indicetur, alio præsidio vtendum; vterer ergo rhab. parum acerbo ad drac. 1. adderem pulpæ thamarind. drac. 2. syr. rosf. sol. vnc. 2. aq plantag. q. s. vt f. pot. scio à nonullis magis probari vomitoria; nam ut aiebat *Celsus: vomitus uentrem compactum soluit, solutum sistit*; indèque *Iacchin. cap. de Dysent.* dixit: *Profectò si æger facilè uomat, neque uentrem multũ imbecillum habeat, neque extremè fastidiat cibum leuia uomitoria utilia erunt*: sed cum nulla in languente habilitas reperiatur a vomitorijs desistendum; possunt enim magis uentriculum laxare, & occasionem præbere maiori Dysenteriæ.

Nec interim dum hæc peraguntur ab alterantibus desisterẽ, qua de caussa syruppos præscriberem ex syr. de granat. de ribes, de s. acetosæ cum decoct. communi, adiectis portul. & plantagine, vt subindè si opus fuerit denuo ad aliquod pharmacum deueniamus, quod egò peragerem syr. de cichor. cum rhab. cum aqua portul. in qua bullierint myrab. citrin. drach. 1. pulpæ thamarind. drach. 2. f. pot. quod si adhuc perseuerer affectus iura alterata præscriberem, quæ & modicè adstringendi, & vrinas prouocandi vim haberent, vterer ergo cichor. cum radic. capill. ven. gram. acetosa. plantagine, melissa, & similibus, quinimò ad magis attemperandum ptyssanam hordeaceam commendarem ex hord. mundo. vel torrefacto, habet enim purgatorium quid hordeum à succo palearum; neque interim dum hæc fiunt, venæ sectiones obliuione mandare debemus, quippè vt volebat *Mercatus*, audaciusquam in quouis alio affectu sanguinem mittere possumus vbi vel febris adsit, vel superueniat continua, vel Iecur excalefactum exurensque fuerit, vel ex phlegmonosa intestinorum affectione prodeat, siue vlcus phlegmone vitiatum sit, siue intestina ipsa ob affluxum sanguinis, aut bilis, incipiente enim dysenteria retractionis gratia sanguis mittendus: cum ergo noster languens sit maximè plethoricus, Iecur feruidum sit, bilis cum sanguine eiiciatur, febris adsit, & vires sint ferendo sanguinem in pauca quantitate mitterem ex basilica dextri bracchii, vel ex saluatella.

Neque interim dum hæc fiunt clysteres omitterem, qui virtutem habeant, & temperandi, & paulatim abstergendi; soleo ob id ego vti dec. hord. torref. & Kalib. ad lib. 1. sacch. rub. vnc. 1. f. albuminum ouorum num. 2. mis. pro clystere; nec inferioris sunt usus clysteres ex lacte chalib præstiti, uel ex ptyssana cum hord. torref. sacch. rub. & uitell. ouorum; sic commendantur clysteres ex iure pingui, & uitell. ouorum, ex iure cum capite castrati, intestinis eiusdem sacch. rub. & similibus; hæc proposui quia dolores non sunt ualidi,

sed

sed sufferri possunt, propter ingrauescente dolore alia possent commendari; quæ breuitatis gratia sileo, in talibus enim casibus *Saxonia* vtitur sequenti clystere ℞ fol. hyosciami m. s. pomorum mandrag. incis. num. 1. sem papau. alb. vnc. 1. bull. in iure pingui & facta express. ℞. dicti iuris vnc. 8. butyri vnc. 2. sæui hyrc. vnc. 1. mis. &c. sunt qui etiam addant narcotica, quæ non nisi in maximis doloribs adhibenda, quinimo ego illa soleo felicissimo successu adhibere, cum habeant virtutem humores prosternendi, vnde dixerat *Senex: quæ somnum faciunt quietem sanguini, & humoribus exhibent:* impediunt enim separationem, quæ ex *Hippocr.* morbum est caussa.

Neque sunt ob id derelinquenda reliqua medicamenta quę fluxum sistunt, nam præstitis euacuationibus modice adstringentibus est vtendum; laudarē ergo in nostro casu post primas præstitas euacuationes syr. de ribes, myu. cydon. cum puluere corall. rub. cocleari sumendum; Mercatus ait sequentē potionem expertum esse valde vtilem: ℞. syr. papau. vnc. 1. syr. de rosis siccis vnc. 5. diamarg. frig. dra. 5. eboris scr. 5. aquarum plantag. & caudæ equinæ an. vnc. 2. mis. cap. Præter sunt qui pro secreto habeant in hoc casu tormentillæ radice vti Chymici commendant crocum ♂ adstringentem, & tincturam, ac magisterium corallorum, vnaque tincturam Smaragdi: cæterum animaduertendum ne nimis citò vtamur adstringentibus, solent enim innumera mala præstare; *sic Holler. comm. p. ad aphor.* 38. *lib.* 6. *sect.* 2. satis indicat *Galenus* contra *Herodotum*, ait, quantum noceat intempestiuus adstringentium vsus in Dysenterijs quæ exulcerationes sunt intestini cum alui profluuio; supprimitur quidem declinante morbo, & ne materia in partem nobilem versa iniuriam afferat, imperantur adstringentia mixtis aromatibus, & ijs quæ vrinas moueant sic enim diuerso humore ad vrinas, vlcera possunt celerius sanescere, & quantum licuit cognoscere experientia alios vidi suppressa intempestiuè Dysenteria in epilepsiam incidisse, alios in *pleuritidem* quamobrem huiusmodi adstringentia tempestiuè adhibita maximi vsus esse poterunt, aliter enim ijsdem abutemur. seruanda ergo *Gal.* norma *p. aphor.* 2. vbi dicitur: *In omni euacuatione ad vires ægroti oportet attendere, & donec tolerant nec laborant, tentandum est humorem ex superantem educere, vbi v. dissoluuntur uires* & si restent superfluitates, *cauere oportet earum euacuationem*; quod nedum fiet intrinsecis, sed etiam extrinsecis medicamentis, ad leniendum dolorem, & ad vlcus abstergendum qua de caussa vterer innactionibus ex ol. rof. mastic. cydon. fotu sic quoque cataplasmata varia, & potissimum de crusta panis, Diaphæn. clysteres ex lactem vt dixi, cum rebus appropriatis, ex farce, oriza, &c. Pro tenesmo vero quo præmitur non absonum credo, suffumigia adhibere sic *Saxonia* varia parat, Primo sumit tabulam nucis, aut cupressi calefactam apud ignem, & illitam vel butyro, vel adipe caprino, cui insideat æger. Idem facit saccullus plenus floribus tassi barb. vel menthastri etiam calefacti, mirificè etiam prodest aut pix, aut resina prunis imposita, vt fumū recipiat locus affectus, subdit *Saxonia*: *quidam experti sunt plus hic præstare funem pice oblitam accensam, & suffumigatam, prodest & euaporatio facta ex decocto brassicæ, pulegij, calamenthi, mentastri, orig. chamomillæ, anethi*: Idem auctor ait Venetijs doctum se esse à piscatoribus oua squatina piscis cartilaginei exsiccata, & in puluerem redactam per modum suffumigij administrata hunc conatum statim curare. Neque hic de victus ratione dicam, superfluum enim iudico rem benè institutam velle ambagibus renouare.

PRO

PRO REVEREMDISS. Domino Domino Petro Mario Aquilano Cœlestinæ Religionis Generali Antistite fluxu hepatico laborante.

CONSVLTATIO LXIX.

DVo potissimum mihi uidentur concurrere ad faciendum morbum quo premitur Reuerendissim. Pater, Iecoris nempè incendium, ac hypocondriacarum partium obstructio, hæc a lentis crassisque humoribus a ventriculi frigida dyscrasia generatis, unaque ustis à Iecoris summo incendio creatis; quod quidem incendium, & a uiuendi norma, cum pipere, aliisque speciebus uteretur originem duxit, & a febrili ardore per triennium ferè lacessito quod quidem incendium sat manifestari potuit ex maculis rubeis, seu cutis efflorescentijs quas olim est expertus, vnde ex visceru͂ horu͂ ἀντιπράξιαι facta heterogeneorum humorum colluuies dum ad intestina mittitur Diarrhæa consurgit, seu prosilit fluxus hepaticus; quamuis non ignorem non parum discriminis esse inter Dyarrhæam, & fluxu͂ hepaticum; Diarrhæam enim auctores conuocant omnem humorum excepto sanguine per intestina excretionem, fluxum autem hepaticum, eumque verum, & genuinum fluxum illum appellant, qui habet loturæ carnium similes excretiones; nec pariter ignoro hepaticorum fluxuum infinitum numerum esse; Alii namque huiusmodi fluxus lotiuos nominarunt, ex infirma coctione genitos, Alii pituitosos ex ventriculi sublata non abolita coctione natos; Alii ipsosmet innominatos conuocarunt, corruptelæ ad acidum factæ in ventriculo comparatos, cum huiusmodi fluxus ichorum, ac pituitæ naturam sapiant, Alii fluxus illos nominarunt hepaticos qui à sanguine fiunt per intestina deiecto sed non exulcerante. Alii denique vt *Platerus* seros fluxus, & cruentos hepaticos nuncuparunt: qui quidem fluxus varios humores, vnaque colores referunt, prout scil. iidem humores in Iecinoris parenchimate moram traducunt, diu namquè in hepate morantes putredinem nanciscuntur, cumque à suo pristino statu recedant, varios, ac inexplicabiles suscipiunt colores, prout cum variis commiscentur humoribus; modo enim fusci, liuidi, flaui, nigri, rubrii comparent: neque hic mihi animus est tempus contere-re in annumeranda hepaticorum fluxuum differentia, possem namque in medium adducere biliosos fluxus, melancholicos, sanguineos, liquatiuos, chylosos, & innumeros alios: quos tamen breuitatis gratia sileo, sat mihi esse credendo, asserere morbum, quo præmitur Reuerendissimus Pater hepaticum fluxum existere, sed speudo hepaticum, cum legitimus & hepaticus fluxus fiat à Iecoris intemperie siue frigida, siue calida, qua eius sanguifica vis imbecillior facta, licet chylum trahat, ad sanguinis perfectionem non ducit, sed simile quid loturæ, carnium efficit: pseudo hepaticus verò fit ab intemperamento quidem Iecoris citrà eiusdem imbeccillitatem; *aliud enim est* (dixit *Mercatus*) *facultatem sanguificam imbecillam fieri, quo sanguis crudior euadit, & aliud sanguinem ipsum aliena qualitate fœdari non ob potentiæ defectu sed ob qualitatis alicuius accessum*, vt contingit in nostro casu, intemperamen-

cum enim hepatis calidum extinguens primigenium est in caussa deprauatæ,& diminutæ coctionis, sicque non miror eundem languentem varios cõgerere humores; proindeque varia euacuat excrementa modo alba, modo flaua, variosque colores obtinentia; quæ quidem alba, & variegata excrementa, quamuis vt plurimum pituitæ sint consocialia, ac consequenter ventriculum, & caput vt genitiuam agnoscant caussam, non ob id tamen hepar non agnoscunt productiuum; quod agnoscens doctiss. *Saxonia par. 2. suę pract.* dixit: *Nam sicut ex frigida ventriculi intemperie interdum fit exquisita cruditas, interdum imperfecta coctio, aliquando praua coctio ad acidam, ita in Iecore ex intemperie frigida interdum fit inconcoctio, interdum imperfecta coctio, interdum conuersio ad extraneam qualitatem; & ex sublata coctione fiunt fluxus pituitosi, qui sunt vel aquei, vel pituitæ crassioris, & spumosæ*: nomine autem sublatæ coctionis non intelligit, illam esse vsque adeò abolitam, vt nil sanguinis generetur, verùm vt magnam chyli partem in succum crudum, vel aquosum, vel pituitosum conuertat; atque ex hac caussa crederem in nostro languente contingere album fluxum, calor enim ille immodicus dum natiuum depopulatur hepatis apepsiæ est in caussa, vnde & continuus pituitæ prouentus.

Quamuis non denegem eiusdem quoque maximam portionem, & à capite, & à ventriculo pituitæ sedibus in intestina descendere; nec immeritò caput enim nostri ægrotantis semper destillationib. obnoxium est inspectum, alteratrice eiusdem læsa; sic quoque ventriculus eandem pituitam congessisse patet, tum primigenij caloris inopia ab hepatis immodico calore præstita, tum propria ventriculi forma, & proprietate oblæsa, cum chylosis non tam caloris vi, quam insita ventriculi proprietate fiat, quamuis non ignorem omnem coctionem caloris ope, & ministerio perfici, propt. ventriculum omni ex parte Natura fouit, non ob id tamen calori simpliciter coctio tribuenda vt voluit *Laurentius* (ita enim igneus, & febrilis coqueret, qui omnia corrumpit) sed vt est animæ instrumentum, chylificatio verò à sola ventriculi forma, & proprietate perficitur, neque enim alibi vspiam, quam in ventriculo chylificat calor quantumuis validus: atque ita caput, hepar, & ventriculus ad pituitæ productionem concurrere videntur; prout primigenio calore huiusmodi partes depauperatæ cernuntur, quamuis *Platerus* hoc duntaxat contentus haud sit, existimat enim non sufficere ad fluxum hepaticum gignendum sanguificationis vel ἐματώσεως defectum, sed caussam aliam adhuc in hepate, & illis annexis venis myseraicis eamque insolitam addendam censet, quinimò huiusmodi fluxus caussam statuit potius caliditatem hepatis quam aliter; nec putarim eundem falli, modo de calore vt reor præternaturali intelligat, hic enim primigenium hepatis depauperando, & incoctionis est caussa, & productionis vstorum, biliosorum atque æruginosorum humorum.

Quamuis possimus asserere id pendere nedum ex viscerum antipraxia, vel iecoris caloris excessu, sed ex eodem calore, & obstructionibus, quod inter alios promulgauit *Saxonia* dicens fluxus biliosos, pallidos, & flauos, & melancholicos simplicem intemperiem sequi, croceos autem, cæruleos, eruginosos, atrabilares omnes, sanguineos, nigros, & splendidos calorem sequi cum obstructione; nam in omnibus his fluoribus præter iecoris caliditatem, accedente obstructione, humores prædicti retinentur, vnde si retineatur pallida, vel flaua bilis ex vlteriori vitione fit cærulea, vel viridis, si retineatur

Rr me-

melancholia naturalis ex vſtione tranſit in cineream, in atram bilem ſplendidam, ſi retineatur ſanguis melancholiæ miſtus, vt vel in ambitum corporis, vel in lienem liberè tranſire non poſſit, vlterius incaleſcit, & ratione melancholiæ coniunctæ ſplendorem contrahit teſte Gal. 3. de cauſſis ſympt. 2. vt proindè non mirer varios eſſe colores excrementorum, ſicq; poſſet etiam dubitari albedinem in excrementis non aliundè pendere aliquando poſſe ex chylo vel ab hepate non attracto eodem ab obſtructionibus impedito, ijs in venis factis à quibus chylus ad hepar defertur, vel ob hepatis eiuſdem imbecillitatem, quod ſimpliciter contingere in noſtro caſu haud crederem, nam maiori imbecillitate donaretur, maiorique afficeretur macie; hoc tamen non denegandum partem eſſe ſcilicet ipſum chylum, partem materiam pituiteam à capite & ventriculo deſcendentem, quæ ad inuicem commixta alba excrementa reddunt, ni velimus aſſerere cum *Sennerto* alba comparere excrementa, quia eſt impeditus ab obſtructionibus bili tranſcurſus; varietas autem illorum non ſemel pendet ab hepate intemperato, quod vt diximus varia quoque gignit excrementa, vel ob obſtructiones manentia in inteſtinis varietatem ſuſcipiunt; quare fluxus hepaticus eatenus dicendus, quatenus ſcilicet hepar conſentit intemperatum ob calidam dyſcraſiam, non autem eſt legitimus, quia facultas non eſt imbecillis, ita ut ſit læſa eius Lyturgia, ſeu ſanguificandi munus.

Quamobrem quamprimum ad huius affectus curationem nobis deueniendum eſt; ſolet enim innumeros parere morbos *ατρωσταμ* nempè, vel hydropem, vel in legitimum hepaticum degenerare, vel in hecticam, propterea cum dixerim morbum hunc pendere ex humorum copia, ex viſcerum antipraxia, ex obſtructionibus & denique ex retentricis debilitate, vel expultricis vitio proindè multiplex nobis conſurgit indicatio, primò euacuandi humores nimios, ſecundò intemperies eneruare, tertiò obſtructiones reſerare, & quartò tandem partes corroborare.

Quoad euacuationem, doctiſs. *Saxon.* dixit eandem vomitu eſſe faciendam, materia enim antecedens quæ obſtructiones auget, cum ſit chylo commixta, & in ventriculo augeatur, videtur eſſe educenda vomitu, quæ ſententia mihi pariter arridet, nam vt ait *Senex lib. de loc. in homine: Morbi ea parte qua proximi ſunt educendi, & qua parte ſingulis exitus quàm proximus eſt extrahendi*, eoque magis id conſulerem, quia ſic fieret euacuatio, & reuulſio à parte affecta, a Saxonia vomitorium probatur paratum ex decocto pulueris rad. aſari, doſis drach. 1. in vnc. 8. vel 10. iuris, & ſi quis addiderit vnc. 3. oxymell. ad incidendum non erit ſine ratione. quinimò idemmet clyſteres probat, neque enim eligendos eſſe putat clyſteres lenes, quales in Dyſſenteria, aut Diarrhæa bilioſa, ſed ſint medicati, vt poſſint electiuè à meſaraicis, & à concaua Iecoris parte ducere, ideoque parat ſequentem clyſterem ex decocto pariet; Mercurial is, betę, furfur. cui addit polipodij drach. 3. huicque decoctioni addit electuar. lenit. vnc. 5. mellis roſ. vnc. 3. ol. chamom. vnc. 3. miſ. f. clyſter. cæterum clyſteres poſſunt variari prout fero occaſio, non enim poſſibile eſt futuram curationem iniungere, ni occaſio eandem nobis obiectet, quod tamen mihi magis neceſſarium eſſe videtur, eſt dare aliquod medicamentum, illudque tamen leniens, nam materia quæ ab imbecilli expultrice emittitur per innumeras vices, vnàque inteſtina labefactat, nimio onere preſſa, ſatius à medicamento adiuta opus perficiet, quod ut Natura paulatim agendo nunquam

quam

quam compleret, à medicamine suscitata perficiet; leniens tamen debet esse medicamentum, quippè cum obstructiones adsint, impedimento sunt quin nimia excrementa à validiori attracta permeent, sicque ibidem obfirmata compingantur, ac maiores conuocent obstructiones; vnde pulcherrima adest circa hoc *Saxoniæ* sententia, quæ his verbis nobis refertur: *Hoc enim apud nos sit perpetuum, vasis Iecoris quocunque modo impeditis aut ab obstructione, aut à tumore nunquam licere vti purgante valido presertim in magna dosi accepto*. Subdit inferius: *Humores enim trahuntur à toto corpore in ipsum Iecur, & cum transire nequeant inflammationem, & obstructionem augent*. igitur eligantur purgantia per epycrasim, & alternatim vtendum purgantibus, & aperientibus.

Quicquid tamen sit ego ab initio darem sequentem potionem: ℞. agar. albiss. drac. 1. rhab. el. drac. 5. spicæ, schænant. cinnamomi an. scrup. 1. infund. in aq. absynthij colaturæ. ℞. vnc. 3. mellis rof. colati vnc. 1. mis. f. pot. cap. De sanguinis missione non loquor, cum iam sit bis missus, ac nunc non conueniat.

Quoad aperientia spectat, ego vterer sequentibus syrupis: ℞. fol. absynth. agrimon. rad. petroselini, capill. ven. gram. cichor. cum radic. endiu. acetosæ an. p. i. rad. fænic. vnc. 5. mis. loquantur in aqu. simpl. colaturę, ℞. vnc. 10. syr. de f. beton. de cichor. de duabus radic. an. unc. 1. s. mis. pro tribus dosibus, qui etiam possunt replicari, modo non vrgeat occasio denuò aliquod leniens exhibere, tunc enim vterer libenter syr. de cichor. cum rhab. mellis rof. sol. ad unc. 1. s. adijcerem decoctionem in qua bull. agar. rhabar. el. parum acerbi an. drac. 5. pulpæ thamarind. drac. 1. s. quod si adhuc perseueret affectio, tunc ad iura columbi alterata deuenirem ex cichor. cum rad. agrimon. acetosa, borragine, melissa, gram. capill. ven. cuscuta, marrubio, rubia tinctorum, rad. fæn. absynth. mentha, cort. citri, & anisorum portiuncula; cui si superfundamus syrup. de cichor. de duabus rad. & bizantini non erit absonum; *Saxonia* antequam præbeat huiusmodi aperientia dat duas pillulas conflatas ex sequentibus: ℞. trochis. de eupat. de rhabarb. an. drac. 2. cum aqu. agrimon. f. pillulæ 12. quarum duas exhibet.

Quod si fluxio fuerit immodica, tunc sanè ad adstringentia confugit Mercatus, attendendum enim ad id quod magis urget, neque alterum negligendum; cæterum circa usum adstringentium ego ualdè dubitarem, siquidem cum dixerim huiusmodi morbum ab obstructionibus pendere, procul dubio si adstringentibus vtamur, magis oberimus; quare potius roborantium usum commendarem, quæ citrà adstrictionem id efficiant, quam aliter; ideò poterimus tabulas præscribere ex speciebus Diarhod. Abb. arom. rof. troch. de rhab. de eupator. & similibus; sic poterimus uti fotibus corroborantibus, & inunctionibus, & cataplasm. quorum magna est silua, ideoque hæc omnia missa facio, cum adsit latoris celeritas quæ mihi non concedit ulterius diuagari, utere ergo optima uictus ratione quam ut optimam obseruare mihi notum est, & ideo nil dico. Vale, meque inter tuos minimos benignè connumera.

Datum Aquilæ hac die
10. Augusti
1646.

PRO PERILLVSTRI ET Adm. Rener. D. D. Carolo Palla Abbate Leonissano fluxu hepatico laborante.

CONSVLTATIO LXX.

DVo ad fluxum hepaticum faciendum concurrere, calorem nempè primigenium imbecillum, & debilem hamatoseos facultatem nemo est qui ignoret; ille enim legitimus ab omnibus constituitur affectus hepaticus, in quo scil. semiconfectus sanguis apparet; quod non aliundè pendere censeo, quàm ex Iecore sanguinis officina, illud enim ut aiebat, *Iacchin. in 9. Rhasis* omnium malorum est occasio, sed potissimum cum κακωπραγιαμ, seù ατωνίαμ concepit, unde contingit ημαπωσιν lædi, ex cuius læsione innumera mala prosiliunt; quam quidem caloris iacturam non aliundè hepar est nactus, quàm ex immodico eiusdem, & aduentitio calore, concepto tum ob errata in motu, tum ob calida nimis assumpta medicamenta, tum ob uiuendi normam, tum ob reliqua errata; quod quidem incendium fuit nedum in caussa lesæ αιματωσεως, sed humorum separationis; motus enim calorem inuehendo, & quantitas facillimè eandem genuerunt.

Humores enim disgregari propter excessum unius eorum secundum quãtitatem rationi consentaneum est dixerat *Martian. in comm. lib. de nat. hum.* ita ut qui cæteris præstat eis associari, & contemperari recuset, quam disgregationis caussam indicauit *Hippoc. lib. de insom.* dum inquit: *repletione enim intus facta, secretio quedam contingit quæ animam perturbauit.* quod motus etiam separationis sit caussa explanauit pariter *Hippocrat. 4. de morb.* aptissimo Scytharum exemplo, qui agitatione lactis butyrum, ac serum, & caseum segregant. quod etiam nobis declarat alterationem secundum qualitatem eandem disgregationem efficere, eò quod lac succo immisso conglobatur, & circa ipsum inspissatum serum segregatum apparet; id enim euenire ait *Hip.* quia frigiditas ab immisso succo in lacte introducta, est caussa vt inspissetur; & ab eo separetur serum; subdit *Martian. Verum non frigiditas tantum id præstat, sed quælibet alteratio, quæ magna sit, & ad substantiæ corruptionem procedat, quando videmus æstate propter excessum caloris lac absque coagulo inspissari, & multa esse cum calida, tum frigida quæ lacti imposita illud coagulant, & serum à caseo separant*: quæcunque igitur humores augere, aut agitare possunt, ea omnia disgregationem facere in humoribus apta sunt: quam quidem separationem explanat *Senex lib. de Natur. hom. tex. 6.* aiens: *Sanus equidem maximè est, vbi temperamentum hæc inter se habuerint moderatum, tum facultate, tum copia, & vbi maximè fuerint permixta; Aegrotat autem, quum horum quid minus, aut amplius fuerit, aut separatur in corpore, & non fuerit reliquis omnibus contemperatum, necesse est enim quum quid horum secretum fuerit & per se steterit, non solum eum locum vnde secessit morbidum fieri, sed etiam eum in quo stat, & in quem propter nimiam copiam diffusum est, dolore, ac morbo vexari*; in qua separatione tria concurrere animaduertimus, partem vnde primò est motus, spatium per quod mouetur, & locum ad quem tendit; quod volens explanare *Hip. in epid.* dixit tria esse consideranda, vnde, quò, & propter quid; quod si velimus vnde considerare, dicerem istiusmodi materiam fluxum faciente

ciente ab initio Dysentericum esse hepar feruidissimum, quod in sui consensum trahit etiam ventriculum, quò iuerit hæc materia non est vt disquiramus, cum intestina sint illa quæ recipiunt.

Propter quid autem iam diximus, nimirum propter copiam, calorem, & motum, vt bene dixerit *Gal.* caussam motam difficiliorem esse quiescente; cæterum quænam sit hęc materia quę peccat, id excreta possunt indicare, cum varia sint, modo porracea, modo biliosa, modo æruginosa &c. hæc ab hepatis feruore congenita, illa à ventriculi calore per assationem; quę quidem sua mordacitate, & acrimonia dolores nedum titillando genuerunt, sed quia in intestinis excoriationem aliquam fæcerunt; hocque crediderim voluisse Senem *præfato tex. de nat. hom. tex. 6.* cum dixit: *etenim quum quid horum extria corpus effluxerit amplius quam redundat, euacuatio ipsa dolorem exhibet, rursus itaque si idem intus fecerit euacuationem, & transitionem, ac ab alijs secretionem geminatum dolorem exhibere necesse est, velut dictum est, nempè & vnde secessit, & vbi receptum redundat*: cæterum nescio quis modus loquendi sit iste quem habet hic *Hippoc.* dicit enim euacuationem intus esse: cæterum semper diuinè loquitur vt semper *Hip.* nam de duplici euacuatione hic loquitur, seu motione, quarum prima est dum mouetur humor ab vna parte, atque ità mouetur, vt in corpore non remaneat, sed euacuetur extra corpus, sicque dum transit tantummodo hęc materia dolorem exhibet: secunda, est dum mouetur humor ab vna parte, & in aliam partem corriuat, absque eo quod euacuetur, sed remaneat in eodem loco, tunc enim necesse est duplicem dolorem fieri & vndè secedit, & quò vadit & permanet, dolorem ex Hippocrat. *propter valde exsuperans sit*, indeque *Gal.* aiebat *2. de sympt. causs. cap. 5. In singulis quorū natura permutatur, & corrumpitur, & dolores fiunt*: quodcunque enim obiectum quod in partem agat sensitiuam aptum est dolorem peragere, ly enim corrumpitur, vt notat *Gal. p. de sympt. causs. cap. 6.* magnitudinem mutationis indicat, & celeritatem; vt proinde mirandum haud sit si obiectum proportionatum quale est bilis tum æruginea tum porracea dolores crearit in intestinis tum tenuibus tum crassis, crassis quidem, quia dolor etiam infrà vmbilicum percipitur, & aliquando non nimis diuturnus, intestina enim crassa vt voluit *Senner.* tenuibus sunt magis carnosa, atque ideò minus sensitiua, præter non raró cruor in excrementis supernatat; non raró rectè permixtus cernitur, signum patognomonicum intestinorum tenuium affectus, quod ex eo pariter innotescit, quia dolor non raró acerbior, & diuturnior est: ideoque & diuturnum morbū facit, & aliquando in deteriorem fluxum commutatur, vt in nostro casu contingit, vt propter dixerit *Senex. Pro quibus qui morb.* mutata enim excrementa in similia loturæ carnium, fluxum verè hepaticum monstrant, quod non aliundè pendet, quam ex Iecoris dyscrasia, siue ea calida sit, siue frigida, qua eius sanguifica vis vt vult *Mercatus* imbecilior factam, licet chylum trahat, minimè ad sanguinis perfectionem ducit, sed simile quid loturę carnium efficit, nam rudiorem sanguinem quem à venis meteriæ (vbi inchoatur αἱμάτωσις vt *4. de vsu par.* aduertit *Gal.*) accepit, non conficit, ex quo morbo sequitur prædictum symptoma nempe exiens mutatum per aluum, & per interualla excretum, loturæ carnis persimile: sicq; non immerito *Platerus* ad fluxum hepaticum faciendum dixit cōcurrere caliditatem scil. hepatis, & sanguinis mesaraici summam tenuitatem, quæ oscula venarum aperiat; quicquid tamen sit non est dubitandum.

fluxum

fluxum hepaticum legitimum prouenire ab hepatis imbecillitate, ob quam sanguificatio non rectè perficiuntur quamuis non desint qui dicant esse etiam affectum venarum, cum venis tribuant primam ac præcipuam sanguificandi vim, quam opinionem tenuerunt *Vesalius lib. 3. anatom. cap. pr. Iouber. pr. decad. paradox. 4. Schenchius in disput. de sanguificat. instrum.* ratio quam adducit id hęc est: nam venæ sunt partes seminales in quibus viget magis calor, & consequenter in his præcipua viget actionis pars. Præterea caro Iecoris non tangit chylum, sed venæ; Insuper sanguificatio non est tantum humoris rubri generatio sed etiam generatur bilis flaua, atra, pituita, serũ, quinimo ipse *Gal. p. de natur. fac.* 4. venis cùm sanguificandi tribuit: hoc tamen sit obiter dictum, nam ego volo communi sententia stabilire fluxum hunc hepaticum ab hepate refrigerato à nimio calore fieri, nec immerito quia ab hepate tanquam in fonte & radice facultas sanguificandi existit; videatur tamen *Zacutus lib. 8. cap.* 14. qui hanc de venis sententiam reijcit, facto tamen vt reor, sed de hoc alias, detur ergo hepati pro tempore sanguificandi munus eidem dari quoque debet eiusdem diminutio nec immerito; nam vt aiebat *Duretus in Coac. p. 322. est consentaneum vt si robur hepatis* καὶ δύναμι*a fundamentum habeat* τὴν εὐκρασίαν*: imbecillitatem* καὶ ἀτονίαν *inferat* δυσκρασία *pregrandis multum scil. à naturali temperamento egressa in omni genere intemperiei*; propterea que non mirandum variari excrementa non raro, quia vt aiebat *Iacot. 5. Coac. Cruenta qualia diximus quia in venis mesaraicis inchoatus sanguinis, & rudis non perficitur ab hepate infirmo, sed effluit per interualla, aut retentus crassescit, corrumpitur, & aduritur, vnde ex cruentis nigra, & fętida excluduntur, deinde* ὑδατώχολα *quasi ex aqua, & pauca bile mixta*: nam calefactum hepar, sed robustum, sicca, aut biliosa, & lenta reddit, quia lentor est modus calefactionis vltrà aquam citrà siccitatem, liquor verò, & tenuitas sine lentore, cruditatis citrà incrassationem; sic *lib. 4. de vict. rat. in acut.* (vt est apud eundem *Iacotium*) *Gal.* hepate phlegmone obsesso vri excrementa, & exsiccari, veluti quę σταυραθώδη appellantur, & σκύβαλα, modo ne coniuncta sit imbecillitas, cum imbecillitate autem liquida deijci, quia ad se alimentum trahere nequeat. ex quo subdit *Iacot.* intelligitur imbecillitatis hepatis multos esse tanquam gradus, qui excrementorum species variant, nec ab omni imbecillitate hepaticos dici; quam quidem imbecillitatem expressisse puto *Holler. in comm. Coac.* dum dixit: *At proluuies rubens retentricis, & aliquando sanguificæ virtutis hepatis symptoma est, rubent autem plus, minusue, vt vel magis vel minus coctus sanguis est, vt multus vel paucus*: Talis ergo in hepate requiritur imbecillitas, vt coctionem vel ἐμάθωσιν destinat; ideoque fluxus hepaticus maximum solet ægrotantibus discrimen afferre, tum magnitudine partis nam læditur viscus omnimodè necessarium, & sanguificum; tum ratione materiæ quæ alendo necessaria est excretione, & spirituum simul effluentium exolutione, vnde verum hepaticum ait *Iacot.* ἐκλύειν quare summo studio incumbendum vt æger curetur, nam quamuis non rarò solutus esse videtur, tamen reuertitur, vt enim ait *Gal.* perseuerante Iecoris imbecillitate non est tuta salus, siquidem vt reor adest caussa productiua, quæ morbum iterat; ac proinde quamuis benè possit se habere, timendum est de recidiua, si tamen obtemperans fuerit & medicamenta faciat, cum sit Iuuenis sperandum est de eiusdem salute.

Quicquid tamen sit, cum dixerimus concurrisse multa ad hoc pathema facien-

faciendum, nempe humoris multitudinem, calorem Iecoris, eiusdemque imbecillitatem, & intestinorum vlcus, propter ea consolidandum vlcus, roborandum hepar, & alterandum, & tandem multitudo deplenda esset, ni primò supponeretur à natura, & ab arte depleta, præterquam quod in legitimo fluxu hepatico nunquam conuenit euacuatio; si tamen aliqua cacochymia exsuberare haud cernatur, nam vbi corpus vitioso aliquo humore redundarit non inutile erit leue aliquod medicamentum iniungere, quod non erit ab re in nostro ægrotante, qui non nimis obtemperans solet noua congerere excrementa: quod si sola rubra proluuies emanet, ab omni euacuatione abstinendum; etiam à sanguinis missione, quæ nullo pacto competere potest virium oblæsarum ratione, & profluuij caussa; quamuis non ignorem cum Iecur, & viscera sint calida, & ob hanc caussam humores torrefiant, & adurantur sanguinem esse mittendum vel è basylica vel è saluatella, tamen quia illum missum suppono, non est vt nunc illum mittere intendamus, cum scil. læsa est sanguificatrix, vires sunt redditæ imbecillæ, & macies est introducta; sic *Senner.* dixit: *In legitimo sanguinis hepatico fluxu ab euacuantibus abstinendum, sed hepar roborare, & calidum innatum reficere oportet, vt aucta calidi innati substantia ad pristinam constitutionem hepar reducatur*; sic *Mercat.* etiam dixit: *quod si dilutus sanguis excernatur, constetque nullo alio vitio conspurcari, sed Iecoris calorem modo ab impenso calore dissipari, absumique eius substantiam, modo diutinis, & vehementioribus euacuationibus euanescere, & imminui (quibus legitima hepatica proprius efficitur) tunc quidem à vacuantium auxiliorum vsu abstinere oportet, (ni quid simul vitiosum redundauerit, cuius occasione leuiter, & lenibus medicamentis vti cogaris) sed omni arte Iecur reficere, roborareque opus erit, & adaucta calidi innati substantia ad antiquum temperamentum reducere*; ideo ego summe laudarem ius galli antiqui videtur enim esse medicamentum in alimento, præterquam quod vt ait *Card. 3. de sanit. tuen. cap.* 15. ius galli antiqui lauat, abstergit, aperit, flatus dissipat, prouocat, aluum soluit, atque melancholiam purgat; quod pariter asserit *Galenus 3. de simplic. medic. facul.* quamuis alias asseruerit eius carnem adstringere, & quamuis *Saxonia* ius Galli probet cum vsu nimium calidorum, ego autem eadem refrigerantium vsu temperarem, quippè in nostro casu calor hepatis aduentitius, eiusdem primigenium depeculatur, sumerem ergo absynth. pont. Iunci odor. spicæ, an. p. s. borrag. acetosæ cichor. cum rad. agrimoniæ cuscutæ an. p. i. cort. citri vnc. s. sem. fænic. drach. 1. plantag. portul. an. parum, mis. imponantur omnia in ventre Galli flagellati, & euisceratI, bull. ad perfectam Galli cocturam, & facta omnium expressione detur hoc ius ad lib. 5. singulo mane per dies viginti; sic idem *Saxonia* laudat aquas thermales sulphureas, salsas, & aluminosas; ex destillatis aquis etiam aliquæ possunt commendari, quæ virtutem habeant, & refrigerandi, & calefaciendi vt tonus seruetur visceris; sequens ergo stillatitium probarem ℞. iuris in quo bullier. spicæ p. s. absynthij pont. calami arom. an. p. s. menthæ viridis, eupat. borrag. cichor rad. fænic. acetosæ, fumariæ an. i. adde sp. arom. rof. Diarhod. Abb. an. drac. 5. s. rasuræ eboris, cornu cer. an. drac. 2. conf. Hyacinthi, AlKermes dissol. in vino rubro, & odor. an. vnc 5. conf. rof. vet. florum borraginis, an. vnc. 2. Iecoris Lupi rec. vino abluti vnc. 4. macerentur per diem, & f. s. a. omnium stillatitium; sic *Zacutus* laudat vinum ex rhapontico.

Nec inferioris vsus erunt tabulæ confectæ ex spec. Dialaccæ, Diacurcumę,

trochis.

rochis.cyph.cum trochis.de rhab.cons.ros.vet.& sacch. Nec enim inferioris vsus est medicamentum, quod à doctissimo *Ludou.Septallio* proponitur, *lib. 7. suarum animadu.num.* 105. quod præstantissimum nuncupat, & ab ipso multoties probatum; sumit enim vuam rubram, quam Pignolam Mediolanenses appellant, acinis est non magnis, racemis adstrictis, vt tardius maturescat, & vinum nobile, rubellum, & quod picantem vocant facit colligi debet, dum media est inter acerbitatem, & maturitatem quod solet esse versus diem festum Natiuit. Virginis mense Septembr. Soli per primos quattuor dies exponitur, mox in furno semi excalefacto exsiccatur, & seruatur ad vsum, & veniente occasione, quoniam emollescit in vase vitreato, aut ad ignem, aut in fumo iterum exsiccatur adeo vt in puluerem duci possit, Huius dra. 2. per duodecim, aut quindecim dies ex vini rubri potentis vnc. 4 singulo die per quattuor horas antè prandium exhibet, & cum hoc solo præsidio non paucos ad pristinam sanitatem deduxit.

Neque interim dum hæc fiunt abstinerem ab extrinsecis remedijs quæ, & roborandi vim pariter obtineant, ideòque hepatis regionem inungerem ol. ros. de absynth. & de spica, sic quoque possint fieri fotus cum aqu. & vino in quibus bullierint absynth. menthæ, spicæ malu. an. m. i. florum chamom. aneth. an. p. i. sem. lini, anis. cumini an. vnc. 5. mis. bull. s. a. & f. fotus Iecoris regioni. *Saxonia* ceratum applicat, quod quia nimis calidum omitto non omittens vsum emplastri de crusta panis, Diaphæn. & similium.

Pro abstergendo autem vlcere, & consolidando satis laudo clysteres, qui à vobis scribuntur, quamuis non ignorem à *Gal.* fieri etiam ex muria, & alijs validioribus à quibus abstinerem, non ob id tamen desererem clysteres ex aqua Tettutiana, quemadmodum eandem ebibitam pariter probo. non defuere qui in hoc affectu balneum probarunt, quia illud humorem reuellit ad cutem, vt 1. *ad Glauc.* 14. sic in superpurgatione optimum est auxilium, *Hippocrat.* tamen 3. *acut.* 59. balneum improbat aiendo eos non esse lauandos, qui in morbis aluum plus iusto humidiorem habent. *Zacutus* balneum videtur commendare coacta tamen necessitate, etsi enim ad præsens fluxum augeat, in posterum tamen Iecur attemperando, & reuellendo ad cutem fluxum sistit.

Cæterum vt liberè fatear à balneo abstinerem, nam cum supponamus à calore valido esse factum imbecillum calorem primigenium ex balneo magis fiet imbecillis, quod probauit *in epid.* Vir ille Atheniensis ab *Hippoc.* relatus, qui pruritu tenebatur, cumque transgressus fuerit ad Melum vbi sunt calidæ balneę factus est hydropicus. Veruntamen quicquid agatur, nihil proficuum esse sperarim ni debita victus ratio adiungatur; sit ergo comestio auicularum montan. veruecis, perdicum, gallinarum, pipionum, & similium; Vinum bibat mediocriter lymphatum aqua chalibeata, exercitium sit moderatum, & caueat à quocunque animi pathemate. Hæc ergo habui quæ dicerem currentissimo calamo pro delendo si fieri potest doctissimi nostri Abbatis affectu, Deus sit ille, qui omnia secundet.

BRO

PRO IOANNE LIPPO
Aquilano Diabete laceſſito.

CONSVLTATIO LXXI.

OMne nimium naturæ inimicum exiſtere docuit *Hippoc. in aphoriſm.* quod confirmauit *Galen. lib. de exerc. parua pila* dum dixit: *Nimium quod eſt reprehendo ſemper, omnemque qua exerceri velimus Artem eſſe moderatam volo, quę ſi modum excedat iam bona eſſe deſinit*: nam vt alias dixerat idem *Gal.* nimirum *lib. de puer. epilept.* colliquationem affert vbi fuerit immodica; vt propt. haud mirandum noſtrum ęgrotantem in Diabeticam paſſionem incidiſſe, cum nimio labore vſus ſit, nimis ſeſe exercuerit, ac ita renes calida dyſcraſia intemperarit, vt & lotij profluuium procrearint, & validam illam ſitim, ſeu διαψημ; eſt enim Diabetes nil aliud teſte *Aetio tetrabib. 2. ſerm. 1. cap. 1.* quam affectio diuturna circa renes conſiſtens, multum potum inducens, vna cum hoc quod quicquid bibitur, ſimul vt acceptum eſt per vrinas eijcitur, *Paulus lib. 3. cap. 45.* vt eſt apud *Zacutum* eandem definiuit vt ſit potionis tranſmiſſio, qualis fuit aſſumpta: *Galen.* dixit eſt velox exitus per vrinam, ac exuberanter eius quod potatum, eodem à ſua qualitate non mutato, indèque non immeritò *Sennert.* dicit quod hæc affectio vocatur Διαβήτης à διαβαίνω ideſt tranſeo, quod ſcil. vrina citò tranſeat; Alij ὕδρωπα τὶς ἀμίδα hydropem ad maculam. Alij vrinæ profluuium. Alij διαῤῥοίαν τὶς οὖρα. Alij διψακὸν ἀπὸ τῆς δίψις à ſiti vehementi, quam patiuntur ægri; quæ omnia in noſtro reperiuntur ægro, vrinæ adeſt cæler euacuatio, eiuſdem adeſt profluuium, & tandem ſiti quam maxima vrgetur, quem quidem affectum vt rarum & bis tantum à *Galenus* viſum in noſtro languente videre eſt, & quod magis mirandum tantam cernere vrinę copiam profluentem; vt nunc non mirer *Hollerij Scoliographum*, quendam hominem retuliſſe qui quotidie ſex pintas Lutetianas emingebat; ſic *Dodonæus cap. 42. ſuarum obſeru. medicam.* vt eſt apud eundem *Sennert.* refert quendam vidiſſe, qui vno die quadraginta libras vrinæ reddebat; videri poſſunt alię hiſtoriæ apud *SchencKium lib. 3. obſeru. medic.* à quo *Sennert.* omnes hauſit hiſtorias; & quod magis eſt, ſiti adeò valida cruciatur, vt ſi vel lagenas aquæ ebiberet, nunquam ſaturetur, ideòque huiuſmodi affectus à Medicis *Διψακὸς* nuncupatur, hoc eſt quaſi vehementer ſitiens. orta ſanè ex nimio, & renum, & hepatis, & uenarum calore, qui attractricem harum partium deprauans, huiuſmodi gignit pathema, indèque doctiſs. *Saxonia* dixit in hoc affectu primum lædi primò, & per ſe facultatem attractricem, nam vt fiat Diabetes hic ordo prærequiritur, ut renes importunè ſugant ſeroſitatem in venis contentam; venæ iam exſiccatæ attrahant à Iecore, iecur pariter exinanitum ſugat ab ore ventriculi, & tandem os ventriculi exſiccatum multam requirat potionem.

Quam tandem aſſumptam ſtatim dimittat in renes, non quod primò, & per ſe læſa ſit retentrix facultas ventriculi, & inteſtinorum (nam ſi adeſſet vitium retentricis, fieret lienteria, eſt enim lienteria vt vult *Gal.* deiectio non tam cibi, quam potus:) ſed quod ſit importuna Iecoris, uenarum, & renum attractio, quæ quidem ideò importunè ſe gerit, quia caliditas in partibus

adest vel cum materia, vel sine materia; quamuis *Auic.* dicat hàc importunam actionem fieri ex frigida renum intemperie retentricem facultatem debilitante; quod reijcitur à præfato *Saxonia*, nam vbi tanta sit frigiditas quæ retentricem vitiat, desinit omnis attractio; propterea ait lædi cum attractrice potius expultricem, quia irritatur vel à copia tantum, vel ab acrimonia rei potulentæ, sicut & attractio ab intemperie fit, vel à meteria salsa, & biliosa in renum substantia imbibita, & impacta, ab alijs partibus profluente, vt Iecore, capite, cerebro, vel denique à toto corpore: quippè ad modum caninæ appetentiæ ventriculi, renes quoque ipsi auidissimè multum serosæ substantiæ alliciunt, & cum eam non possint continere, neque conficere, protinus pellunt ad vessicam, vt vult *Mercatus*, quod ex multis contingit caussis vt dixi, vel à simplici calore vt dixit *Paulus*, vel à calore cum mordacium humorum affluxu, vt statuit *Aetius*, vel à frigiditate vt *Aretæus*, *Mercatus* tamen statuit vehementis tractionis renum caussam esse eorum calidam intemperiem, nec immerito; quia cum attractio huiusmodi sit actus deprauatus non autem diminutus sequitur vt ex calore pendeat, non ex frigiditate, quia frigidum apud omnes actionem diminuit, calidum deprauat; sic *Eustachius Rudius* 2. *Pract. cap.* 39. præter renum calidiorem intemperiem dixit adesse etiam Iecoris calorem, & ventriculi retentricem læsam. *Ioannes Baptista Siluaticus*, *Actuarius* & *Gal.* 6. *de loc. aff. cap. p.* dixerunt adesse insignem calidam intemperiem in hepate, & toto venoso genere, quæ sanguine fundit, & in serum mutat, quod à renum attractrice trahitur, quæ sane sententia maxime omnium arridet, videmus enim hoc affectu totum corpus æstuare, serum subito allici, inalteratum, quod non fieri posset si solum renes paterentur, quia vis hepatis, & venarum alteratrix immutaret non obid defuerunt ex iunioribus vt idem *Mercatus* insinuat, qui huiusmodi affectum ex positiua frigiditate oriri sanciant, quod probant euentu in his qui potibus nimium refrigeratis niue vtuntur, in quibus vel calorem coquentem venarum & Iecoris extingui contingit, (quo facillimum est conijcere velut crudum protinus, vt in lienteria proijci) vel renum attractricem plurimum excitari ab ingenti renum appetitu, ex prædicta frigiditate, haud secus quam infame canina cibi appetitus excitatur; *Trincauell. lib.* 10. *cap.* 11. pariter Diabetem reijcit in renum imbecillitatem à frigore contractam, quod probat historia cuiusdam viri nobilissimi qui cum aquam gelidissimā biberet renes tantam imbecillitatem contraxerunt, vt potum omnino immutatum redderent, sed reijcitur à Sennetto, nam si vitium in renibus fuit, quare tam subito ad renes potus peruenit? præterquam quod ijdem refrigerati non potuerunt facti imbecilles trahere, cæterum ad hoc respondet *Mercatus* aiendo quod si loquantur de illigitimo Dypsaco facto non à renum valida attractrice, sed à serositate redundante per vniuersum corpus ex potu frigido nata concedit, posse Diabetem nasci, non enim tunc renes trahunt ex intemperie, sed ex indigentia, nam refrigeratis Iecore & venis, verissimum est crudam; & copiosam vrinam gigni quam trahentes renes protinus reijciunt, tum ratione ponderis, tum quia dissimilis est, nullum inde capessunt alimentum, quò fit vt auidius trahere gliscant.

Cæterum mihi non potest id arridere, nam duo concurrunt, seù resultant symptomata ex Diabete, quorum vnum est sitis inexplebilis, alterum verò non mutata potio; quomodo ergo contingere potest vt sitis à frigido manet,

crudi-

cruditatibus vndique corpore pleno, cum eadem nobis siccantibus fiat vt voluit *Gal.* vel ex humidi inopia, vt idem perhibuit? Præterea si crudæ vrinæ redduntur, quomodo Diabetem efficiunt, quæ pro pathognomonico signo immutatam habet vrinam, nam si cruda, ergo aliqua est præstita immutatio, non enim quia cruda, aliquam à calorem non habuit actionem, diminutam tamen; quamobrem nullo pacto ex frigiditate Diabetes consurgit, cum deprauata actio qualis est huius affectis à calido solum prosurgat; quod si ex potu frigido nonnunquam Diabetes consurgat, dicendum id non fieri ex attractrice deprauata, sed potius retentrice debilitata, ac nequeunte serositates à varijs partibus congenitas retinere, quæ non ob id Diabetes nuncupanda, sed potius vrinæ profluuium ortum ex partium imbecillitate, verum non tantum esse poterit, vt in Diabete, quæ calorem vt caussam habet liquantem, sanguinem, & in serum commutantem eius maiorem portionem, quod quidem à renibus attrahitur, & in vessicam protruditur, siq. nil miro simacies illa in nostro ægro consurgat, nam cum sanguine partes orbentur, inde est vt nutritio haud fieri possit, qua ablata; cessat etiam corpus ali, & necessario extenuatur vnde *Valles. 6. epid sect.* 5. dixit: *Arescit quidem quia humiditas non moratur interius, sed effluit multa;* quinimo *Aretæus lib. 2. de causs. & sig. diutur. morb. cap. 2.* diabetem esse scripsit carnium, ac membrorum colliquationem in vrinam; hæc sunt eius verba: *Diabetes qui vocatur affectus, miraculum quoddam est, haud ita sepe hominibus vsitatus carnium ac membrorum in vrinam colliquatio:* sic *Hip. 6. epid* dixit: *Vrina concolor cibo & potu, & vt consueuit humidi colliquatio,* subdit idem *Valles. in comm.* 14 *Itaque congruit huic morbo vocari humidi colliquationem, siccatio enim humidi colliquatio est, atque etiam colliquationem, vbi humiditas multa, idest, colliquationem, vbi humiditas multa, idest multa aqua minguitur, & ab humiditate colliquationem, arescit corpus à multa mictione est autem proprium huius morbi reddi vrinam incommutatam, concolorem cibo, & potu, quod per eam affectionem, & concoctrix hepatis, & retentrix renum facultas debilitata sit, attractrix verò renum operetur plus satis.*

Quæcunque tamen facultas sit læsa, non primario læsa dicetur, sed secundario, & ex accidenti, sola enim attractrix est illa quæ attrahens materiam liquidam à partibus illam in renes traducit, quod autem ob copiam, vel pondus retentrix quoque oblædatur non est mirandum; quod si coctrix læditur, id etiam per accidens est, impossibile est enim nullibi coctionem fieri vbi non datur debita mora, non enim coctio fit in instanti, sed tempore indiget, ideoque hæ facultates præter attractricem non per se, & primario, sed secundario sunt oblesæ; atque hoc modo intelligendus est *Gal.* quando dixit tres esse facultates noxam subeuntes, Attractricem nempè, retentricem, & alteratricem; De attractrice loquutus est *6. de loco aff. 3. & p. de cris.* 12 per hæc verba: *Igitur vt ex ventriculo Iecur per mesenterij venas velut arbores à terra per radices alimentum ad se se trahit, sic etiam renes sibi quicquid in venis est aquosum alliciunt;* De retentrice hæc habet: *Proindè Diabetis renum imbecillitas non potentium diutius continere vrinam censenda est:* nec implicat eosdem renes debili retentrice pollere, validaque referri attractrice, nam sicut eodem in loco *Gal.* asserit: *Quemadmodum canina appetentia in ventriculi ore consistens, non potente ipso sustinere pondus deuoratorum, multa impetuosa ingerere, eademque celeriter excernere cogit, sic in renibus etiam serosi humoris cupiditatem vna cum virium imbecillitate accidere, vnde & humiditatem affatim trahere, & eam mox in vessicam*

pellere ipsi renes coguntur: De alteratrice denique facultate læsa loquutus est pariter *Galenus* dum *loco supr. cit.* dixit: *Hoc morbo affecti inexplebili siti vexantur, quare & exsuberanter bibunt, & reddunt totum id quod biberunt minimè à sua qualitate mutatum*: quicquid tamen sit dicendum vt superius dixi duas has facultates alteratricem nempè, & expultricem in hoc affectu secundario, & per accidens lædi, nam si duæ facultates læderentur, non oblæsa attractorice vera Diabetes non fieret, sed satis spuria.

Quamobrem dicendum nostri ægrotantis ex immodica exercitatione renes, & hepar ita potuisse incalescere, vt deprauata facultate attractrice; tū ab intemperie, tum etiam & à materia salsa, vsta, & mordaci, vt videre est etiam è scabie minuta, & vniuersi corporis pruritu Diabetem genuerit: quæ eundem adeo fatigat, vt noctu, diuque molestetur continuo vrinæ profluuio & quod magis est siti crucietur, ex violenta vt puto seri attractione: ex quibus patet quam sit dirus huiusmodi affectus, nam vt ait *Zacutus lib. 8. cap. 17.* ob excedentem renum caliditatem non solum humores venarum, verum etiam totius corporis immoderatius liquantur, & attrahuntur, quarè subsequitur retorrida siccitas, velut in marasmo, quæ in immedicabilem tabem transit necessario, maximè cum plures cuiusque generis actiones, & vires sint impeditæ; ideoque quam primum ad curationem accedendum: quę à multiplici fonte desumenda, prout multiplex proponitur indicatio, nam renum calida intemperies indicat refrigerantia, & quia cum materia, euacuantia: retentrix, & alteratrix facultas roboranda.

De magnis auxilijs sic determinat *Zac.* si affect⁹ incipiat, & vires adsīt ad euētilandum, & refrigerandum sanguis è basilica potest emitti lenia expurgantia in eundem vsum possunt concedi, quæ acrium humorum momentum per aluum deturbent; Mercatus sanguinem mittit ex talo, si ex inhibitione tamen humoris biliosi, & acris in renum corpore malum prodeat; *Saxonia*, & *Senner.* videntur venæ sectionem improbasse quia vires iam autem delectæ sunt, & plerumque alius morbus præcessit, *Saxonia* dixit in principio posse quidē venā secare, verū dum nos principium credimus status existat, & ideò rarè in vsum venire venæ sectionem, quia cum in statu est tota humiditas serosa quæ in venis, Iecore, & ventriculo continebatur iam est assum pta, & corpus iam est exsiccatum; sed quicquid sit ab omni sanguinis missione abstinerem, quia & est annosus, & emaciatus, vndè potius ad leue aliquod medicamentum confugerem humoribus tamen prius ad expulsionem paratis vt ℞. syrup. de agresta, de ribes, myrth. an. vnc. 5. dec. plantagin. lactucæ, protul. poligoni vnc. 3. mis. pro supra cap. Pręparatos sic humores sequenti medicamēto poterimus euacuare ℞. syr. ros. sol. vnc. 3. rhabarb. el. inf. & exp. in aq. plantag. drac. 1. decoc. cord. q. s. in qua bullier. myrab. citrin. drac. 1. pulpę thamarind. drac. 2. mis. f. pot. cap. Mercatus etiam laudat cassiam masticare bis, aut semel in hebdomada superbibita aqua hordei vel cucurbitæ; quibus pręstitis *Mercatus* laudat sudorifera ad euocandam seri substantia in cutem ideoque laudat radicem chinæ, vel decocto pentaphylli, vel florum papaueres erratici, quamquoque opinionem *Aetius & Arabes* acceperunt, cęterum hanc operationem valdè suspectam habet, primò quoniam ex vsu sudoriferorum attenuantur magis humores, & incalescunt, vndè faciliùs à renibus trahuntur præt. *Saxonia* meam quoque confirmans sententiam dixit sudorifera serùm perfectum non posse educere, quia in venis non adest, cū

sint

sint exiccatæ, in Iecore non fit, igitur attrahent rem immutatam potulentam scilicet in Iecore enim serum non retinetur, sed multò deterius est potiones immutatas distribui in omnes venas, & totum corporis ambitum, quam statim per lotium educi, ideoque ipsemet Sax. potius laudat dyuretica vbi renes fuerint imbuti salso, & acri humore.

Cæterum vt liberè fatear à dyureticis abstinerem, nam præterquam quod caussam calorificam intendunt, cum etiam debilia sint calida ex *Hippocr.* vrinam magis mouent, potius ergo abstergentibus vterer medicamentis quam aliter; ideoque ego possum liberè asseuerare me senem quendam persanasse solo vsu ptyssanæ hordeaceæ, viscositas enim huius leuis est, & iocunda, & continua, & lubrica, & moderatè humida, & sitim eximit, & facilè eluitur, si fortè & hoc opus sit, & neque adstrictionem habet, neque malam turbationem, & neque in ventre intumescit: *Saxonia* serum laudat, in quo vbi opus est abstersione incoquatur hordeum cum cortice capparum, & siliquæ fabarum: si opus sit maiori abstersione addit etiam amyg. amaras, serum non improbo, at amygd. non probo, quia trahunt ad renes, sed sero lac præponendum, cum illud habeat virtutem temperandi, & leniendi renes, sic *Hippocrat. 7. epid.* Cleonigo in Abderis nephritico dedit lac caprinum ad tres cotylas cum quinta parte aquæ admixtum: nec minoris vsus sunt clysmata quæ & refrigerent, & excrementa benigniter trahant.

Non desunt qui balneum aquę dulcis commendent, quo non solut (vt ait *Mercatus*) euocatur ad extimas partis in venis contentum, sed etiam temperatur; quinimò *Zacutus lib. 8. cap.* 17. nedum laudat balneum aquæ dulcis, sed illud parat aqua frigidissima; sicque narrat historiam cuiusdam hominis qui cum febre ardente oppressus, & curatus in diabeticam passionem incidisset, cum quotidie nonaginta ferè libras tum aquę, tum cereuisiæ ebibitas citissimè per vrinam excernebat, nulla in colore, odore, sapore mutatione facta (quamuis hoc secundum Senner. intelligendum sit in confirmata Diabete, non inchoata, in hac enim vis alteratrix non est prorsus abolita, secus autem in illa: ac de inchoata loquuti sunt *Dodonæus, & Ioannes Baptista Siluatic.* quando dixerunt potum, qui assumitur non omninò talem reddi qualis assumitur, sed in hepate mutationem aliquam accipere) cum multa expertus esset remedia, tandem subito in lagenam aqua gelidissima plenam nudum sponte sua se se proiecit, sæuiente bruma, quod balneum cum viginti dierum interuallo experiretur ex toto sitis est ablata, renumque retentrice robustiore facta vigorosior est redditus, & vrinam tempestiuè excreuit: cæterùm de omnibus hisce remedijs occasio nobis tempus exhibebit proponendi, solum nunc contentus vt præstita leui purgatione ad ptyssanam deueniat, & postea ad iura alterata vbi fuerint incocta plantagin. portulac. polyg. acetosa, lactuca, borragin. & similia, quod si hisce remediis affectio non mitigetur, vtile etiam erit vel serum dare, vel lac, & vltimo loco ad lac confugiendum.

Nec interim sunt omittenda quæ renes roborent, retentricemque confirment; quæ quodammodo vias coarctent, & serum crassius reddant; cuius naturæ est sanguinariæ, vel plantaginis succus, in quem vsum *Senner.* laudat præsens medicamentum ℞. rad. consolidæ maioris, plantagin. an. vnc. 1. fol. plantag. m. i. florum rof. rub. m. ſ. balaust. drac. 2. myrabol. citrin drach. 3. sem. plantag. acetosæ, portul. an. drac. 1. coq. in vini rub. lib. 4. vase clauso, colaturæ

adde

adde myuæ cydon. vnc.3. cap. sic quoque extra hypocondrijs fiant vnctiones cum ol.rosſ.myrth.ſandal.rub.corallis,ſucco plantagin.& cera, vel ex ol. roſ.& vnguen.ſandalino, vel aliis ſimilibus. *Holler. in ſua praxi* maximè laudat hordei farinam oxyrodino ſubactam, emplaſtrique modo renibus applicitam, necnon etiam & hypocondriis; ſolent quoque in hunc vſum narcotica comprobari, quibus neceſſitate vrgente, & aliis non iuuantibus admitti poterunt.

Quoad victus rationem ea alimenta ſunt exhibenda, quę parum ſeroſæ humiditatis gignant, & plurimum nutriant, cuius naturæ ſunt extrema animalium, & auium vt vult *Mercatus*, item aues montanæ, & ſilueſtres, carnes recenter interfectæ, oua ſorbilia, & ptyſſana, Saxonia commendat alicam, & orizam, proſunt & olera quę frigidæ ſunt naturæ, vitanda omnia calida. Pro potu dari poterit vinum rubrum dilutum aqua hordei, vel Kalibeata: Atque hæc ſunt quę potui adducere pro curando affectu noſtri languentis.

PRO NOBILI IVVENE
Aquilana Gonorrhæa, & vteri obſtructione laborante.

CONSVLTATIO LXXII.

MVlierem ſi per excretionem illam menſtruam ritè expurgetur nullo ex plenitudine affectu laborare declarauit *Gal. in meth. at menſtruis retentis eam cuilibet malo implicari facilè eſt, huicque rurſus euacuationes medentur*, vt mirandum non ſit nobilem noſtram adoleſcentem multis ab hinc menſibus menſtruorum diminutionem paſſam varia nunc probare pathemata: vterus namque vt bene *Andr. Laur.* explanauit nobiliſſima eſt, ac propèmodum diuina fauiſſa, ex qua naturæ theſauri iam conditi depromuntur, eiuſdemue tanta eſt energia, vt eundem iure meritò *Plato* animal concupiſcentiæ particeps nuncuparit, *Pythagoras* animal per ſe ipſum diſtinctum, *Aretæus* viſcus propè animatum, & velut animal quoddam in animali, vt indè diuinus noſter *Senex* aiendi anſam deprompſerit, morbos omnes ab vtero proſilire, unde *Democr. lib. de Nat. hum Vterus* (inquit) *puerorum mater, vehemens malum, infinitarum ærumnarum in muliere cauſſa eſt.* & *Aretęus lib. 2. diuturn paſs. cap. 2. Mulieribus*, inquit, *vterus ad purgationem, & partum bonus eſt, ſed morborum infinitorum, malorumque aceruum congerit*: quamobrem quandocunque à ſuo miniſterio deſiſtit vel pranè operatur ægrotant mulieres, ut videre eſt in noſtra languente, quę ob diminutum menſium profluuium macie laborat, febrili caumate non raro torquetur, abdominis, & potiſſimum hypograſtrij doloribus cruciatur, ſterilis extat, alijsque ſymptomatis laceſſitur quæ tibi viro doctiſſimo palam ante me exiſtunt; quę quidem omnia non aliundè ortum habent, quam ab vtero, non ob id alijs partibus exploſis, vt puta capite, ventriculo, & Iecore *ἀτνισpαζια* laborantibus, cum caput & ventriculus frigida, humidaque dyſcraſia exerceantur, indèque pituiteam generent colluuiem, Iecur feruidiori cruciatur vnde vſti conſurgunt humores, qui in vteri venas vel copia corriuantes.

res, vel qualitate moti, ac expultricem vellicantes eorum lentore aditum intercludunt, vnde gignunt obstructiones mensibus diminuendis satis idoneas, vt non immeritò doctiss. *Mercatus* triplicem diminutorum mensium caussam sanxerit, quarum primam ad vniuersum corpus redigit, vnde viscera prædicta offensam sustinere diximus, ad sanguinem ipsum quem, & crassum, vnaque acrem promulgauimus, & tandem ad vterum, & vasa illi subseruientia, quæ morbo in via laborare statuimus, obstructionibus nempè ijsque satis rebellibus.

Quid mirum ergo languentem febribus torqueri tot in vtero obstructionibus existentibus? quamuis easdem in hypocondrijs esse etiam dixerim; vt iure merito protulerit *Senex lib. de loc in hom. Febres porrò propt. fiunt, cum corpore superinflammato carnes intumuerint & pituita plene fuerint eaque compacta, & neque refrigeretur quicquam, neque humectetur, neque aliud quid subeat;* quæ sanè febris quamuis prius duplicis Tertianæ ideam seruarit, nihilominus nunc erroneum typum desumpsit, humoribus commutationem subeuntibus, vt innuit Senner. vel ob foci diuersitatem, humorumque diuersitatem; indeque macies pariter insurgit, & ob alimentum improportionatum, & ob vitium primæ, & secundæ coctionis, ni velimus huiusmodi maciem ad mærorem quo diuexatur languens cum *Gal.* redigere; is enim *comment. 1. de artic.* 30. hæc habet: *Magis adhuc tabescunt qui in mœrore sunt, quem Greci Poeta* μελεδανα *idcirco dicunt quasi membra edat, deuoretque sub hoc itaque adeps omnis tabescit, & quæcunque caro mollis, ac recens concreuit;* dolores autem illi, & à flatibus innascuntur, & à viarum præpedito itinere; sic puniendi dolor redigi potest ad gallicam gonorrhæam ab eius viro communicatam; dum enim materia acer, & mordax per pudendum transit, dolorem celebrat, eaque non aliundè originem trahit, quam vel ex spirituum labe testium facultates regentium, vnaque robur earum partium eneruantium, quæ cum semen continere haudquaquam valeant, indè continuum stillicidium generant, vt *Fallopius* asseuerat, vel vt *Petronius* semine vitiato, & partibus calida intemperie malè affectis, aut omni seminis vitio amoto, & partibus omnibus præter glandulas μυρασαται dicuntur ad integritatem redactis, nihilominus perseuerat, tanquam semen per ulcera quæ in his glandulis adhuc aperta manent non exire non possit, vel vt vult *Mercur.* ob vasorum spermaticorum imbecillitatem, à contagij tabo impressam, quinimò humoralem fieri non aliter credit, nisi quia natura ex consuetudine quadam solita excrementa ad vasa seminaria demittere, fit vt nonnulla quoque deriuent ad vrinæ vias spermaticis vasis apprimè propinquas, vnde & mordaces easdem fieri credit.

Quare ego ad contentum excrementitium vtputa acres humores, ac semen pariter acre, & ad continens imbecillum huiusmodi affectum redigerem, nempè ad vasa spermatica, *Zecchius* hunc affectum redegit ad seminis caliditatem, & acrimoniam (quæ genitalium, & lumborum calore, nec non mala quadam sensatione cum pruritu, & mordacitate apertè cognoscitur) & ad retentricis potentiæ in vasis seminariis imbecillitatem; imbecillitatis autem occasio in seminis acrimoniam expultricem irritantem referenda est, ita ut seminalis materia in nostra languente geminam ob caussam gonorrhæam excitare queat, tum quia tenuis admodum est substantiæ, vnde facilius è vasis prolabitur, tum quoniam sui acrimonia, & expultricem facultatem mouet, & retentricem infirmat, hancque acrimoniam non aliunde ven-

di-

dicat semen, quam ex bilis miscela à feruidiori Iecore communicata; quare nil mirum si in mictionis actu dolore prematur, acer enim ut dixi, ac mordax materia dum vias peruadit vel vlceratas, vel laxas pungit, atque titillat; quã quidem materiam exeuntem seminalem potius quam humoralem crederem cum in dies sensim emacietur; quam quamuis febricula possit gignere, potius crederem à gonorrhæa fieri seminali; semen namque vt scribit *Aristot. 3. sect. problem.* materia quædam est quæ cum pusilla sit, ex multa materiæ massa producitur. hacque forte ratione H*ippocrat. 4. de morb.* tabem fieri dixit in recenter sponsis ob copiosi seminis exitum, neque quia seminalem dico gonorrhæam, humoralem explodo, nam bilis quoque commercium ex prodeũtis flauitie non excludendum.

Quicquid tamen sit quoniam morbus est diuturnus, viscera sunt imbecillia, obstructiones sunt contumaces, mensium adest diminutio, vterus vndequaque fœdatus, & indicationes inter se pugnant non nisi maxima adhibita diligentia eneruari poterit, & faxit Deus vt tanta temporis diuturnitas eandem ad exitium nõ transferat. interim cum dixerim adesse vniuersi corporis cacochymia, viscerum obstructiones, gonorrhęam, vnaque maciem, proindè indicatio mihi videtur insurgere vniuersum corpus euacuandi, obstructiones tollendi, gonorrhæam moderandi. & prosternendi luem, & tandem corpus extenuatum reficiendi.

Quoad euacuationem, cum vniuersum corpus pluries depleuerim nulla mihi insurgere videtur indicatio insurgere expurgandi, cęterum quoniam intemperies præsto nouum aggregant humorum prouentum, non alienum erit saltem aliorum medicamentorum ratione eandem leui aliquo medicamento repurgare, pręmissis tamen debitis syr. ex syr. de liquir, de s. borrag. & de fumar. vt subinde possimus præscribere sequens medicamentum: ℞. syr. ros. sol. D. Aug. an. vnc. 1. s. el. Diasebest. simpl. vnc. 1. agar. trochis. drach. 5. dec. cord. q. s. mis. de sanguinis missione non loquendum nam & ex pede, & ex bracchio, & hyrudinibus & ex saluatella in diutino adeò morbo est missus, adeò vt nulla relinquatur indicatio, & ob maciem, & ob alia, verum antequam chirurgicum expleam fonte, non inutile futurum esse crederem vteri ratione inustionem cruri dextro iniungere; Interim obstructionibus eneruandis, atque mucositatibus in vtero absorbendis animum reuoluerem; quem scopum explere tentarem iure aliquo alterato, borragine, endiuia, melissa, liquir; violis, capill. ven. cetrach. gramine, sem. portul. agni casti, & similium, ab vsu adstringentium horreo, cum obstructiones prohibeant, gonorrhæam nec minus adstringerem, ne retenta materia ad partes nobiliores reuellatur, ideoque potius attemperantibus vtendum, quod si in eodem iure chinæ modicum addamus, cum portione sandal. citrin. optimum esse ducerem; Ad abstergendos renes maximè probarem vsum therebinti loti aq. malo; multos enim solo huius vsu curaui; sic quoq. per vices dari poterit cons. florum malu. & viol. superbibendo vnc. 4. aq. malu. cæterum quia in nostra languente obstructiones videntur ad se trahere curationem, & mensium diminutio, ideò illis est reuoluenda præcipuè intentio, ex his enim & febricula, & salus vel interitus dependet, quamobrem corpus iniungere, ol. amygd. dulc. liliorum alb. butyri, & similibus, illud prius spongijs fouendo spongijs imbutis dec. fol. malu. matric. altheæ pariet; floribus chamom. anethi, melilothi, seminibus lini, anisi; cumini, &c. atque

dum

dum hæc fiunt stillatitium Kalibis adhiberem; Possent quoque innumera alia proponi, vt insessus, balnea aquæ dulcis, pessaria, & similia quæ breuitatis gratia omitto, alias dicturus, instabilia sunt enim quæ in humidis fiunt, ac proinde consilium capiendum in arena.

Hæc habeo, quæ dicere possum pro eneruando hoc affectu; tuæ sunt partes (vir doctissime) victum instituere, cum sciam tuam in medendo dexteritatem. Vale hac die 4. Iunij 1642.

PRO NOBILISSIMO VIRO *Neapolitano Equitatus Præfecto Gonorrhæa gallica laborante.*

CONSVLTATIO LXXIII.

NOn immeritò gallica lues Proteo fuit comparata, dum Protei more varias sumit figuras, variaque symptomata producit, modo enim cutem vlcus aclis fædat, modo articulorum dolores generat, modo caput capillis destituit, modo bubones transmittit, modo denique gonorrhæam progignit; vnde nullum est malum quod non contineat.

Quid ergo mirandum si vir nobilissimus non minus Marti, quam Veneri incumbens, ex concubitu cum muliere infecta in luem inciderit, in gonorrhæam impegerit? est enim tanta huius luis actiuitas, vt vel solo contactu anguium venenosorum more venenum communicet: in Venereo enim congressu vniuersi corporis, sed potissimum pudendarum partium meatus vndequaque aperiuntur, & hiant, vaporque ab inquinata muliere sublatus in viri pudendum, vasa spermatica semini continendo destinata se erigit vnde prædictarum partium tonum subuertit, easque ita humidas laxasque facit, vt gonorrhæam producat; ni velimus asserere cum *Sennert.* quod semen dum praua qualitate, ac virulentia peccat expultrix primario læditur, secundariò verò retentrix, dum enim expultrix facultas vitio obiecti irritata ad expulsionem insurgit, cedere cogitur retentrix. quo fit ait *Mercatus* vt quicquid per dictas partes prolabatur in tetrum, fædumque virus album, aut flauum degenerat.

Quicquid tamen sit ne huiusmodi morbus alia accersat symptomata quamprimum eradicandus, solet enim esse diuturnissimus adeò vt *Hippocr.* enarret historiam Satyri cui cognomentum erat Gripalopex, qui cum esset annorum circiter viginti quinque semen per somnum effudit sæpe, & interdiù quoque ipsi prodibat, cum autem ad annum trigesimum peruenisset, tabidus fiebat, & mortuus est. subdit *Valles. in comment. Tabescunt ex gonorrhæa, siue viri, siue mulieres, quibus à quacunque caussa incæperit ad magnam retentricis debilitatem res peruenit, & iis quibus ob magnam corruptionem semen effluit*. Illi quidem vnam ob caussam, quod scilicet solidæ partes per nimium seminis fluxum priuantur alimento; hi ob duas quod præter euacuationem ipsa seminis corruptio facit computrescere alimentum partium, quo fit vt vtantur pauco, & eo corrupto, est autem vtraque arescendi caussa; Cum autem ex

virulentia mulieris suæ affectæ huiusmodi gonorrhæa prosilierit, proinde nobis videtur consurgere indicatio euacuandi materiam, & si quæ remaneat alexipharmacis prosternendi si ideòque *Forestus lib.26.obseru.16.* refert se multos gonorrhæa laborantes curasse solo vsu purgantium, qui non erant à lue venerea immunes, adeò vt non fuerit necessarium ad decoctum ligni accedere.

Quare purgationem instituerem, præmissis prius syr. de fumar. lupul. & viol. deinde darem cassiam cum portione Diacatthol. interim vsum prysanę probarem ad attemperandam acredinem humoris, vel seminis profluentis; sunt etiam qui sanguinis missionem laudent, quod ego tunc faciendum esse dicerem cum æger est plettoricus, vt in nostro contingit languente, & in pauca quantitate, eoque potissimum cum simus in principio, vbi massa sanguinea non supponitur labefactata, in quo casu sanguinem mittere non oportet, sordidior enim redditur putredo, *Mercatus* laudat vt ex axillari vtriusque bracchij sanguinem mittamus, si tamen vir non sit imbecillior, quare mittendus est sanguis ex basilica ad vnc. 4. vt subinde possimus deuenire ad luem edomandam alexipharmacis, qualia sunt salsa paril. lignum sanctum, cort. ligni, & similia, sed vt ingenuè fatear mihi videtur posse edomari huiusmodi luem absque sudoriferis, non enim est multa, sed solo vsu pulueris ex salsa vino ebibitæ; sic *Senner lib.6. par.4. cap.14.* dixit multos solo vsu salsæ curatos esse gallico morbo affectos; ℞. salsæ paril. vnc. 1. s. cort. ligni sancti drach. 5. s. sandal. citrin. drac. 2. pul. liquir. drac. 1. s. cinnamomi drac. 2. mis. f. pul. diuidatur in par. 15. s. cap. vnam pro vice de mane, per tres aut quatuor horas ante diem; Scio à nonnullis solere huiusmodi salsam dari cum turbith, fol. senæ or. agar. & similibus, sed ut liberè fatear hic modus nunquam arrisit, primò nam ut multi aiunt purgantium vsus prohibet salsæ moram in partibus, deinde quia sunt duo motus omnino contrarij, nam si verum est vt est verissimum salsam sudores prouocare vt vult Sennert. loco citat. nescio quo pacto possit conuenire purgantia, cum hæc ad centrum trahant humores, illa ad περιφερίαμ quare tutius erit octauo quoque die aliquod eccoproticum medicamentum exhibere; quod si ad hæc non soluatur morbus, tunc ad lignum guaiacum poterimus deuenire, quod summas vires obtinet in edomanda lue.

Non desunt qui in hoc morbo vsum adstringentium laudent, sed qua ratione penitùs ignoro, nam cum hęc affectio ex virulenta pendeat materia vel facultatem expultricem irritante, uel retentricem debilitante, nil aliud nobis indicatur præter eius materiæ euacuationem, quæ adstringentibus prohibetur, remouendum irritamentum, quòd à mordacitate pendet attemperantibus, & retentrix si fortè fuerit debilis corroboranda medicamentis roborantibus citra adstrictionem; vt syr. menthæ, cum portione spec. arom. rosat. uel alijs similibus; Plura scriberem ni tuus famulus mihi dixisse te æquum conscendisse, ut te Neapolim conferas, Vale, & optimam victus rationem adiunge, sic enim spero te breuiter conualiturum.

PRO

PRO PERILLVSTRI DOMINO *Hieronymo à Legiſtis Patritio Aquilano renum calculo laborante.*

CONSVLTATIO LXXIV.

HIppocr.*lib.de carn.tex.*1.id quod calidum vocamus (dixit de elementari uerba faciens)immortale eſſe,& cuncta intelligere,& uidere,& audire, & ſcire omnia tum præſentia,tum futura ; ſic quoque id poſſumus tribuere calore primigenio,quem noſtram indigitauit naturam *Gal.lib. de Marcore*, illamque naturam dixit *Hip.4.aphor.*37. quæ ſolida gubernat corpora cum ſecundum eundem *Gal.6.epid.*omnium naturalium operum verus ſit auctor, quare eius craſis partium Liturgiam,earundemque tonum ſeruat,ſicut illius dyſcraſia partium deſtruit munus , vt idem dixit *Gal.3. de cauſſ.puls.* primigenius etiam calor is eſt qui πεπσιμ,ſeu coctionem celebrat,aduentitius autem & preter naturam incoctionem,& απεπσιαμ producit, coctio enim ex *Ariſt.* diffiniebatur eſſe perfectio caloris proprii, & innati.

Quid mirum ergo ſi in noſtro languente ventriculus, atque caput aſcititio hoc calore deſtituta coctionem celebrare nequeant,ſed læſam ob id alteratricem facultatem habentia continuò humiditates congerent excrementitias ; quod magis contingit cum hepar ſatis feruidum obtineat , hoc enim quamuis ex *Gal.14.de vſu par.*dixerit ventriculum ambiat , vt cibaria in ventriculo incaleſcerent , de eodem tamen intra naturæ limites loquutus eſt, non autem de præter naturam;qui uentriculum potius ſuo calore depauperat , unde cruditates emergunt , quæ in diuerſas corporis partes vi hepatis caloris ad caput transferuntur,nam ut particulę aiebat *Galen. altera ab altera nutrimentum trahit, ſic altera in alteram quid ſuperuacuum eſt à ſe pellit* ; in eam autem pellit partem,quæ magis eſt apta recipere,talis autem eſt caput,quod dixerat *Senex* eſſe maximè morbis obnoxium,cum enim corpori aiebat idem *in epiſt.* velut cucurbita medica incumbat , contingit ut ipſum omnium eorum,quæ ingeruntur ſuperfluitates attrahat,& tenues humores; quos cum attraxerit, rurſus dimittit ut idem inſinuauit *lib.de flat.*dimittit autem in ventriculum ob maximam harum partium ſynthimoriam, ſicque alter alteri morbum communicat,caput uentri,& uenter capiti ſibi inuicem morbos faciunt ex *lib.de loc.in hom.*neque ſolum in hoc perſiſtunt humores,ſed vlterius propulſi,uel quia multi,uel quia quales in alias partes tranſmittuntur,vel retentrice debili exiſtente , uel expultrice ualida ut in noſtro contingit languente,à renibus rurſus in veſicam transferuntur , ubi uaria gignunt pathemata,quod etiam contigiſſe ait *Hippocrat.in hiſt.Apemanti,& Fabri Patris,& Nicoſtrati* , qui omnes ob fluxionem à capite iuxta *Valleſii* dogma *in comment.* renum dolores inciderunt ; ut non ſit mirum ſi in nobiliſs.noſtro languente toties dolores venerint maximi , cum humores adeò ad renes confluerent non abſque flatuum ſodalitio , qui quidem humores an fuerint compacti in calculum poteſt maximè dubitari , & an dolorum intenſionem maiorem fecerint,adeſt enim cauſſa efficiens , calor nempè Iecinoris immodicus , adeſt cauſſa materialis materia nempè lenta , & viſcida , facilis ergo eſſe poterat

huius materię in calculum commeatus, quod probare uisus est *Alexan. Trall. libro nono capite tertio Calculi*, inquit, *qui in renibus generantur à uiscossis, crassisque humoribus igneo renum calore nimium assis gignuntur*: quod desumpsisse visus est à *Galen. 14 method.* aiente: *Calculi gignuntur in renibus asso scilicet in his crasso glutinosoque succo*, cum ergo & efficientem, & materialem caussam habeamus in nostro languente, dubitandum uenit. An dolores quibus infestatur languens à renum calculo prodeant.

Quicquid tamen sit dicerem ab initio eundem calculo renum fuisse infestatum, eundemque in vesicam prolapsum modo uesicæ lithiasi laborare; nam antequam ad uesicam descenderet grauatiuus aderat in renibus dolor, uomitus erat heterogeneę materiæ, stupore fęmoris eius quod è regione erat infestabatur, arenulę rufę subsidebant, & denique sanguis in maxima copia effluxit, quem quidem sanguinem tunc temporis fluxisse non est dicendum, quia secernens renum facultas adeò languida, impotensque fuerit, ut hebetata coctrice facultate, neque secernere, neque secretum sanguinem conficere, & sibi in alimentum commutare potuerit, ac ex consequenti liberè permiserit sanguinem cum urina ad renum uacuitatem confluere, & indè ad uesicam prolabi, tunc siquidem ut *Galen. asserit 6. de loc. aff.* emersisset ut in hepatica Dyssenteria similis scilicet loturę carnis, quod non uidimus in nostro languente, cum sanguis profluens rubeus extiterit.

Neque dicendum cum *Hippocrat.* aliquando sanguinem mingi ob copiam ut reor, tuncque lassitudinum solutionem fieri, aut per diapedesim, non secundum quia si ob diapedesim emanasset rarefacta scilicet atque laxata uena, neque adeò affluenter, atque copiosè fluxisset, sed solum sanguis serosus emersisset, neque primum, quia etsi languens per annum exercitium omiserit, ac proindè plettorię posset esse obnoxius, quę anastomosim pręstando sanguinis mictum crearit, nam ut ait *Hippocrat. in aphorism. quicunque spontè sanguinem mingunt, iis à renibus venula rupta esse significatur*; quod neque ob id contingere poterat, siquidem cum natura eo quod premebatur exoneratur, necessario debebat esse consectaria conferentia, & tolerantia; *Vacuatis enim humoribus* dixerat *Galen morbi cessant*, cum tamen contrarium uiderimus, nam singulis horis corripiebatur lypothimia.

Restat ergo dicendum id potius contigisse ex alicuius calculi pręsentia, qui sanè ut asserebat *Galen.* uel asperitate, uel acutie uenam aliquam diffregerit, atque ideò fortè *Galen. 6. epid* interroganti, cur nonnulli sanguinem meiant, Respondet, quoniam calculus egrediens cum angulosus sit proximas particulas vulnerat, & cruorem euocat. E quo pariter calculo putarim mictum esse sanguinem; quem quidem calculum omnia supradicta symptomata uidebantur attestari; quę ab eodem *Hippocrat.* confirmantur *6. epid.* per hæc uerba: *In renem dolor grauis, vomuntque pituitam, cum autem abundauerint dolores æruginosa, & faciliores fiunt, soluuntur autem cum à cibis vacuati fuerint, arenulæque rufæ subsident, & cruentum mingunt, stupor fæmoris eius quod è regione est*; dolent enim renes cum aliquid in eis pręter naturam colligitur, & multo grauius cum calculi adest pręsentia, semper tamen renum dolor vt *Vall. in comment.* explanat ponderis sensum refert ob exiguum eius partis sensum, nam vt aiebat *Galen. in commentar Vt renes, ita & Iecur perexiguis neruis prestitum est*: quemadmodum vomitus pituitosæ materię emergit, quia tali succo vt plurimum abundant calculosi, procedente etiam dolore ęruginosus accedit,

con-

confluente vndique bile, quæ vigiliis, atque dolore exusta est, vt perbelle *Gal. eo loci* explanasse visus est.

Qui sanè dolores dum cibo implentur increscunt, quia cibus multus intestina replet, ea verò repleta comprimunt, grauantque renes, qui per peritonæum crasso intestino alligati sunt, vnde bene dixerat *Senex lib. acut. text. 32. quibus enim cibus in intestinis conclusus est, nisi quis aluum prius ducens sorbitionem dederit, vehementer lædet*: proindèque subdebat *Gal. 6. epidem. Dolor itaque à cibo ità significante in renibus, quod multitudine, pondereque excrementorum premantur, onerentur simul, atque ista deiecta, expulsaque fuerint, remittitur, atque planè finitur*. Arenulæ autem rufæ subsident, nam eæ quæ à renibus deciduntur rufæ vt plurimum existunt secundum *Valles.* quemadmodum quæ à vesica prodeunt albæ potius emergunt; stuporem fæmoris eius quod è regione est ad coniunctionem vasorum dorso incumbentium cauæ scilicet venæ magnæque arteriæ cum renibus visus est referre, vnde mirandum non est si in renibus existente calculo tot dolores emerserint, vnàque sanguinis mictus fuerit genitus.

Cæterum quomodo huiusmodi calculus fuerit genitus cum sit satis annosus, videtur esse dubitandum, quia non adest ille calor præter naturam, qui peragendis calculis desideratur; scimus enim secundum Hippocrat. *&* *Galen.* à calore humidum aqueum excrementorum resoluente produci; sic dixit *Hippocrat. lib. de inter aff. Huic morbus fit à pituita, quam rem suscipit in se ipsum nec rursus dimittit, sed cum in ipso in tophum soluerit, fiunt ex ea lapilli tenues: sic lib. de nat. hum.* dixit: *Quod crassissimum, ac turbidissimum coaceruatur concrescit, primum quidem parum, deindè maior fit*. quamuis non ignorem alias calculorum caussas ab auctoribus enumerari, *Mercatus* enim putauit calculum non semper ab intensissimo fieri calore, sed aliquando à paulò excedenti, licet etiam facto, quia veluti forma partis tenetur operari, non enim semper exurens futurus est calor, mediocriter enim excedens sufficiens est, vt statuerat *Galen. 6. epid. part. 3. commentar.* 15. Neque ob id subdit *Mercat.* id arbitrandum est à frigido fieri, nequit enim animus concipere, qua lege viuo animali tanta in visceribus presit frigiditas, vt concretione lapidem efficiat, præsertim in renibus quos mille rationibus calidos actu debere esse euidentissimum est. sic *Galen. lib. pharmac. gen.* dixit: *Quemadmodum in externis rebus permulta corpora, quæ ignem contingunt, ab ipso torrentur, atque rursus ab aqua emolliuntur, ita in particulis inflammatis ex humore ipso à calfacientibus, & exsiccantibus acerrimè desiccato, relinquitur quidpiam crassum, & viscidum in articularibus tophaceum, & per nephritidas calculi.*

Sennertus pulchram excogitauit opinionem de calculi productione aitque quod sicut in thermis, & aquis quibusdam, ex materiæ interna dispositione, seu succo lapidescente, seu forma cui hoc *Scaliger exerc.* 115. tribuit, præcipuè vbi ea à reliqua aqua maximam partem separatur, & corpus cui adhæret nanciscitur, lapides generantur, ita & in corpore nostro, ac præcipuè in renibus, & vesica, ex simili terrea, & salsa materia, vbi subiectum idoneum nacta est calculi producuntur, vnde materia illa fæculenta, terrea, & salsa vnàque tartarea interna vi ad coagulationem tendit, & in lapidem concrescit; quod dentur huiusmodi thermæ quæ intrinseca quadam virtute lapides producant, refert idem Senner. multas ex his aquas enarrat, sic ait *Ouid. de Ciconib.* scribere:

Flu.

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod totis inducit marmora rebus.

Imò quod magis admirandum, est dari etiam spiritus eiusmodi lapidificos, qui obuia quæque in saxa, & lapides conuertunt. Ita refert *Auentinus histor. Bauar. lib. 7.* anno 1348. ex terræ motu plures quam quadraginta rusticos, item mugientes cum vaccis extinctos obriguisse, & corpora à spiritu terreno in salarias statuas redacta apud Charinos fuisse, quæ quidem simulacra sibi, & Cancellario Austriaco conspecta fuerint; & *Philippus Camerarius in descriptione Ptolemęi augment. centur. 2. cap. 70. ex Cornelio Vuitfidio* narrat de aura Meridionali certis anni temporibus flante in Montanis Prouinciæ Chilensis in America, cuius quidem afflatu integrę Equitum turmę velut in statuas lapideas repentè obriguerint, steterintque in via eo aciei ordine, quo ante metamorphosim adhuc viuæ iter fecerant; similem huic historiam refert *Ortelius in descriptione Russię* de pecudum gregibus, & armentis illicò petrefactis.

Cæterum ego vt liberè fatear his credo, quia referuntur ab auctoribus sed re vera superant humanum captum, & potius sunt pręstigia, quam aliter, nam quod in aquis lapides concrescant non miror, adest enim materiæ interna dispositio, qua possit in lapidem concrescere, sed quod flumen virtutem habeat homines conuertendi in lapides, nescio quę tāta possit huius flaminis actiuitas, & videtur naturę limites excedere; hæc tamen referre volui quia nimis curiosa; sat sit ergo dicere quod sicut in aquis ex materiæ interna dispositione, seu virtute lapidescendi lapides generantur, sic in renibus ex simili feculenta, terrea, & salsa materia, vbi subiectum est nacta idoneum calculi generantur; verum non sufficere ait Senner. hanc tantum materiam, sed præter id vult requiri vim illam lapidificam, quod illa obseruatio *Scaligeri* manifeste probat, de pituita quæ cum emingeretur albuminis mollitie emissa viri duritie, & splendore, & in lapidem vitreum mutata; Itaque retur *Senner.* ex hac materia cum virtute lapidifica fieri posse calculos citra caloris concursum, dum modo eadem materia locis siccioribus inhæreseat, & quod siccitas sine omni calore quandoque sufficiat ad materiam quæ præterfluxura erat retinendam.

Quicquid tamen sit recurrere ad hanc virtutem lapidificam resultantem ex propria forma specifica, est recurrere ad Cęlū stantibus naturalib. rationib. ego autem dicerem potius cum *Fern.* in productione calculi adesse insitam scil. renum arenosam, calculosamque constitutionem, quam ego ex quodam temperamento resultare censerem apto ad calculos fabrefaciendos, quod temperamentum ego putarim consistere in excessu vnius e tribus qualitatibus nempè calido, frigido, sicco; si enim renes sicco temperamento donetur, materia quæ illuc impingit siccata temporis tamen tractu in lapidem concrescit, requiritur tamen in materia, quædam habilitas, alij enim dixerunt debere esse limosam, vliginosam, & alij cænosam, terream, glareosam; sic si calido referantur temperamento absorpta humiditate calculi generantur; si tandem frigido temperamento insigniantur renes, densata materia, & per expressionem exeunte humido magis aqueo calculi producuntur; neque hoc temperamentum consistere credo, in qualitate quadam nobis incognita, sed in quolibet excessu qualitatis, indeque dixit *Senex.* morbos fieri ab humidissimo, siccissimo, frigidissimo, calidissimo, ità vt

sit qua-

fit qualitatis excessus; nescio enim sentire cur in qualibet parte hoc temperamento, seu qualitatum excessu donata lapides non possint gigni, si tamen materia habilis reperiatur; sic *Zacutus lib. 8. cap. 16.* dixit calculum ex quacunque materia posse oriri, modo lentor cum crassitie coniungatur sic scimus *Harnruhr* dixisse omnia morborum genera omnibus partibus accidere posse, atque ideò in hoc non discrepo à *Fernellio*, nam quamuis ipse dixerit fieri calculos à renum arenosa, calculosaque constitutione, non ob id negauit alias partes hanc constitutionem non posse obtinere, sed in quo consistat hæc constitutio, ipse non explanauit, ego dicerem consistere in tali intemperamento, nimirum in qualitatis excessu, sic *Zacutus lib. 8. cap. 16.* hunc affectum dixit proprie in excessu consistere, vt voluit etiam *Gal. lib. 6. de diff. morb. cap. 8.* quare vbicunque fuerit qualitatis excessus, & approximetur materia habilis semper calculus procreari est idoneus: sic *Aetius & Paulus* loquentes de caloris excessu calculum faciente ignem illum appellant, vel ardorem; non ne enim cernimus è pulmone, è capite, ab vtero, & aliis partibus calculos fuisse proiectos? quid impedit vt quælibet pars in qualitate excedens, cum approximatione materiæ habilis, quam *Auic.* vocat materiam materiei, non possit calculum gignere; quod si dicamus calculi generationem esse proprium munus vesicæ, & renum, id falsum esse constat, nam *Alexander Trall.* annumerat historiam cuiusdam asthmaticæ quæ sana euasit lapide è pectore reiecto, sic habemus historiam apud *Hippoc.* Famulæ Dyseridis, quæ ab vtero eiecit lapidem ad magnitudinem verticuli, sic ego vidi pluries in vesica fellea lapidem nigrum, durum; quare non ex hoc prouenit calculi generatio, sed quia concurrunt duo qualitatis excessus, vt caussa efficiens, & materia habilis in calculum conuerti, quæ nedum in lentore consistit, & viscíditate, sed quia in ea præter hæc adsit quoddam tartarum, quod facile compingitur à viscíditate; sic videmus ab aquis thermalibus dum quiescunt sequestrari in fundo quandam materiam arenosam, vel tartaream; correspondentem forte materiæ lapidificandæ.

His igitur ita constitutis facile est respondere dubio à me superius proposito; cur scil. noster æger quamuis annosus calculo renum laboret, cum requiratur magnus eorundem calor; nam vt dixi potest à quolibet qualitatis excessu produci, à calido, sicco, frigido, neque mihi facessit negotium quod non possit reperiri tantum frigus in viuente animali, nam excessus nō debet supponi summus, sic enim vita destrueretur, sicque si sit magnus, sed non summus citius calculus gignetur, si remissior quamuis cum excessu tardius, ità vt quod intensiue agit citius producat effectum, quod extensiue tardius, sic *Zoroaster Tinellus in suis consultationibus* dixit à calore moderato posse calculum fieri extensiuè tamen agente in materiam aptam lapidificari; ità vt quod vno die fieret ab intensiua qualitate, à remissiori fieret per decem dies; quare etiam si noster æger ob senectutem haud multo calore polleret, ad huc tamen posset calculum gignere, quod non contingit in nostro casu, vbi non solum calor non est moderatus, sed nimius: quare non explodendus calculus, sed admittendus; vt probaui, tum ex dolore, tum ex vomitu, tum ex stupore fæmoris, tum alijs; Neque obstat dolorem quo præmitur nobilissimus languens non fuisse continuum, nam vt ait *Gal. 6. epidem. comm p. tex. 6. quicunque in renum cauis lapillos concrescere arbitrantur, in solo per vrinarios meatus transitu laborantes dolore aiunt*; vt nostro contigit ægro, quamuis

nis dum ſanguinis fluore torquebatur à dolore immunis non exiſteret, quare non eſt mirum ſi noſter languens, tandem in vrinæ ſuppreſſionem impegerit, ac circa vreterium regionem dolorem prius perſenſerit, ſiquidem calculus in renum regione ſtagnans dum vlteriorem ſibi viam parabat, cumque in anguſtiores vias collabi neceſſum eſſet, impetum faciendo dolorem progenuit, & tandem in veſicam collapſus ſuppreſſionem præſtitit, quod non alia occaſione factum eſt, niſi quia dum fæſtiuus alijs ſaliendo colluderet, illaque concuſſione calculculum dimouendo, promouit ità vt tandem deſcenſum peteret; qui nullo pacto potuit foras prouocari, quamuis multa ſint adhibita, vel ob eius magnitudinem vel quia calculus non impingit foramini veſicæ, vel tandem quia expultrix eſt inualida, vel quia non habet ſufficiens mouens, quod aliquando eſt vrina, vel ob alia; atque ita aliquando vrinæ fit ſuppreſſio, aliquando non (quamuis id non ſit perpetuum ſymptoma veſicæ lithiaſis poteſt enim interdum adeſſe, & abeſſe vrinæ ſuppreſſio pro lapidis magnitudinis, & ſitus varietate) nec miror languentem perpetuo circà mictionis initium, ac finem dolore vexari, non inquam, hoc enim pendere dixit *Valleſ.* ab exulceratione in vijs vrinæ, *Dolores enim nocientur* (ait *Valleſ. 5. epid. in hiſt Theophorbi filii*) *cum ſentientes partes ſucco mordente plenæ ſunt, ſed cum primum perfunduntur, vt incipiente mictu; neque cum quietæ ſunt, ſed cum mouentur, vt deſinente mictu, quia ſe ſe exprimunt, vtrumque enim dolendi occaſio eſt primus occurſus incipiente, & expreſſio deſinente mictione*: hinc *Petrus Salius 4. commentar. de morb.* dixit omnes ferè calculoſos vlcere etiam veſicæ laborare; quamuis huiuſmodi dolor poſſit etiam conſurgere ex lotij acredine, atque mordacitate, genita vel ob hepar materias ipſas adurens, easque cum excrementis commiſcens, vel ob bilioſas humiditates cum ijſdem excrementis commixtas; qua de cauſſa ardorem illum perſentit in meiendo; quod autem nobis magis adauget calculi ſuſpicionem, eſt quia vrina perpetuò humorum affluxu ſcatet, eorumque potiſſimum pituiteſcentium, vnàque malè olentium, qui velut gluten matulæ affiguntur, puriſque naturam redolent, vnde non immeritò dixit *Galen. Grauiter olens vrina puris particeps inuenitur*, ſic quoque *Salius* dixit nil eſſe magis certum pro commonſtrando calculo, quam ſubſidentia malè olens, quæ matulæ affigatur. Calculum hunc etiam manifeſtant arenulæ illæ in vrinæ fundo ſubdentes, vnde ex ruſis albæ emanant, è quibus potiſſimus *Proſp. Mart. in comment. aphoriſm.* deprompſit veram veſicæ Lythiaſim; *cum enim* (ſubdit) *vrinę ſedimentum habent craſſum, & viſcoſum corpuſculis dictis refertum, veſicam calculo laborare coniectandum eſt*; quanquam hoc non ſit perpetuo verum cum ex tuberculis circa venam cauam diſruptis arenoſa mingere ægrotantes dixerit, *Senex. lib. de Nat. hum.* quare arenulæ non ita videntur veſicæ calculum indicare, iuxtà illud *Hipp. quibus in vrina ſabuloſa ſubſiſtunt, ijs veſica laborat calculo*; cum renum quoque calculum poſſit manifeſtare; qua ratione dixerat *Senex in epid.* de renum calculo loquens; *arenulæque rufę ſubſident*: quod confirmauit *lib. de inter. aff. tex.* 15. aiens: *Vulgus autem Medicorum qui non intelligit morbum, vbi videt arenam, putat veſicam è calculo laborare, at non veſica, ſed ren lapide laborat*: quid clarius dici poterat? ex his ergo conſtat arenulas non eſſe pathognomonicum veſicæ, aut renum calculi indicium; merum hoc ex alijs quoque indicijs rimabimur, nam in vrinis præter arenulas perpetuò filamenta vagantur, vrinas vt plurimum comparet craſſa vt dixi *Gallenus 4. aph. 76.*

cum

cum pituitoſa ſubſtantia quam venæ aggregarunt per renes expurgetur, quinimo dum in actu mictionis exiſtit maximam materiam portionem ab vreterijs deſcendere manifeſtè intendit tum ratione doloris attrahentis vt dixerat *Salius*, tum ratione imbecillitatis in illis partibus contractæ, cuius merito omnem materiam facillimè recipiunt, ac conſequenter ſemper maior in veſicam peccantium humorum defluit copia; quod ſi his omnibus indicijs non credatur expendamus ſigna ab *Hippoc.* allata 4. *de morb.* hic enim hæc habet: *Ceterum morbus ſigna quinque habet, nam vbi meiere vult dolore affligitur, & vrina paulatim fluit velut in vrinę ſtillicidio, & eſt ſubcruenta, nimirum veſica à lapide exulcerata, & veſica inflammata eſt, verum hoc ſignum inconſpicuum eſt, indicat tamen ſumma pars preputij quandoque mingit arenoſa:* En ergo omnia ſigna in noſtro ægrotante viſuntur, dum dolor in mictione ad ſtillicidium in fine mictionis extat, quamuis non in toto mingendi actu, cruenta pluries fuit vrina, veſica eſt etiam inflammata, cum ardorem nonunquam in illis partibus perſētiat; nomine enim inflāmationis nō intelligitur phlegmonoſus affectus, verum phlogoſis vt Salius explanat, & denique arenoſa eijcit. Adde præterea quod ſuperioribus diebus dum dextræ parti circumuoluebat corpus velut quoddam pondus circumuolui eidem parti percipiebat; nec miror id nunc non percipere, contingere enim poteſt vt calculus mucoſitatum portione circumuolutus ipſi veſicæ alligetur, vnde quieſcat, nec pendulus extet, quo quidem quieſcente, multa ſymptomata ceſſare neceſſe eſt; vt bene probat doctiſſ. *Zecch. in ſuis conſult.* quemadmodum eodem agitato eadem ſymptoma ſuſcitari poſſe probabile eſt vel dicendum cum *Fernellio lib. 6. pathol. cap.* 13. nonunquam ſummę veſicæ calculum adhereſcere, & quaſi ex illa propendere, vnde vix vllum ex calculi ſignis manifeſtè exhibet, & viſi ſunt qui nullo dolore diù illum geſtauerit: Præter crebra illa pudendi tentio, inſignis ſub mictionis finem dolor, poſt mictum deijciendi iugiter deſiderium, dolor in ambulando, ac quieſcendo pruritus circa perinęum, ac pubem, ani dolor quid aliud præter calculum commonſtrant? quamuis ſedis dolor ad venas hemorroidales eaſque cæcas referri poſſit, cum illas & manifeſtas, & cæcas ſit pluries expreſſus, nec obſtat huiuſmodi dolores non rarò flatuum emiſſione leniri ad probandum calculū, non inquam cum raro contingat vt in his affectibus in quibus pituitæ maxima adeſt vbertas non adſit flatuum portio, cum ij & a diminuto calore, & à frigidis materiis ſuccreſcant.

Ex quibus noua quædam inſurgit difficultas, quomodo ſcil. fieri queat, vt veſicæ diminuto calore calculus generetur, cum dixerit Hippoc. *in epid. Poſt. mictum concretio in pueris, an quia calidiores?* ſubdiditque *lib. de nat. hum. viris propterea calculi non generantur, propter corporis frigiditatem;* hiſce omnibus additur, quoniam idem *Hip. in Coac.* dixit: *Poſt quadrageſimum Secundum annum calculus in veſica non fit*; vnde celebris eſt illa *Fernellij* opinio, qua aſſerebat in veſica nunquam calculos generari, ſed eoſdem ſemper à renibus ſuſceptare, quod confirmauit *Senex in Coac.* vt dixi; neque ab hoc me auocat quia calor veſicæ ſit diminutus, atque ineptus calculo efformando, cum non ſit impoſſibile (vt etiam ſuperius dixi) calculum à naturali ipſius calore ortum ducere, à quo materia in veſica diutius detenta coagmentandi, concreſcendique initium capit; nec inconueniens tunc dicere à calido aucto fieri, ſeu igneo, non tamen intenſiue, ſed extenſiue, ſic enim calor eſt te-

pidus, & imbecillis, sed extensiue, agit enim in materiam valde dispositam, & quę maximam habet partem in lapide progignendo de qua Hip. 4. de morbis sicut etiam in pedum iuncturis generatur tophus à pituita, non per viam congelationis, sed per dissolutionem humidi à debili calore sicque perpetuò calculus gignitur vel ab igneo calore, vel tepido, nunquam tamen à summo frigore, sed ab aliquo eius excessu vt dixi, dicebat enim *Gal. lib. de vsu part.* in vesica quæ frigida est neruea, & pauci sanguinis viscidam pituitam condensari, & in lapidem conuerti; quamobrem non est absonum dicere posse dari calorem flatum gignentem, vnaque calculum producentem in vesica. Quod si *Hip. in Coac.* dixit se non vidisse calculum in vesica, dicendum intellixisse de calculo immediatè genito in vesica, non aliundè suscepto vt puta à renibus, quamuis enim calculus gignatur in renibus, ibique habeat rudimenta, tamen calculus ipse vt volebat *Duretus* in vesica corticatim crescit, vel dicendum *Hip.* intellexisse de calculo progenito ab immodico calore, non autem modico, immodicus enim calor non potest inesse in vesica hominis quadragesimum secundum annum transeuntis; atque de hoc calculo loquutus est *Hip. lib. de aer. aquis, & loco tex.* 22. quando nos docens calculi generationis modum dixit: quorum aluus ardens, ac feruida fuerit, sic & vesica; cum enim magis quam pro natura fuerit calefacta stomachus ipsius inflammatur, vbi vero hæc perpetitur, vrinam non dimittit, sed in se ipsa concoquit, & adurit, & quod quidem in ipsa tenuissimum est, discernitur, & quod purissimum est transit, & emingitur, quod verò crassissimum, & turbidissimum est, coaceruatur, & concrescit, primum quidem paruum, deindè maius fit; dum enim voluitur ab vrina, quicquid crassum compactum fuerit, ad se ipsum adaptat, atque sic augescit, & in totum concrescit: en ergo vt immodicum requirit calorem vt calculus generetur, non ob id tamen eundem negare crediderim posse à modico calore produci ni ætate tamen consistenti, & post quadragesimum secundum annum, ætas enim Iuuentutis vt plurimum calorem immodicum asciscit vt calculum generet, & citius generet, ætas autem prouectior tardius quidem producet, sed modico calore id faciet, qui intensionem caloris, extensione eiusdem compensabit; atque hoc credere voluisse *Aristotelem*, quando dixit in vesicam nedum humorem verum etiam sicca quædam concrementa descendere, quibus calculi fiant, vel dicendum cum *Fernellio* huiusmodi calculos à renibus agnoscere semper primordia, ab iisdemque renibus in vesicam protrudi, vesica enim à renibus non trahit vt dixit: *Gal. 6. de loc. aff.* sed renes quidem per vreteras excernendo in vesicam mittunt, proindeque *Gal. 5. de vsu part.* dixit: Naturam vesicam tanquam cisternam renibus subiecisse.

Quicquid tamen sit antequàm huiusmodi calculus augmentum patiatur, prohibendum curatione eiusdem augmentum, quod an sperare possimus consulendum, *Id enim* (aiebat Galen.) *primum artis est opus, vt videamus sperare ne debeamus id quo tendimus, an secus:* cęterum vt liberè fatear quamuis *Hippocrat.* visus sit calculosam affectionem difficilem asseuerare, id tamen potius in decrepitis senibus quam aliter intellexit, in quibus non viget expultrix, sensus sunt sopiti, maxima adest viscíditas, & summa virium debilitas; & quamuis noster æger sit in primo senio constitutus maximè habet facultates vigentes, vires sunt magnæ, & quod magis est calculus non est grandis, vnde censendum

sendum posse eundem ab hoc morbo euadere, modo obtemperans sit, inque victus ratione sit satis obseruans: quod si *Hippocr. 6. epid. sect. 8.* dixit: *Renum morbos non vidi curatos vltrà quinquagesimum annum*, quod de vesica pariter est intelligendum vt videre est *in aphorism.* quando dixit: *Renum, & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur*: tamen Hippoc. intelligendus est non de renum affectu, sed eorundem intemperie, multos enim cernimus euasisse calculis eiectis, non ob id vidimus in renibus non remansisse caussam productricem calculorum; qua de caussam *Valles.* dixit semper remanere in renibus apparatum ad similem morbum; quamobrem cum quattuor potissimum concurrere dixerimus ad hunc morbum efficiendum, nempè calculum, materiam viscidam, calidam intemperiem, & dolorem, calculus è corpore tollendus, & prohibendum eius augmentum, materiam viscidam euacuando, & caloris excessum mitigando compescendo, & tandem dolor paregoricis mitigandus.

Ante omnia tamen nimiæ exuberanti materiæ incumbendùm, & potissimum euacuationibus ex arte præstitis, *Hippocr. 6. epid.* vomitorio vtitur aiens: *Iuuenes helleboro purgare*: sic omnes ferè auctores vomitoria commendant, & meritò: nam sic reuellitur materia, vnàque euacuatur; idque faciendum esse consulunt auctores bis, vel ter in mense; quod si vomitui non sit pronus medicamentis infernè aluum subducentibus vtendum; illud tamen adnotando ne fortioribus vtamur vt bene adnotauit *Sennert.* sed syr. rosf. sol. manna, cassia, rhabarb. &c. præmissis tamen debitis syrupis, viol scilicet de s. borraginis, & de s. limonum; neque enim putarim vnicam sufficere purgationem sed plures requiri; possunt tamen in secundis purgationibus addi magis renes respicientia, vt etiam facit *Senner.* posset ergo sequens remedium adhiberi. ℞. cassiæ vnc. 1. therebint. vnc. 5. pulu. liquir. drach. 2. mis. & cum facch. f. boli. vel poterunt sequentes pillulæ præscribi ab eodem Sennerto laudatæ dandæ singulis hebdomadis ad drach. 1. vel drach 2. ℞ therebint. vnc. 5. rhabar. drach. 1. cinnamomi scrup. 1. pulu. succini, liquir. cetrac. an. drac. 2. mis. f. pillulæ.

Ego autem magis therebintinam laudarem cum cassia, vt quæ sit aliquo pacto diuretica, quam aliter nam sic non reuellitur à viis vrinæ; quod ego tamen soleo in hisce casibus felicissimo euentu probare est ol. amygdal. dulc. rec. cum succo limonum, & facch. cand. viol. sumo enim ol. amygd. dulc. rec. vnc. 4. succi limonum vnc. 5. facch. cand. viol. drach. 2. mis cap. per quattuor horas antè prandium, quod si maioris efficaciæ gratia velimus addere quinque vel sex guttulas spiritus vitrioli non erit absonum; De sanguinis missione mihi non esset loquendum, quia iam ex bracchio sanguinem misit, & ex arte, primò quia plettoricus erat, & vitam vixerat sedentariam, secundò quia cum à toto humor flueret egebat reuulsione vt optimè probat *Zacutus lib. 8. cap. 16.* sic *Gal. 2 ad Glauc. 2.* in genu dolore, & inflammatione bracchij venam secat, & *10. sect. loc. cap. 2.* in coxendicum dolore venam bracchij ferit; hac enim ratione à parte inflammata commoda fit reuulsio, & sic pars à vehementioribus damnis præseruatur.

Nec ignoro in affectibus infrà renes vel per poplites, vel per malleolos sanguinem esse mittendum, id enim intelligendum est de ijs qui non habent afluxum à partibus superioribus, præterquam quod ambigendum est, An renes comprehendantur, sed hanc difficultate diluit *Gal. lib. de cur. rat. per*

ſangu.miſs.cap.cit. vbi hæc habet: *Sunt autem dictis inferiores coxendix vterus veſicæ, At renes cui partes deſcribi debeant ambigunt*; quicquid tamen ſit cum ex bracchio, & ex malleolis ſanguis ſit miſſus, non eſt vt vlterius id diſquiramus; hoc tamen verum applicationem hyrudinum venis ſedis ſummè poſſe eſſe proficuam quod dixit *Hippocr.6.aphoriſm.*10.*Melancholia,& nephritide laborantibus hæmorroides bonæ.* Interim poterit renouari vſus therebintinæ, quæ mihi inter reliqua remedium videtur primatum obtinere; ſic *Amatus Luſita.centur.*2.*curat.*68.vt eſt apud *Senn.* Monachum quendam annumerat ſolo vſu therebinthinæ per ſex menſes (ita ut transglutiret ſingulis diebus therebintinæ tantillum nucis magnitudine ſaccharo admixtam) ab articulorum affectu, & nephriticis doloribus liberatum.

Pro abſtergenda etiam materia, vnàque vrinæ ardore temperando, atque inſimul refrigerando decore ſummè laudarem ptyſſanam hordeaceam cum ſem.melonum præſtitam diſſolutamque aqua capill. Ven. ſicut & ſerum caprillum, quod videmus ab Hippoc. traditum Cleonigo in Abderis 7.epide. nephritico: Huic (inquit Hippoc.) dabatur lac caprinum, & aquæ quinta pars admiſtum, totum cotylæ tres; neque inutile ſperararem iura alterata exhibere cum herbis refrigerantibus dyureticis, & emollientibus atque ſi ad nimias easque craſſas materias abſorbendas chinas cum portione ſandalorum addamus ſatius vtique erit, quod ſi ad hæc non cedat affectio, ſoleo ego vti huiuſmodi aqua, quæ ſi memoria recolo eſt Fauentini, inque vrinæ ardore temperando, abſtergendis, aperiendisque renibus maximè eſt ex vſu: eſt talis: ℞.aq.fontis lib.10.cicerum rub.lib.1.bull.ſimul ad conſumptionem tertiæ partis, colaturę adde liquiritiæ raſæ vnc.1.fol.malu.rad.altheæ, graminis, agrimoniæ an. miſ. i. ſebeſt.rec.non.10.ſem. melonum mundat.vnc.2. granorum alcheKegi num.5. grnnorum ſolatri vnc.5. decoquantur ad conſumptionem tertię partis, & facta colatura ſumantur vnc.5.i. pro vice cum vnc.1.ſacch.

Doctiſs. *Saxonia cap.de renum calculo* annumerat quandam ſuam aquam, quam ait optimam ſemper probaſſe ad lapidem frangendum, eſtq; ſequens: ℞.ſucci raphani lib.3.limonum lib.2.acet.alb.lib.5.ſucci pimpinellæ, beton. ſaxifragiæ, pariet.fruct.alcheKegi, altheæ arbor.an.vnc.5.i. rad. petroſel fænic.acori, enulæ, beton.agrimon.gentianæ, ireos florent. an.vnc.5.ſem.cucum. petroſel. Macedon.portulacæ, ocymi, cariophyll.an. vnc.1.fol. & florum viol.thapſi barb.ſcolopendr.bugloſſæ an.m.i.infundantur infundenda in prædictis liquoribus in quibus diſſolue mellis deſpum.lib.2. quæ omnia deinceps ponantur in alembico, & deſtillentur, qua aqua deſtillata vtitur *Saxonia* ab vnc.2.ad vnc.4.cum drach.5.vel vnc.1.ol.ex therebintina; Aqua iſta vt ipſe ait non tantum eſt compoſita ex attenuantibus, & mollientibus, verum etiam ex his quæ augent ſeroſam humiditatem, & quæ illam ſecernunt à ſanguine, & quæ dilatant vias vt facilè calculus egrediatur, quæ omnia ſunt neceſſaria, quia vbi ſerum non ſit multum aut viæ adſtrictę, difficillimum eſt calculum exire.

Cæterum vt liberè faear quod ſentio, ſi huiuſmodi aquam exhibeamus pro dilatandis vijs optimam concedo, verum ſi pro frangendo calculo hoc ſoleo irridere; nunquam enim mihi potui in animum inducere, dari medicamentum lapidem frangens, & potiſſimum ſi ille durus extiterit, multoties enim probaui aſſumere lapidem ex cadauere diſſecto deſumptum, ſuper il-

illum

lumque imposui pulueres, aquas, resque violentissimas nec vnquam diffractum vidi; quare sunt nugæ cogitare posse medicamentis intus assumptis lapidem frangere; præterquam quod hæc curatio de frangendo calculo à *Dureto* multum damnatur *in Coac. commentar.* dum ibidem ait: *Temeraria est omnis Medicina, pestifera, & sæpe mortifera quæ frangendo vesicę calculo adhibetur, cui profuerit, vidi adhuc neminem, permultos autem quibus exitio illa fuit.*

Nec ignoro innumera alia posse præscribi remedia pro calculo, vt dicunt, frangendo, quæ breuitatis gratia silerem, ni mancus existimarer in curatione, ideoque non desunt qui simplicia annumerent lapidem frangentia, vt sunt vinum album, radix graminis, semen maluæ siluestris, cetrach, capillus Veneris, pentaphyllon, radices cannarum, blitis, crocus, cinnamomum, polium majus, cicera nigra, radices v. diureticę, asparagi scil. petroselini, fæniculi, brusci, & apij, raphanus, bdellium, cortex cyperi Ægyptij, cortex radicis capparis, ammoniacum, ameos, saxifragia, vrtica, chamepytis, milium Solis, amygdalæ amaræ, nuclei cerasorum, grana hederæ, nuclei pessicorum, siliqua fabarum, eryngium & similia; Sunt præt. valentiora vt lapis Iudaicus de quo *Dioscor. lib. 5. cap. 93.* cinis scorpionum assatorum, lapis spongię, lapis lyncis, cinis leporis combusti, cinis corticum ouorum gallinaceorum, sanguis hirci, cinis motacillæ, lapis hominis vel porci, puluis cimicis, ossa mespilorum puluis corticum auellanarum, puluis anseris, pullorum hirundinum, lapides gallorum gallinaceorum, & columborum, puluis vesicę mustellę, vesicę apri, foliorum mori, cornu cer. lapides vesicæ fellis bouis, Renes Asinorum, cinis glandium, lumbrici, lapides hepatis Apri, Cinis Erinacij stercus columbinum, Puluis Scarabæi, puluis cantharidum, cicadarum, & noctilucarum; quæ omnia annumerantur à *Ioanne Michaele Paschalio libro primo de curr. morbis.* Cęterum hæc remedia cautè, & summa cura administranda.

Nec ignoro *Galen.* cantharides etiam præparatus summè laudasse per hæc verba: Sane verò & cantharis parcè interim sumpta, quibusque etiam oporteat admixta, non solum vesicam non lædit, sed etiam renes expurgat, quinimò, & quæ efficaciora fiunt ad vrinas mouendas medicamenta, nonnihil habent cantharidis videatur præparato apud *Hippocrat.* nam ipse tollit alas, & caput; à quibus omninò abstinerem remediis in nostro languente, ac dyureticis clementioribus vterer; non enim reor calculum esse admodum magnum, vt magnis egeat remediis, locoque istorum remediorum summè probarem aquam aliquam Thermalem, vt & potissimum Nucerianam; vel aquam illam quam probat Claudinus in suis consult. consultatione vltima; quod ego tamen præ reliquis probarem esset aliquod balneum, quod vias haberet meatus dilatandi, & vias aperiendi; præstarem ergo balneum, aliis non cedentibus pręsidiis, vel aquæ dulcis, vel cum oleo.

Pro quo explendo scopo *Saxonia* ait summè valere venæ sectionem in pede, cucurbitulas, & frictiones partium infernarum, quæ omnia lapidem mouent, ideoque prima præstita purgatione ad incidendas pedis venas accederem, ni velimus cum *Hippocrat. 6. epid.* poplitem incidere, in quo potius inustionem facerem, qua scilicet continuo retraheretur materia ad renes, & vesicam incumbens, quemadmodum si aliam in bracchio gestaret ad reuellendam fluxionem, quæ fortè è capite commeat non absonum crederem.

Pro leniendo dolore præter dictum balneum, qui per interualla sæuissimus

mus extat, quiue statim trahit ad se curationem nam vt ait *Duretus in comm. Iam verò in hac torsione calculi, quæ celeritatem curandi exposcit, quia sęuus dolor non habet aures, vt inanem verborum audiat consolationem, atque ipsa quoque celeritas mora est*, propt. ego adhiberem fotus ex malu. pariet; althea, petrosel. apio, flor. cham. anethi, melilothi, sem. lini, anis. cumini contus. sicut inunctiones celebrarem ol. de scorpion. amygd. dulc. butyro, & similibus.

Poterit quoque admoueri parti dolenti vesica suis, vel hyrci plena oleo communi, & supradicta decoctione; sic quoque alia possunt commendari vt cæpa cum prędictis oleis pubi apposita, vel ol. amygdal. dulc. muccillag. sem. altheæ, psyllij, vng. Dialtheæ, emplastrum Diachylon simplex cum ol. scorpionis, sic emplastra præstita ex medulla panis cum lacte, mucillag. sem. psyllij, altheæ lini cum ol. amygdal. dulc. quæ omnia à doctis. Sennerto probata, ego mirè confirmo; sicut maximè etiam probarem hoc *Cratonis* remedium ab eodem pariter adductum: ℞. cancros 10. incidantur per medium, & coquantur in lacte, deinde succus fortiter exprimatur, quo imbuantur medullæ panis albi vnc. 4. addantur vitelli ouorum num. 3. butyri rec. ol. chamom. an. vnc. 1. croci gr. 5. mis. in mortario f. cataplasma, quod applicetur loco affecto; additur etiam ol. scorp. & amygd. dul. In vsu etiam fuit cataplasma de pariet. ℞. pariet. m. 4. coq. in sufficienti quantit. ol. amygd. dulc. vel lactis, addantur sæpe sub cineribus coctæ n. 3. ol. scorp. vnc. 5. f. cataplasma; hæc omnia linimenta ex *Sennerto* transcribere volui, cum mihi videantur, & facilia factu, & optima.

Nec minoris momenti esse poterunt clysteres, qui fæces euacuando, partes laxant, vnaque dilatant, adeò vt facilius calculus possit emanare, poterunt ergo fieri ad libitum, vnum adnotando, ne scilicet nimium decoctionis admittamus, quippè intestina dilatando nimios procuraremus dolores; quibus omnibus ni optima victus ratio adiungatur, nil reliqua præsidia præstare posse censerem, quam quoniam scio optimè institutam eandem missam facere decreui; faxit Deus, vt omnia hęc debitum videant optatum.

PRO PERILLVSTRI ET *Adm. Reuer. Domino Domino inthio Vetusto Patritio Aquilano, Primariæ Ecclesiæ Canonico, & Vicario generali, vesicæ lithiasi laborante.*

CONSVLTATIO LXXV.

Omnia symptomata quibus elanguescit nobilissimus æger, vnam sanè videntur vesicę lithiasim attestari, vt sunt vrinæ difficultas, ingens pubis dolor, & grauitas, dolor in perineo, anxietas quędam dum meit, arenularum eiectio, & alia; ingens enim pubis dolor & grauitas calculum agnoscunt vt caussam, nam is dum ad vesicæ stomachum allabitur, ab vrina impulsus, & vrinæ emissionem impedit, & dolorem vehementem exhibet, ut voluit *Hippocr. lib. de aere, aquis, & loc. tex. 23.* prætereà illum quoque commonstrat vrinæ dif-

difficultas,& eiusdem stillicidium,vrina enim paulatim fluit, velut in vrinæ stillicidio,dixit idem *Hippocrat.4. de morb.tex.19.* Insuper id pariter innotescit ex dolore in perinæo percepto,vbi enim subsidit,ac solida facta est, sursum, ac deorsum in vesicam volutatur, & feriens vesicam dolorem inducit, & si vehementer feriat, aliquid de ipsa aufert; vnde nil mirum si dum vrinam emittere concupiscit,velut quadam angatur anxietate;nam vt ait idem *Hippoc.4.de morb.tex.28.& si anxietas aliqua ab hoc oboriatur,alias atque alias vbi meiere vult vrinæ meatum apprehendit, existimans fortè vrinæ impedimentum ea in parte consistere*:præterea id etiam patet ex arenularum deiectione,vt vult *Hippocr.4. aphorism.79.*& lib.de Nat.hum.quod duplici de caussa in nostro casu contingere existimarim, vel quoniam arenulæ descendentes in vesicam calculo non adhærent, & super vrinam eijciuntur, vel quia à calculo diuulsæ minguntur;vt patet ex eodem *4.de morb.tex.29.*calculum quoque pandit grauitas in pube,nam non minus grauitas in rene percepta, quam in vesica calculum potest attestari sicut, & illa filamenta nolo hic annumerare allata signa ab *Hippoc.*calculi vesicæ ibidem,cum sint satis clara, & in nostro languente ferè omnia adsint,adeò vt non egeat longiori indagine: Quod tamen mihi maiori videtur disquisitione dignum, est videre an huiusmodi calculus in renibus rudimenta habuerit,an verò in vesica fuerit genitus; non enim videtur vesica in homine satis annoso calculum posse producere; cum ad illum producendum calor concurrat immodicus,qui uel exiguus est in Sene, vel quasi nullus.

Cæterum ego possem asserere materiam illam aptam lapidificari præter viscīditatem,quam in se continet,retinet enim tartaream quandam substantiam aptam ob moram segregari in vesica, unde à calore quamuis debilissimo in dispositissimam materiam agente potest in calculum conuerti;extensio enim caloris æquat non rarò eiusdem caloris intensionem; cuius quidem materiæ diutina mora caussa est vasorum angustia,uel retentricis, & expultricis imbecillitas:hocque voluit *Aristot.* indicare dum dixit quare inter omnia animalia solus homo calculo elanguet, idque ait contingere ob uesicæ meatum arctiorem,angustioremue,ut non immeritò *Hippocrat.lib.de aquis, & loc.*dixerit mulieres minus uesicæ calculum pati, quia uesicæ ceruicem breuem habent,& latam,subditque. *Retinetur verò, augeturque propter canalis angustiam,cum enim terrena illa subsidentia prodire ex facili nequeant,reuersa cohærent inter se se,calculumque ita conficiunt*;ex quibus uidere est quam consonè explanarim calculi productionem,per moram enim in uesica materia illa tartarea, atque uiscida densatur, inspissatur, adeò, vt facillimè in calculum commigret,eòque magis quia urinæ exitus trahit quod magis aqueum est, & quod tenuius.

Adde quod vrinæ illa salina siccaque substantia magis possunt densari exsiccatis,ac resolutis partibus aquosioribus, quæ quidem salis substantia ab hepate producitur,ut puta feruidiore sicque ab eodem tartarum illud,quod siccum esse necessum est,& quod aptum est abire in calculum; unde quamuis uesica sit frigida potest calculum congerere,sicut rem, modo apponatur materia habilis lapidificari;hocque uoluit *Hippocrat.lib.de nat.hum.tex.24.*cum dixit: *Viris autem non generantur propter corporis frigiditatem*,ly enim corporis saluat difficultatem, nam vult ut aliqua pars corporis calore aliquo redundet, ut possit producere materiam aptam lapidificari,quod si *Hippoc.* dixit se non

uidisse

vidisse calculum in vesica post 42. annum, dicendum *Hippocr.* intellexisse de calculo vesicæ producto ex valida vesicæ virtute formatrice vel calore exsuberante, non autem de calculo progenito quasi per accidens, & ex tartareæ materiæ subsidentia, seu sequestratione.

Sicque mihi videor posse dicere in annosa ætate posse calculum gigni, sicque videmus multas experientias multorum sensum, quibus in eorundē autopsia inuenti sunt calculi in vesica ad magnitudinem oui; sic ego possum iure iurando asseuerare me vidisse admodum Reuerendum Patrem Iacobū Antonium de Carolis Religionis Barnabitarum, Aquilanum Patritium, omnique literatura insignem, qui quamuis octuagenarius nihilominus in morte inuentus est habere quinque vel septem calculos maximos, sic *Vallesius* refert historiam Ferdinandi à Mena cui post mortem exciso solidissimus lapis plusquam septem vncias pendens extractus est à vesica, cum hic multos ante annos renum calculo laborarit; quicquid tamen sit, quamuis nobilissimus noster æger vesicę lithiasim patiatur, eandem à renibus vendicasse dicendum, ad quod proferendum me suscitat, quia duodecim ab hinc annis renum calculo laborans dum equitaret, sensit calculum ad vesicam descendisse, quem nunquam eiecit, quamuis aquam Nucerianam sumpserit, signum profecto in vesica stabulari, vbi coagmentationem agnoscit; renes enim quia calore referti & quia materia viscida scatentes, hanc à capite, & ventriculo habiti, illum ab hepate feruidiori nacti calculum produxere, ideoque dixit *Pal. 3. de alim.* vbi enim succorum crassities adest, viscidorumque humorum copia, illic calculi generantur; quod autem viscida materia tum à ventriculo, tum à capite congeratur, patet, quia circa ventriculi regionem grauitatē quandam persentit, vomitibus pituiteæ materię per interualla infestatur, ructibus ingemiscit, & tandem ventriculi imbecillitate torquetur vt constat ex eo quia nonunquā cibos vt deglutit inelaboratos excernit vnde omnium confusio, eaque orta à caloris immodico feruore, qui etiam est in caussa, vt & à capite destillationibus præmatur, vt videre est ex continua expuitione, & aliquando tussicula; quos quidem humores tàm à capite, quam ventriculo genitos renes & quia dolentes, & quia debiles recipere potuerunt, & quia inferno loco siti, vnde in lapidem conuersi fuere; sicque non miror Nicostratum, Apemantum, & fabri patrem in epid. omnes ob fluxionem è capite in renum dolores incidisse, à qua etiam fluxione non raro in venas irruente crederem erroneam illam febrem accendi, dum enim in venis concluditur incalescit, sicque non rarò, & per interualla febrim concitat, erroneam quidem, quia instabilia sunt quæ in humidis fiunt.

Quicquid tamen sit, quoniam ex *Hippoc.* Renum scil. & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanitur, ideò videtur affectus nobilissimi nostri languentis difficulter sanabilis, agitur enim cum sene eoque non admodum valido, ità vt omnimoda salus haud sperari queat, sed aliqua iucundior vita, seu melior status cum recidiua ad nouos dolores, ideo poterit sarciri, non autem consolidari huiusmodi pannus, vt non immerito *Gal.* Medicos compararit vestes sarcienti; propterea curatio ineunda quæ multis perficitur indicationibus primò, tollendi materiam quæ calculo occasione auctionis substernit, secundò, tollendi intemperies producentes huiusmodi materias, tertio, deturbandi calculum, & quarto tandem leniendi dolorem.

Quoad

Quoad euacuationem videtur eadem esse molienda vomitorijs, *sola enim* (aiebat *Gal.*) *euomi natura apta sunt quæ in ventriculo continentur. eorum verò quæ continentur in intestinis nihil potest per vomitum euacuari*; neque obstat caput pati, & consequenter vomitorium interdici, non inquam nam ipse met *Hippocr. tum in epist.* tum alibi vomitorium comprobauit aiens: *Fluxione ex capite fluente vomitus conducit*, & alias dixit: *Fluxione ex capite fluente, veratrum conducit*: darem ergo aquam tepidam in qua fuerit incoctus raphanus adiecto syrup. acetoso simpl. ad vncias duas, & tunc potissimum cum eidem cupido accedit euomendi, quod si prius ad diuellendas materias velimus exhibere mel. ros. sim. oxym. simplex, & similia haud quaquam malum erit; neque solo vomitorio contentus essem, sed morbo vt credo non cedente dari poterit portio mellis ros. sol. syr. ros. sol. cum portione cassiæ, hæc enim præstito vomitu nullum periculum erit vt possit materias ad vias traducere vrinæ, vt bene nos admonet *Valles.* in historia Theophorbi filii, quod etiam adnotauit *Saxonia*; neque vnam sat esse purgationem existimarem, sed multiplicem, & per epycrasim; cum enim multæ adsint intemperies cædemq; inequales non possunt non congerere multam humorum vbertatem, quæ cum possit calculi augmentum præstare necessario per epycrasim deturbanda, lenibus tamen medicamentis, vt omnes probant fere auctores, quamuis doctiss. *Septall. lib. 7. num.* 122. dixerit blandissima hęc lenientia, sæpissimè muneri illi euacuandi materias multas, crassas, & viscidas satisfacere non posse, sed retenta, & ipsa, & per se molem augendo, & comprimendo dolorem augere, aut eleuatis & ex se, & commota non expulsa materia multis flatibus censet sæpissimè expedire medicamento vti soluente pro uarietate materiæ, benedicta laxatiua Diaphænico, electuario elescoph. electuario de s. ros. indo, & similibus; cæterum pace tanti uiri non mihi admodum arridet huiusmodi medendi modus, siquidem præcipitata uiolenter materia in partem affectam maius imminet malum, atque ego possum asserere quendam Medicum cum ut à morbo hoc quendam uirum præseruaret exhibito plusquam leniente pharmaco dolores acerbissimos accessisse, vrinæ factam esse suppressionem, & tandem mortuum esse, quamuis melius semper est in his casibus infra subsistere, meliorque est numeri multitudo; ideoque ego non trascenderem cassiam, syr. ros. sol. mel. ros. sol. cum aliqua portiuncula agar. trochis. sic enim & caput, & ventriculum respiciemus, vnaque materias crassas.

Neque enim mihi suasum habeo simplici euacuatione deorsum huiusmodi morbum edomari, sed requiri putarim etiam clysteres qui satis noti sunt doctissimis viris de sanguinis missione haud loquendum, siquidem vir est octogenarius, debilis, multis redundat flatibus, vnaque materijs crassis, & frigidis; quare potius ad abstergendos renes, & ad tollendas intemperies animus est reuoluendus, pro quo explendo scopo, ego sanè iuribus alteratis vterer, vt ℞. sem. malu. altheæ an. drach. 3. sem. 4. frigid. maiorum an. drach. 2. pariet. rad. petrosel. asparag. saxi fragiæ an. p. i. hord. vnc. 2. sebest. num. v. i. liquir rasæ vnc. 5. graminis pichor. cum rad. an. p. i. sic pro ventriculo roborando, & flatibus dissoluendis adderem sem. fænic. anis. cort. citri, mnetham viridem atque betonicam, sicut pro exsiccandis materijs summè proficuum crederem addere chinæ portionem, cum ligno saxafras, videtur enim adeò debilitatus ventriculus vt quasi lienteriam emu-

letur, quia excernit non rarò cibaria vt sunt ingesta.

Quod si ad hęc non sedetur morbus, ego maximè proficuum esse crederem ad therebintum deuenire cum puluere liquiritiæ, habet enim summam prerogatiuam in renibus abstergendis, sic emulsionem laudarem quatt. sem. frig. maiorum dissolutarum iure in quo bullier t cinnamomi tantillum; *Mercatus* calcitrapam proponit cardui genus quoddam, quam ait in purgandis renibus, & vesica nulli esse secundam, deque ipsa mentionem facere *Rembertum Dodonæum*, & *Reuellium*. Esset interim procuranda lapidis vel confractio, vel eiectio, illam rarò vidimus, hanc multis tentare possumus; hinc *Mercatus lib 4 suæ praxis* hęc habet: *Quod si his exhibitis non profuerit, & cum vrina pituitosius, & laminosum, friabileque sedimentum apparuerit, ad secundum genus transeundum est, constans quidem ex tenuibus partibus, acido sapore, & copiosa humiditate cum calore moderato*. Quippe talia in lapide frangendo efficacissima existunt, nam à tenuitate habent vt penetrent densas, & iam concretas lapidis partes ab aciditate, quod incidant, & disiungant gluten iam iam ferè concretum, à copioso humore quod madefaciant, & velut emolliant, quod calore indurari cęperit, egent tamen moderato calore ad hoc ut penetrent, cuius generis sunt succus oxalidis radicis rubi, beton. radix graminis, adianthum, asplenium, smyrnij semen, rumicis radix, vitis lachryma, semen maluę siluestris, radices cannarum, bliti, saxifragiæ, vrticæ, amygdalæ amaræ, nuclei cerasorum &c. hæc tamen poterunt ut feci ebullire in supradicto iure à me proposito.

De reliquis lapidem incidentibus quorum non est numerus ego non loquor, cum illis nullo pacto credam; sic *Mercatus* refert se multis annis experimento fidissimè obseruasse, & à veteribus, ac probatissimis Medicis obseruatum accepisse nunquam profuisse remedia calculum frangentia; cæterum si velimus fidem multis adhibere dicentibus posse calculum diffringi, ego præ aliis laudarem *Horatij Augenij* medicamentum à Iesuita habitum estque tale: ℞ pulu. mille pedum præpar. drac. 1. ad summum scrup. 4. aquæ vitæ vnc. 5. iuris cicerum rub. vnc. 8. cap. quinque horis ante prandium: Mille pedes ait Senner. ita præparari, sumuntur asellorum viuorum lib. 2. diligenter abluuntur aq. anonidis, & à sordibus purgantur, deinde uino Hispanico Petrasimeno dicto inebriantur, eoque sensim effuso conijciuntur in ollas vitreatas, quanto plures, tantò melius, cum in unam ollam coniecti citrà combu. ctionem uel putrefactionem difficulter exsiccari possint.

Hæ ollæ luto diligenter occlusæ in furnum à panis coctione calentem collocentur, ut moderato calore exsiccentur, & in puluerem redigantur; huic pulueri rursus infunditur sensim vinum Hispanicum quantum imbibere potest, & rursum exsiccatur, & ista imbibitio, & exsiccatio tertiò repetatur, quarta vice hoc liquore irroretur: ℞. aq. fragor. vnc. 3. spiritus vitr. drach. 1. s. iterum puluis exsiccetur, & tenuissimè contritus in uitro usui seruetur. Possem & innumera alia annumerare præsidia ut decoctum eryngii, lactis Asinini vsum, quem refert *Iulius Cinus lib. 25.* calculorum olim perfractorum emisisse: uel salis tartari albi liquorem cum aqua petroselini, & aliis ingredientibus quæ apud Sennertum videri poterunt.

Quod si neque his cedat affectio, & morbus urgeat, tunc nullum aliud uideretur oportunius remedium remanere, ipsa sectione, seu litotomia, quam quamuis uisus sit *Hippocrat.* reprobare, in iusiurando, eam reprobauit ut factam

ctam à se tanquam Medico dignissimo, dicit enim: *Nec verò calculo laborantes secabo, sed viris Chirurgiæ operarijs eius rei faciendæ locum dabo*: non autem improbat ut ab aliis fiat; sic miror quosdam Medicos adeò Medicinam uilipendentes ut audeant uel ipsi uenam secare, & Chirurgorum munia exsequi; quod quantum dedeceat ipsi norint; indeque bene asseuerabat *Cardan.* opus esse omnes Medicos nobiles esse, ne quid indecentis committant; de hac tamen sectione haud uerba faciam in nostro languente cum ea nec sit necessaria, nec à languente admittatur, unde illius loco duas inustiones celebrarem vnam dextro cruri hepatis, renumque caussa, alteram uerò in bracchio capitis gratia.

Pro leniendo dolore, & prouocanda urina, innumerus est remediorum catalogus, ut inunctiones ex ol. scorp. amygd. dulc. butyro, ung. Dialthæa, & similibus, sic probarem fotus, cataplasmata & alia quæ breuitatis gratia sileo. De balneo hic non loquar primò quoniam uires sunt debiles, secundò quia morbus non urget, tertiò tandem quia uentriculus est languidus; pro quo corroborando adhiberem inunctiones ex ol. de spica, de mentha, de absynthio, sicut etiam affigerem ceratum ex tach mach, uel de mastiche, quod etiam capiti affigerem; sic quoque aqua Tetturiana optimi usus esse poterit, cum & uentriculum roboret, & abstergat atque insimul renum ac uesicæ obstructiones aperiat, arenulas pellat, & lapidem frangat ut aiebat *Baccius lib. 5. de Thermis* optimam his iungat uictus rationem, nam mihi suadeo aut calculum à Natura esse propellendum, aut eundem eidem haudquaquam negotium facessere.

PRO PERILLVS. PVELLA *Filia Domini Ioannis Pauli à Masciarellis ischiade laborante.*

CONSVLTATIO LXXVI.

Optima sanè ratione dixit *Hippocr. in epid. & pro quibus qui morbis* solent enim ijdem velut nouus Proteus in varia se se commutare, quod potissimum in chronicis affectibus uidere est, qui ut plurimum in abscessus commigrare uidentur; ut mirandum haud sit si nobilis puella annum agens septimum, pituiteo temperamento donata iam duplex excurrit annus graui dysenteria lacessita, in dextræ tandem natis decubitum inciderit, circa ossis videl. scij regionem, illuc sanè à Natura materia propulsa tanquam in partem ignobiliorem, ubi continuum natura affluxum præstans perennem etiam dolorem procurat, indèque meritò dixit Hippocrat. *lib. de aff. tex.* , o. *Coxendicum morbus cum fit, dolor corripit coxæ iuncturam, & summas nates, ac coxendicem, tandem uerò per totum crus etiam dolor vagatur*, & subdit; *Morbus hic fit cum bilis, & pituita in sanguifluam venam incubuerint, aut ex alio morbo*; ut contigit nostræ puellæ, quod etiam contigisse refert Hipp. *5. epid. 15.* Hecasoni, qui ab immunditia non purgata, & à praua purgatione dolorem acutum in coxa habebat; casus tam similis nostro ut dici uix possit; hic enim a Dysenteria in coxendicum

morbum incidit; Et noſtra puella ex dyſſenteria in Iſchiadem pariter incidit; dolorificum ſanè pathema; quam ſanè commutationem explanauit etiam *Hippoc. lib. de loc. in hom. tex.* 19. ubi hæc habet: *Fiunt prætere à articulorum, ac coxendicum affectiones, a talibus morbis ſanatis, quum morbum quidem efficiens ſanatur, in carne verò quid relictum fuerit, cui non ſit exitus, neque rurſus intrò, neque foras, ſed ad cutem egreſſum tuberculum vtique fecerit, fugit autem in id quod cedit, articulos videlicet, & aut articulorum, aut coxendicum affectiones inducit : Altera enim pars* (inquit *Hippoc. 2. epid. ſect. 1. tex. 12. & lib. 1. dc morb. mul. tex. 47.*) ad alteram *delegat in corpore, vbi ſinguli s plus quam oportet affluxerit, & continere non poterit : quamuis igitur* dixit *commentator lib. de loc. in hom. vnaquæque pars pro viribus ſe ſe tueatur, per expulſiuam potentiam arcendo quicquid eſt noxium, in mutua tamen altercatione neceſſe eſt imbecilliores demum ſuccumbere;* quod autem articuli ſint partes debiliores non eſt dubitandum, ut propt. euicti à materia ab inteſtinis propulſa, uel ab aliis partibus nil mirum ſi abſceſſum receperint, omnes abſceſſus conditiones explentem, nam primo eſt in parte ignobili, inferno loco ſita, locus eſt capax, & tandem materia morbo correſpondere ut colligere licet apud *Hip. e hiſt. Temene Nepti*, & quod magis eſt adeſt conferentia, & tolerantia.

Et quamuis huiuſmodi affectio à Dyſſenteria originem duxerit, non ob id tamen nunc vniuerſi corporis affluxum explodit, nam diuturnitas commonſtrat aliquod ex præcipuis membris eſſe intemperatum vt putà caput quod ex H*ippocrat.* ſedes eſt frigidi ac glutinoſi; quod patet quia nocturno temporis interſtitio dolor magis exacerbatur ſignum fluxionis quæ à capite refrigerato nocturno aere exprimitur, & à dolore trahitur, quæ quidem fluxio potuit etiam à cauſſa procatartica profulgere, ſiquidem cum hyemalibus horroribus feneſtræ a pertæ extiterint, potuit refrigerato capite fluxio oriri, quemadmodum, & denſari materia quæ in articulo ſtagnabat, cum fæmur abſque tegumentis teneret, vnde debilitata etiam magis parte, fuit eadem reddita habilior ad ſuſcipienda reliquarum partium excrementa, atque indè intumeſcere, non quidem luxato articulo, ſed à continuis mucoribus laxato; cuius quidem laxationis meminit *Manardus in ſuis epiſt.* & quamuis a capite materiam tranſmitti dixerim, non ob id articulo deneganda eſt congeſtio, læſo ob continuum humoris ſtationem in alterando, vnde quicquid apponitur in mucoſitates conuertit, quæ & maiorem laxationem faciunt, & maiorem debilitatem, quam ſanè materiam non intrà articuli pixidem morari crediderim, ſed in ligamentis, ac partibus neruoſis, ac carnoſis, eo quia niſi moueatur dolorem non percipit, ob idque *Mercatus cap. de iſchiade* dixit hunc morbum eſſe ſpuriam iſchiadem, quia niſi articulus moueatur, parum, aut nihil dolet, quod intrà ipſum humor non ſit, nam tunc cum perpetuò articulum diſiungit, ita continuò premit dolore.

Quicquid tamen ſit quoniam hic morbus vt aiebat *Celſus* rarò hominem dimittit, ſi ſemel aſſueſcat, & tunc potiſſimum cum laxatur articulus vt in noſtro caſu contingit, propterea antequam vlterius radices iaciat, pugnandum pro hoc morbo debellando; ſcio quod vbi decubitus facit iſchiadem non videtur curationem admittere, nam dolores articulorum ſi venerint recipiendi, ſin minus prouocandi, qua de cauſſa habemus apud *Hippocr.* hiſtoriam eius cui inteſtinum dolebat, qui cum ad coxam decubitum faceret, protinus atque fæmur curabatur, protinus inquam redibat dolor at inteſtina; verum quoniam nunc non amplius habet rationem decubitus cum duo ex-

currerint anni huiusmodi morbi, ac supponatur impressa debilitas ex continuò ferè dolore, ac fluxione proindè curatio ineunda, quæ multiplicem nobis obiectat indicationem, vt dolor scilicet leniatur, materia quæ est doloris caussa euacuetur, reuellatur, & tandem discutiatur.

Et primò quamuis non ignorem ante euacuationem sedandum esse dolorem vt perhibebat Auic. tamen id intelligendum est de magno dolore, qui potest attrahere materiam motam à medicamento in partem affectam, non autem de leui, velut est dolor nostræ puellę, proptereaque antè omnia darem apozemata aliqua quæ vim habeant materias præparandi, vt postmodum possit fieri purgatio; darem ergo syr. de s. beton. de s. borrag. & mel. ros. simpl. cum decocto communi, & subinde darem mellis ros. sol. & syr. ros. sol. an. drach. 1. s. De sanguinis missione hic non loquar, cum simus in extenuatissima puella, temperamentum sit frigidum, materiæ pariter sint frigidæ, & morbus sit diuturnus; Sed loco illius inustionem vel occipiti affigerem, vel bracchio.

Pro discutienda materia quæ descendit, & quæ est imbibita in articulo, darem syrupum ex china, quia cum sit delicatus, facillimè sumetur à languente, sic quoque pro materiæ à capite interceptione cerato vterer capitali in syncipite applicando; neque interim immemor essem materiæ coniunctæ, & id articulum collapsæ, qua ratione, & fotibus cum vino vterer, & clysteribus acrioribus, & inunctionibus ex oleo irino, de castor. de peperibus vt vult *Mercatus*, sic etiam emplastrum ex menthastro fluuiali, cum oxymelite confectum, idem præstat rutha cum melle trita; vel emplastrum ex stercore bouino, aut caprino, vel pipionum cum cumino, sulphure, & sapa, habet enim hoc emplastrum maximam vim resoluendi; ac roborandi partem, at discutiendi materiam, sicut probari posset vinaceorum vsus. Posset innumera alia proponere, sed quia agitur cum puella, proindè hæc sat esse possunt, dummodò debitam seruet victus rationem.

PRO DOMINO NICOLAO
Magnante Aquilano Ischiade laborante.

CONSVLTATIO LXXVII.

Caput radicem esse omnium humorum morborum expressit Senex in epistolis, cum enim corpori velut cucurbita medica incumbat, contingit vt ipsum omnium eorum quæ ingeruntur superfluitates attrahat, & tenues humores, vt propt. haudquaquam stupori hæream defixus, si noster languens refrigerato ab aeris inclementia capite fluxionem exprimente ischias prosilierit; vt voluit etiam *Hippocrat. lib. de gland.* proindèque ibidem *text. 7.* dixit de cerebro loquens: *Facit autem morbos, & minores, & maiores, quam alię glandulæ facit autem quum in infernas corporis partes redundantiam, ac superfluitatem suam ablegarit*: & quia eandem in articulos ablegauit, ibidem dolorem genuit, sunt enim articuli vt dixit *Gal.* aptissimi ad recipiendas fluxiones ob latiora eorum spatia, ni velimus cum *Zoroastro Tinello* dicere articulum ideò susci-

ſuſcipere, quia propter frigiditatem, & torpidum eius ſenſum vis expultrix ſentire nequit materiæ ſtimulum, neque poteſt inſurgere ad ipſam expellendam.

Quinimò nedum ſuſcipiunt, ſed doloroſi præſtiti maximè attrahunt, Natura enim aiebat Laurent. vt dolenti parti ſuccurrat auxiliares ei præbet manus, calorem natiuum, & ſpiritus eò tranſmittendo, quæ ſanguinem (cui tanquam ſubiecto proprio, & fundamento inhærent) ſecum pariter commouent, & ad partem dolentem deducunt: neque ſolum ſanguinem deducere crederem, ſed & reliquos humores per corporis ambitum diuagantes, nam vbi ſanguis trahitur, vna cum ſanguine trahuntur reliqui humores exuberantes, redundantia enim, & vitioſa humorum qualitas ſunt præcipuè fluxionum cauſſæ, quoniam nimia humorum quantitas, aut vitioſa eorum qualitas naturam irritant, quæ vt ijs ſeſe exoneret, eoſdem in inferiores partes pellit; pellit autem in partes imbecilliores quales ſunt articuli, qui dum ſuſceptant materiam, dolore ſufficiuntur; proindèque dixit *Hippocr. lib. de loc in hom. text.* 34. *quum obturatus fuerit fluxus, & non habeat quò iter faciat, viam ad articulos facit, & in id quod cedit influit, & ſic coxendicum morbum inducit*: per quas tamen vias permeet materia à multis dubitatur, ſunt enim variæ ſatis opiniones.

Alij enim dixerunt huiuſmodi humorem per venas, & Arterias defluere in articulum, ſic *Andr. Laur. tom. 2. lib. de arthrit. cap.* 5. dixit duas eſſe generales defluxionum omnium cauſſas, nempè ordinarias, & extraordinarias, ordinarias dixit eſſe venas, Arterias, ac neruos, per quas arthritica materia vt plurimum defluit, extraordinarias verò eſſe membranas, vincula, oſſa: *Fernel.* arthriticam fluxionem cenſuit non à capite per venas in articulos delabi, ſed eam per ſumma corporis decurrere deorſum ſub cute. *Hippoc.* modo vnam, modo aliam viam ſanxit: nam *lib. de gland. text.* 10. dixit: *Defluit pituita in ſpinalem medullam, indè in ſacrum os, & denique in coxendicum acetabula, & iuncturas deponit*: & *lib. de affect.* dixit *tex* 30. *Morbus hic fit quum bilis, & pituita in ſanguifluam venam incubuerint*: ſubdit *Martianus in comment. quam quidem Hippocrat. ſententiam veriſſimam eſſe cognoui per ea quæ obſeruaui in cæmentario quodam hoc morbo laborante, qui dum à vehementia doloris afficiebatur, (id que per quoſdam paroxiſmos contingebat,) venæ omnes per exteriorem partem leſæ coxæ & cruris diſſeminatæ mirum in modum intumeſcebant, remiſſoque dolore ſubſidebant ſtatim, nec earum apparebat veſtigium*: Ego tamen per venas exteriores capitis huiuſmodi fluxionem deferri arbitrarer, quippè dum huiuſmodi fluxiones mouentur, vt plurimum quidem circà capitis ſuperficiem pruritum quendam mouent, ſignum ſanè huiuſmodi materias aliquo pacto mordaces eandem partem acrimonia tangere, ſicque titillando pruritum illum agere; vel dicendum à capite per aures huiuſmodi fluxionem ferri, atque ad coxæ articulum demandari, qua ratione *Hippocrat.* ad intercipiendam illam materiam venas, quæ poſterius aures ſunt ſecat, vt videre eſt *in Epid.* ibi enim hæc leguntur: *Cui adſunt κέδματα venas, quæ poſterius aures ſunt ſecare oportet; Galen. ait cedmata vocari* fluxiones, quæ in crura, & coxæ articulum deſcendunt, itaque dicit eos quibus fluxiones ſunt ad coxam iuuari ſcarificatione venarum retrò aures: ſubdit *Valleſ. in comm. ego huius cauſſam ratus ſum, quod multis iſchiadicis ex capite fluat materia, & eius loco vſtione intercipiatur*, quamuis non ignorem *Martianum* dixiſſe cedmata quemlibet articulum inuadere poſſe; quicquid tamen ſit ſat eſt nunc aſſere-

re fluxionem qua ingemiſcit noſter languens à capite manare per dicta itinera ad coxendicem, vel dicendum naturam vt volebat *Hippocrat.* inuenire ſibi vias, quas Medicus reperire non poteſt.

Quænam ſit materia quæ fluit eſt etiam dubitandum, puto enim à quocunque humore poſſe fieri iſchiadicum affectum, vt de arthritide in meis epiſtolis probaui, ſed in noſtro caſu putarim fieri ab humore pituitoſo, qui noctu mouetur, ſed non multum craſſo, verum potius ſeroſo, ſic *Sennertus lib. 2. tractat. de Iſchiade* dixit hunc morbum fieri ex humore ſeroſo acri, à capite ſub cute defluente, & circa membranam vel neruum aliquem hærente; quomodo namque contingere poteſt, vt materia craſſa tam citò euaneſcat, vt non raro ſine dolore maneat, non raro citò morbus accedat, & derepentè niſi colluuies ſit ſeroſa? quæ & citò cum deſcendat, & citò reſolui poſſit, nil miror ſi dolor citò accedat, & citò recedat, quod ſi iam multum temporis euolauit dum hoc pathemate premitur, id non referendum in materiam craſſam, ſed in viſcerum & potiſſimum capitis, & ventriculi intemperiem, quæ fouetur à calidiori Iecoris dyſcraſia, ventriculi calorem depauperante, vnàque bilis portionem producente, quæ dum ſeroſæ humiditati commiſcetur, dolorem acerbiorem producit, indèque cenſerem nunquam poſſe à ſimplici colluuie ſeroſa morbum produci, ni conſocialem bilem habuerit, quæ vel articulum, vel neruos, & membranam, vel alias partes oblædat; non enim vnanimis eſt auctorum ſententia de loco offenſo in coxendicum morbo, Aetius ſiquidem vt eſt apud *Sennertum loco cit tert. 3. ſerm. 4. cap. 1. ex Archigene* ità ſcribit: *Iſchiadici propriè dicuntur, quibus dolor circa iuncturam quandam vertebrarum innititur; Antecedit autem, & quaſi auſpicatur hoc malum aliquando vicinorum muſculorum dolor, & maximè lumborum, aliquando verò ab ipſa iunctura initium ſit affectionis. iam verò quandoque contingit vt vertebræ dolore ferè ſublato circa poplitem ſolum affectio hæreat, alijs verò iuxta talum; quibuſdam verò totum crus æqualiter dolore affligitur, multis item circa inguina dolor figitur, & tum ſana moleſtiam tranſumens ipſa veſica vrinæ difficultatem inducit, & tunc maximè totum crus à coxendicibus vſque ad calcaneum dolorem perfert. Platerus* Iſchiadicum dolorem articulo coxæ cum fæmore tribuunt *Fernel. lib. 6 de part. morb. cap. 18.* dixit ſedem Iſchiadis non eſſe in eo articulo quo fæmoris caput in coxendicem inſeritur, ſed altius ad ſummam natem, qua nerui à lumbis, & oſſe ſacro emergentes feruntur in crura, quia dolor atrox non in ſola eſt coxendice, ſed in femur quoque, & in ſuram, & in extremum pedem exporrigitur, quocumque nimirum ab affecta coxendice diductus ramus pertingit.

Cæterum ego vt liberè fatear dicerem tam articuli cauitatem ſeu pixidem, quam partem neruoſam eſſe oblæſam, hac tamen differentia, quia dum cauitas articuli offenditur, dolor ob illarum partium dilatationem eſt maximus, ſed nullus tumor apparet, nec reſpondentiam habet ad pedes, & genua, quam tamen obtinet dum partes natium muſculoſas, tendinoſas, & neruoſas affligit, & quia morbus eſt in ſuperficie pars etiam tumet; non raro vtraque pars offenditur facta epigeneſi, ſicque & tumor adeſt, & cauitas articuli patitur, & conſenſus adeſt ad partes infernas; non enim fit materiæ μετάπτωσις vt contingit in podagris, tranſpoſita materia ab articulo ad cutem ſed ἐπιγένεσις propagato morbo, & maiori facto humorum affluxu, in hocque putarim differre podagram ab Iſchiade, vtrique enim morbi habent dolores vehementiſſimos, ſed in podagra dum tumet pars dolor mi-

nui-

nuitur, increscit in Ischiade; quare in nostro languente dicendum adesse materiam tantum in cauitate articuli, cum dolor tantum circa fęmur respondeat, & non vlterius ad genua, vel pedes progrediatur; ità vt non sint oblæsi nerui illi quorum meminit *Fernellius*.

Cæterum quoniam hic affectus & molestissimus extat, & rebellis, ac contumax, antequam vlterius infigat radices eidem medendum, solet enim vel vsque ad annum extendi vt voluit *Hippocr. 2 prædic. tex.* 45. est enim vt ait *Senn.* hoc malum curatu difficile propter loci profunditatem, & amplitudinem, ac materiæ multitudinem quam capit amplitudo loci, ideò à multis elicienda sunt indicationes, à multitudine materiæ antecedentis quæ euacuanda, reuellenda, exsiccanda, & intercipienda, ab inęquali viscerum intemperie, quę alteranda, & tandem à materia coniuncta, & dolore, quoniam hic mitigandus, illa discutienda, ac dissipanda.

Et primò quantum attinet ad euacuationem *Crato in consil.* 247. dixit ischiadicos dolores purgantia non sustinere, cum humores magis in ea loca decumbant, sic *Mercatus lib.* 4. *suę pract.* dixit in pituitosis, ac melancholicis humoribus nunquam, aut quam rarissime vtendum esse purgantibus per infernam aluum, nam cum credere queamus à ventriculo, aut splene vitiosos plerumque humores succrescere tutius est per vomitum expurgare, efficitur enim reuulsio, & per conuenientem regionem euacuatio; verum si biliosus sit humor qui fluit, aut copiosiori bili admixtus licet optimum sit vomere, possumus tamen mitioribus medicamento bilem ad infernam aluum ducere. quod si ex partis vitio in dies succrescant iuxta articulum excrementa, nullam arbitratur fore euacuationem ea quæ fit epycrasim: *Sennertus tamen loco cit.* dixit purgationes fortiores hic locum habere, vtileque esse electuarium Cariocostinum, pillulas artriticas, fętidas, de hermodactilis, quamuis & ipse dicat commodiora esse vomitoria; *Hippoc. lib. de aff. tex.* 30. de hoc morbo loquens dixit: *Vbi verò quieuerit dolor, pharmacum dandum est infrà purgans*; & alibi dixit dandum esse medicamentum dum dolor intus fuerit; sic cernimus in Eupolemo in Oeniadis Ischiadico *Hippocr.* dixisse: *Et pharmacum bibit elaterium, & purgatus est multum, & melius quidem habuit*: dolores autem non deficiebant, sed suppuratam habebat & coxam, & coxarum ad sedem commissuram: sic in Licone in Oeniadis idem *Hippoc.* medicamentum dedit, & videbatur melius habere.

Cæterum non hic subterfugienda est difficultas nam *Hippoc. loco cit. lib. de aff. tex.* 30. damnat vsum pharmaci in dolore coxendico, donec dolor conquieuerit, & in Eupolemo, ac Licone ambobus durante dolore medicamentum dedit; sed dicendum ideò fuisse exhibitum pharmacum, quia dolor erat inueteratus, & consequenter non ex materię fluxione fiebat, ita ut ex medicamento fluxio magis moueretur: Præt. locus erat suppuratus, & dolor potius à suppuratione pendebat, quam à fluxione, ideoque ne pus illud sua acrimonia dolorem agens corrumperet partem, vtque dolorem leniret dedit medicamentum forte quod & à parte euacuaret, atque insimul dolorem leniret, neque obstat quod in Licone in Oeniadis dederit etiam pharmacum, nam illud puto dedisse ab initio quando materia non erat firmata sed in fluxu, dicit enim: sanus autem multo tempore, ita ut tunc inciperet morbus; neque mihi sic contradico dum prius dixi in inueterato dolore dedisse *Hippoc.* pharmacum nunc autem subdo in recenti.

Nam

Nam vel ſtatim antequam in parte recipiantur humores medicandum, vel poſtquam fluxio non amplius deciderit in partem: ſic enim ab initio pharmacum datum reuellit humorem, qui poteſt ad partem affectam confluere, ſicut in fine tollere poteſt materiam antè remanſam quam purgat in ſuppurationem vertatur, neue ibidem obdureſcat; Quamobrem non expaueſcerem nunc in noſtro languente medicamẽtum exhibere, ſumus enim in principio morbi, vbi non ſupponitur eſſe multa confluxa materia, & dolor non eſt magnus ita ut poſſit multam attractionem facere, darem ergo prius præparata materia ſyr. de ſ. beton. de ſ. borraginis, & melle roſ. ſimpl. ſequens medicamentum. ℞. pillul. de agar. arthetic. aggregat. an. drach. 5. diagr. gran. 5. i. miſ. & cum aq. iuæ refor. pillulæ v. i. cap. quas ſanè pillulas reiterarem ſit epycraſim ſeruaremus, & potiſſimum ſi indè melius habeat. Neque interim à ſanguinis miſſione abſtinerem; & potiſſimum in noſtro ægrotante, qui hepate retorrido refertur, vt videre eſt è continua ſcabie, vnà cum repetente ſæpius in cruribus eryſipelate; ſic cernimus *Hippocr.* Eupolemo, & Liconi in Oeniadis venam ſecuiſſe, dixit enim in hiſtoria Eupolemi: *Huic ſanguis detractus eſt à talo, valdè multus & niger, & craſſus*; & in hiſtoria Liconis dixit: *Pharmaca autem bibebat & adhibebat cucurbitulas, & vena ſectione vtebatur*: ſubdit *Valleſ in comm. Hippocrat.* ſolitum eſſe vti quattuor remedijs ad profligandum coxendicum morbum, pharmaco nempè, venæ ſectione in crure, cucurbitulis, & inuſtione, ſic quoque clyſteribus acrioribus vtitur.

Verum quamuis *Hippocrat.* ſanguinem miſerit ex talo, ac alias vtputa *lib. de eſſ. nat. tex. 2.* dixerit: *Oportet venæ ſectiones in doloribus in dorſo, ac in coxendicibus à poplitibus facere, & à malleolis forinſecus Sennert.* dixit in dolore magis extrorſum vergente ſanguinem eſſe mittendum ex vena, quæ eſt ad malleolum externum, aut ſaphena, quæ eſt ad malleolum internum ſi dolor magis introrſum vergat: tamen ego aſſeuerarem, quod dum humor ab vniuerſo corpore confluit, & hepar eſt feruidum ſit ſanguis mittendus ex bracchio, aliter enim maiorem trahemus in partem affectam materiam, quam opinionem habuit etiam *Mercatus loco cit.* dum dixit: *Dum tamen ab vniuerſo corpore ſanguis (quod copia eius corpus plenum exiſtat) profluit, conſiderabis ſit ne vetuſtus dolor, an nuper concitatus, nam ſi recens ſit citra vllam dubitationem à venis bracchij contrarij lateris ſanguinem primò fundes, quouſque plenitudinis maiorem partem depoſuiſſe conſtet, quod verò reliquum eſt ex bracchio eiuſdem lateris extrahes: quo facto, ac dolore perſeuerante ad ſcindendas cruris affecti venas deuenies*; vnde ſic etiam remanet ſoluta difficultas ab *Hippocrat.* emergens qui è talo ſanguinem mittit, intelligit enim ipſe de dolore inueterato, non autem recenti, quod patet quia in Eupolemo pluries [illegible] quia dolor erat inueteratus dixit: *Huic ſanguis detractus eſt à talo*; at in Licone cui dolor erat recens dixit: *& vena ſectione vtebatur*: non enim nominat talum.

Non deſunt qui ad euacuandam hanc materiam hunc morbum facientem lignum Guaiacum commendent, præſertim ſi humor pituitoſus ſit, & vetuſta affectio, cæterum doctiſs. *Martianus lib. de aff. ſect. 3.* dixit: *Noſtri decoctum Guaiaci exhibent, aut quia ſimile quod humores attenuet, acuatque, & ad motum promptiores reddat; non ſolum in hoc, ſed etiam in quolibet alio dolore articulorum*; quæ quidem ratio mihi ſatis arridet, nam redditis humoribus fluxilioribus facilius ad partem affectam corriuant; proindeque ego vterer ſalſæ decocto cum china, ligno de viſco quercino, & ſandalis citrinis, hoc enim decoctum ma-

xima vi pollet exſiccandi abſque vlla noxa. Pro reuellenda, ac intercipienda materia fluente vterer inuſtione in bracchio eiuſdem partis dolentis, cum iam ydiopaticus in capite ſupponatur affectus; ſicut ceratum commiſſuræ coronali deraſæ affigerem; quemadmodum pro impediendo motu danda ſunt medicamenta opiata. *Martianus* ſummè laudat theriacam, mitridathum, Phylonium, pillulas de cynogloſſa, trypheram cum opio, &c. Interim pro diſcutienda, ac diſſipanda materia coniuncta quæ morbum facit varia proponi queunt, & potiſſimum clyſteres acres, qui videntur ab ipſa parte vacuare; poſſunt fieri cum hyera, melle deſpumato, & vino, ſic quoque poterit parari ex aliis acrioribus, ſunt qui vel etiam ex verbena cum aliis ingredientibus parant.

Quod ſi his non ſoluatur dolor non deſunt medicamenta reſoluentia, quę fieri poſſunt in eadem parte, aduertendum tamen ne repellentibus vtamur, quoniam illam materiam reducent intimius ad articulum, ſicque maiorem præſtabunt dolorem; vt notauit *Gal. lib. 10. de medicam. local. cap. 2.* Poterit ergo pars inungi cum aq. vitæ ol. vulpino, coſtino, lumbric. de nuce myriſt. de euphorb. & caſtor. ſic quoque fieri potus ex vino cum ſaluia, rutha, abrot. floribus chamomillæ, anethi, melilothi, mentha, ſampſuco, calamentho, ſem. fænugræci, fænic. & ſimilibus ſoleo ego fæliciſſimo euentu vti æqui pinguedine.

Quod ſi ad hæc dolor non ſoluatur ego ad extrahendum, atque euocandum humorem ab articulo in dolente loco cucurbitulas adhiberem, vt aſſeruit idem *Galenus 13. meth. cap. 19.* nam hæ ob vacuum ab extincta flamma relictum, vt ſe repleant quicquid poſſunt validiſſimè trahunt, adderem quod calore illo flammeo reſoluitur materia, & quia medicamentum eſt Metaſyncriticum trahit ab imo articuli ad ſuperficiem natis ſicque materia videtur apta reſolui; quod quidem remedium etiam à *Celſo lib. 4 cap. 22.* maximè probatur etiam cum ſcarificatione, à qua in noſtro languente abſtinerem, cum materia ſit potius frigida quam aliter; Hippoc. etiam nos docet quando cucurbitulæ ſunt ſcarificandæ dicit enim *lib. de Med. Vbi ſcarificationem ſubter cucurbitulam adhibere velis; ſanguinem ſcarificandorum locorum conſpicuum eſſe oportet; alias neque circulum attractum ſcarificare, ac pertundere oportet, debilior eſt enim caro loci dolore affecti.*

Neque ſolis cucurbitulis vtitur *Hippocrat.* ſed etiam inuſtionibus in parte læſa, ſic *lib. de inter. aff. text. 56.* dixit: *Si verò à pituita ægrotet, cnidium granum, aut hypophaes adhibito prius fomento ipſi dato, poſt purgationem verò eaſdem ſorbitiones, ac potus exhibeto: itemque lactis portionem. intermedijs autem diebus dicta quam leuiſſima vtatur: & ſiquidem ab his vtilitatem ſentit bene eſt ſin minus ipſum vrito multis ac profundis cruſtis inuſtis, in oſſeis quidem partibus per fungos, in carnoſis autem per ferramenta. Valleſ. in commentar. hiſt. Eupolemi* duplicem dixit eſſe vſtionem penetrantem vnam vſque ad ipſum pus, vt ſimul ſit vſtio, & ſciſſio, velut ſi cultello, aut ſtilo ferreo ignito pungas, aut ſeces, alteram verò vulnerantem ſuperpoſitam cutem, & cruſtam gignentem non penetrantem tamen. quas quidem inuſtiones variè factas ab *Hippocrat.* cernimus fungis ferramentis, lino crudo, & alijs, ſunt etiam qui loco iſtarum inuſtionum vtantur veſſicantibus, à quibus non horrerem exiſtente tamen doloris pertinacia, & fluxione iam ceſſante; ſic *Sennert.* vtitur rubificantibus ex ſynapi, fermento acri, & ſimilibus; ſic *Mercatus* Iberidis radicem tundit, & cum axungia admiſcet, & per tres

horas

horas in viris, & duas in fœminis finit, & postea partem abluit tepida, sic quoque vnguentum parat ex euphorbij & nitri an. vnc. 1. ol. lilior. vnc. 3. & cera q.s. sic emplastrum facit ex ficubus, & sinapi, sed maioris pretij predicat mel anacardinum supra partem illitum dummodo sit tantum vnius horæ spatium, quo semoto bullæ aperiantur, & permittantur fluere sic etiam adhibet causticum ex capitello viuæ calcis & alumine mox sublatum: cæterũ idem *Mercatus* antequam omnia hæc validiora adhibeat, mitiora adhibuisse est visus, dum vsus est menthastro fluuiali cum oxymelite confecto, vel rutha cum melle trita, vel emplastro ex costo, surfure, cum sapa, & sale, vel ex stercore bouino, caprino, cum farina hordei, melle, & aceto, sic adhibet mel cum sale, rutham cum passularum carne, cinerem caulium cum adipe, & alia quæ videri possunt apud ipsum. Cæterum quamuis hac omnia remedia optima esse credam, nihil tamen posse censuerim, ni par victus adiungatur ratio: quæ quidem necesse est vt sit calida, sicca, & attenuans, qualem præscribit *Hip. lib. de aff. tex.* 25. A vino quantum fieri potest abstinendum cum humores liquet vnaque attenuet, quod si assumere velit, debet esse quale adscribitur ab *Hip. lib. de inter aff tex.* 57. pauci ferum, fuluum, atque optimè limphatum; sit autem limphatum aqua in qua bullierit ligni devrisco quercino modicum; Hæc ergo habeo quæ dicam curando nostro languente, D eos ille sit qui nostra desiderata secundet.

De Febribus Consultationes.

PRO PERILLVSTRI DOmino Iosepho de Zntiis Aquilano Patritio, Tertiana laborante intermittente.

CONSVLTATIO LXXVIII.

SI verum est Hippocraticum dictum *in epid. occasiones nempè vnde quis ægrotare ceperit sunt considerandæ*, certè si nobilissimi nostri Iuuenis caussas inuestigemus nullas alias inueniemus præter nimium in venando laborem; scimus enim *ex Theophrasto* quattuor potissimum caussas esse caloris accensionis, antiparistesim scilicet, pabuli additionem, & motum; omnem enim qua exerceri velimus artem esse moderatam volebat Gal. quę si modum excedat iam bona esse desinit, nam ex immodico motu vt ait idem *Gal. 4. aphor. comm.* 32. & vires fiunt imbecilliores, & caliditas maior accenditur, sicque idem auctor *Lib presag. exper. cons.* annumerans caussas cur calor primigenius increscat, & fiat febrilis dixit esse multas, & inter reliquas annumerat additamentum idoneæ materiæ, adstrictionem, putredinem, accessum caloris extranei, & denique motum; sic *lib. de inæquali intemperiè ca.* 7. dixit ex pluscul s laboribus inequales fieri intemperies, vt proinde haud mihi mirandum sit, si noster languens ex nimio motu in febrem inciderit Tertianam eamque intermittentem; nam ex motu adauctus calor primigenius & bilem accendere potuit præexistentem, & eidem bili pabulum substernere, calor enim igneus ille est

qui bilem gignit excrementitiam, quod explanauit *Gal. 3. comm. epid. 22.* aiens calorem natiuum in igneum versum flauam producere bilem, quæ vnà cum alijs humoribus à calore eliquata in exiles venas, arteriasque ac denique in corporis habitum effunditur, atque hinc carnes intumescunt vt ait *Gal. 11. meth. cap. 4.* vbique coarctata immobilis remanet, quinimo probita arteriarum ventilatione perspirationeque ab obstructionibus, neque refrigerantur hi humores, neque eorum aliquid per alitum, aut sudorem egreditur, neque aliquid siue ab extrinseco, siue ab intrinseco eò ingredi potest, a quo aliquatenus attemperentur, hinc sensim, ac sensim magis incalescunt, atque inflammantur, cordique impertito calore demum febris causa existunt: neque putarim ob solum motum febrem hanc fuisse ortam, sed quia motu ipso sudans, tandem refrigeratus est, quam causam Hippoc. explanauit *lib. 2. de dieta* dum dixit: *quicquid igitur exsudarit, aut cum corpore depurgatum fuerit non exhibet magis laborem in corporis parte præter consuetudinem euacuata. Quicquid verò ab excretione intus remanserit, non solum huic laborem exhibet, sed etiam ei parti, quæ humiditatem suscepit, non enim commoda est parti, sed infesta, & in carnes quidem corporum non similiter congregatur. verum in carnosas partes, quare his laborem exhibet, donec exiuerit, tanquam enim circuitum non habens quiescens, calefit tum ipsa, tum quæ allabuntur: si igitur multum fuerit quod excretum est, etiam sanum corpus exsuperat, vt totum concalescat, & febrem inducit:* hæc *Hippoc.* febrem induxit huiusmodi causa intermittentem in nostro languente, vel quia vt vult Gal. humor extrà venas putrescit, vel quia vt vult *Fernel. 4. pathol. cap. 10.* focus intermittentium est circà viscera, & præcordia, nunquam enim ex eodem intermittens fieri potest ex humorum putredine in corporis ambitu, vel quia vt vult *Gal. p. ad Glauc. 5.* quia iecur, vel ventriculus, vel lien laborat; sic *lib. 2. de differ febr. cap. 3.* dixit plerumque iecur, & lienem affici, sic *6. epid. 31.* dixit fieri ex humorum putredine in cauitate ventriculi: vel quia vt vult *Æneas Capril. & Iul. Alexandrinus* quia aliquando fit ex visceribus aliquando materia peccante in ambitu totius corporis, hanc tamen materiam semper extra venas peccare dixerunt, sic *Iul. Alex.* dixit si in liene peccet humor, non in lienis venis id contingere, sed in carnea eiusdem substantia: vel vt vult *Saxonia* quia materia peccat in locis communibus, vel venis determinatis partium internarum, vel cauitatibus amplis ventriculi, vel alterius loci, vel vt vult *Mercatus* in ipsis venis: vel tandem vt vult *Ioubertus* in cordis finibus: quicquid tamen sit sat est dicere in nostro languente biliosum humorem pituitæ commixtum tertianam simplicem pandere, idue vt vult *Mercurialis* ob gradum nobis incognitum quantitatis, seù potius fomitis, ità vt gradus fomitis, relicti ex pituita putrescente faciat quotidianam accessionem, quia ea est maximè putredini exposita ob humiditatem, gradus fomitis bilis Tertianam, quia minus putrescere est apta & sic deinceps, vel vt volunt Astrologi, & cum ipsis *Petrus Aponensis, & Conciliator* ob astra, vel vt vult *Gal.* ob membrorum dispositiones, quæ vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates, vel vt alij volunt ob humorum naturam, Alij ob putredinis naturam, alij ob occultam proprietatem Alij vt *Sanctorius* ob locorum, & partium affectarum situm, ac distantiam à corde, Alij tandem aliter senserunt; Ego autem dicerem id pendere ob humoris conditionem, ob partis producentis habilitatem, & tandem ob suscipientis robur, vel imbecillitatem; sic

pituita

pituita quæ è sui natura in magna quantitate producitur, tum ob alimenti (quod habilissimum est in pituitam degenerare) aptitudinem, tum ob ventriculum eandem aptissimum producere, quotidianos manifestat circuitus. ibidemque si putrescat, quoniam pars supponitur calore primigenio destituta non tam facilè eandem potens dissoluere diuturnos facit typos; adeò vt prius alia accedat accessio, quam euanescat prima; & quamuis eadem non rarò in venis putrescat, ob eius viscíditatem atque lentorem tardius consumitur, & si aliquando citius delitescat, id ex eo pendet, quia in venis maioribus & propè cor transponitur, vndè ob partis robur facilius consumitur, & facilius expellitur; idque etiam dicendum debile, & melancholia: quare siue ob id siue ob fermentum illud putredinale vt voluit *Senner.* intermittens producatur Tertiana typum faciens de tertio in tertium, sat sit hanc bile produci, quæ eatenus diuturnas inuehit accessiones, quatenus miscelam habet & pituitæ ut ex excretis uidere est, & potissimum eiusdem uomitu, & ex usto humores ut patet ex melancholico temperamento; qui quidem humores omnes sanè agnoscunt suam causam generantem, bilis ab hepate nascitur, pituita è uentriculo, & ustus humor ab eodem Iecinore, qui dum calescit separatur, inque uarias partes pergens dum putrescit febrem gignit Tertianam eamque intermitentem ob dictas rationes.

Neque unquam mihi in animum inducere potui simplicem Tertianam ex putredine pendere, cum eadem nullo pacto discrimen afferat, nec ea adducat symptomata, quæ à putredine ortum ducunt; indeque semper mihi arrisit *Iouberti in suis paradoxis* opinio, qua dicebat non omnes febres humorales à putredine pendere, primò, quia totus sanguis ut ex quatuor humoribus constat in uasis non concrescit, nec putret, multò certè minus seorsim quisque ex dictis humoribus id unquam patietur secundò, quia putredo est cum fætore, qui non rarò à salubribus febribus abest, tertiò, quia febres à putredine maxima inuehunt symptomata, quæ non habent febre humores; quartò, quia ut dicunt etiam, alij ex Arist. quæ putrescunt aliquando in cinerem degenerant, aliquando uero in limum, sed in febribus tertianis nihil post accessionem in parte relinquitur, quod limi, aut cineris naturam referat, ergo videtur probabile ibidem humores non putruisse. Præterea in ictero maior bilis copia funditur, & nulla sequitur, putredo, neque febris, ergo nec in febrium accessionibus sequetur ob putredinem. Item in tumoribus preternaturam qui ex impermixtis fiunt humoribus, vbi conclusi sunt, & coerciti humores ipsi nulla fit suppuratio, ergo longo minus fiet putredo in partibus carnosis, maximè cum in parua quantitate, ac per varias partes dispersi humores diffunduntur, ità vt præ paruissima quantitate neque calorem partium mutent, neque in tumorem eleuent, adducit præter alias rationes Ioubertus quæ apud ipsum videri possunt, sat mihi dixisse non omnes humorales febres ex putredine pendere, sed illas tantum quæ sunt pestilentes, malignæ, & magnæ in his enim cum valida videamus symptomata infere possumus secum habere putredinem combinatam; nec ignoro posse in intermittentibus quoq. malignis tamen (vt sunt illæ quinque quarum meminit *Mercatus*) putredinem adesse, cæterum febres intermittentes salubres omnem explodunt putredinem, secus autem illæ quæ sunt prauæ, sic *Gal. 6. epid sect. prima* dixit: *Præsentis dictionis febrium catalogus à caliditatis sumitur differentia, in qua pestilens febris contineri potest, quod*

putrem

putrem habeat humorem; & deinceps; Pestilens sola significatur, quæ ex eo ab alijs differt, quod σηπεδονώδη id est putrilaginosam habeat caliditatem; quinimò idem *Gal.* sæpe putredinem cum adustione confundit; quare dicendum nonullas febres humorales & potissimum salubres ex humorum accensione, & efferuescentia pendere, ideoque nil mirandum si huiusmodi febres haud sint periculosæ, non enim pendent ex humore putredinali, sed potius vrente, & ebullitionem excitante, vbi enim vel venæ, vel hepar bile fuerint referta, illam suo nimio calore incendunt, sicque febrem faciunt, quam eatenus intermittentem faciunt, quia humor genitus, & tenuis est, & paucus, dum enim commixtus est cum crassioribus diuturniorem facit accessionem, & tunc potissimum cum in partes ierit minus calidas, & longè à corde distantes, quare cum hæc febris de tertio in tertium accedat, accessiones non sint longæ, quis dubitat eam omni vacare discrimine? non ob id tamen à curationibus abstinendum, febres enim aiebat Hip. in epid. intermittentes quandoque malignæ fiunt, & ad acutos morbos perueniunt, cumque dixerimus adesse humorum copiam, viscerumque calorem, ob id duplex mihi videtur insurgere indicatio, & calorem alterantibus temperandi, & materiam genitam euacuandi; quare ad primas vias repurgandas ante omnia accederem, & potissimum cum os amarum habeat; ideoque Senex in acutis ore amaro existente vomitum commendat, & ventrem per clysterem subluere, si verò ad hæc non soluatur lacte Asinæ cocto purgat: & merito: *os enim sentire amaritudinem solius bilis quæ flaua, ac pallida nominatur in ventriculo est opus*; dixerat *Gal. in comm. aphoris.* quod si bilis effectus est amarities, quis denegabit illam venæ sectionem ante euacuationem inhibere? tria enim aiebat *Hipp. in epid.* venæ sectionem prohibere anni tempus æstiuum, Pleuritidem, bilem; eam potissimũ quæ est separata & in ventriculo stabulatur; vt propter a dixerit *Gentilis* bilem esse impedimentum venæ sectionis, quæ scil. est segregata à venis, deque hoc ait loquutum esse *Auic.* cum dixit: *Fastidium ne phlebotomes*, & alias dixerat: *Ne phlebotomes infelicem ex productione cholerę*; quod pariter intuens *Auic.* dixit *lib. 4. tr. 2. cap. 29.* non ante tertium paroxysmum venam aperiendam, idque ideo vt ait *Senner.* quod in hisce febribus bilis non in venis supra hepar, sed contineatur in primis vijs, & propt. metuendum est ne inanitis venis in superiores venas rapiatur, neq; obstat sanguinem esse frenum bili, nam idem dum accenditur, & exsuberat, non rarò bili pabulum existit, cum ex sanguinis vstione bilis non rarò gignatur; quinimo quamuis sanguis euacuetur inculpatus humor in Tertiana, nihilominus ad euacuandam bilem sanguini commixtam, non erit mala venæ sectio; hocque voluit *Senex dum lib. de loc. in hom.* cum dixit: *nam etiam aliquid boni educatur vna cum malo nullum detrimentum est*.

Cæterum ex his quę superius diximus consurgit non leuis difficultas, diximus enim ore amaro existente non conuenire venæ sectionem, & tamen Hip. dixit *in histor. Androthali 7. epid. lingua permanebat totum tempus sicca, & nisi collueretur loqui non poterat, & valdè amara erat plerumque aliquando autem, & cordis dolor, venæ sectio soluebat hæc, aquæ potus, aqua mulsa; helleborum bibit nigrum biliosum non prodibat nisi paucum*: vnde non leuis est difficultas, cæterum dicendum amaritiem non rarò non fieri ob bilis præsentiam in ventriculo, sed ob calorem venarum vrentem, ideoque aiebat *Arist.* amarum esse combustum terrestre, tuncque etiam stante amaritie posse sanguinem mitti, at

vero quando fit ob præsentiam bilis in ventriculo à sanguinis missione est abstinendum; quod autem sic Androthali contigerit, patet eò quia dixit *Hip.* lingua permanebat totum tempus sicca, & nisi collueretur loqui non poterat.

Neque ob id solum in his perseuerandum, sed ad tollendam intemperiē partium producentium adhibenda sunt alterantia, & præparantia biliosum humorem, & vstum, darem ergo syr. de borrag. de f. lupulorum, oxysacch. an. vnc. 5. decocti communis vnc. 3. mis. pro syr. cap. quibus assumptis, & apparente coctione vterer purgatione hac: ℞. syr. rof. sol. D. August. an vnc. 1. f. el. Diacatthol. drach. 5. i. rhab. el. inf. in aq. cichor. & exp. agar. inf. & exp. an. drach. 1. dec. cord. q. s. mis. f. pot. cap. quod si per hanc purgationem parum proficiatur, non inutile erit & epycrasim seruare, & diuretica aptare, nunquam enim ex *Gal.* dogmate febres oriuntur, vnaque perseuerant, ni obstructiones extiterint, sic poterunt dari iuta alterata ex cichor. cum rad. gramine, capil. ven. quatt. sem. frig. rad. aspa-rag. apij an. p. i. colaturæ autem calidæ de mane adderem syr. de cichor. de quinque rad. acetos. simpl. an. vnc. 5. ac nonulli ex his sumptis darem denuo purgationem ℞. pillul. de tribus cum rhab. de agar. an. dr. 5. diagr. gran. 4. cum syr. de polipod. refor. pillulæ 5. cap. Neque interim ab hyrudinum affixione venis sedis abstinerem, sicut perseuerante morbo saluatellam inciderem dextræ partis cum Iecur læsum videamus, quam sanè sectionem præterquamquod *Gal. 2. meth.* ad finem comprobauit, *Mercatus* maximis laudibus eandem donauit aiens: *Censeo huius sectionem hoc tempore maximè prodesse, dum non quidem vacuare conamur, sed aut furentes potius, & feruentes humores in partibus nostri corporis profundioribus, & propè membra principalia sitos, ac maximè iuxta Iecur, & in ipso ad extimas corporis partes studemus remouere, velut qui ligna procul à foco separant, vt ignis lignorum defectu euanescat:* quando autem hæc saluatellæ sectio fieri debeat explanat paulo inferius idem *Mercatus* aiens: *Vel eo quidem vtimur præsidio, vbi non admodum exsangues arbitramur esse laborantes, ac siticula, & ardore assiduo molestantur, signum quidem intemperamenti Iecoris, cuius ventilationem lecti hac euacuatione intendimus.*

Ad iecoris regionem sunt faciendæ pariter inunctiones ex ol. rof. amygd. dulc. addito tantillo ol. de absynth. ad sustinendum tonum visceris cum portione aceti rosacei: atque hæc sunt quæ possum adducere quæ salutem temperatura esse crediderim modo debita iniungatur victus ratio.

PRO ILLVSR. DOMINA
Ioanna à Cincinnatis Fonticulana duplici Tertiana laborante.

CONSVLTATIO LXXIX.

Omnia bona, vel mala ab anima in corpus manare per belle expressit diuinus *Plato*: nec immerito; animi enim pathemata ex *Gal. in lib. Aris. Medic.* partim quidem euidenter, partim vero per alias causas medias alterant

rant corpora, & sanitatem corrumpunt, vt non sit mirum si nostra languens ex animi pathemate, & potissimum ira in febrem inciderit; habet enim ira maximam cum febre analogiam, ita vt non incassum *Gal.* ansam dubitandi desumpserit an ex ira febris prosurgat, videtur enim illa ex *Arist.* esse sanguinis circa cor efferuescentia, & furor breuis, verum statuit eandem iram diu tamen durantem febrem quoque perseuerantem accendere posse, sunt enim animi angores maximè potentes corpus perturbare, bilemque gignere vt voluit *Gal.* sicque febrem accendere vt innuebat *Hippoc. lib. de diæta* dicens: *Anima à curis calescit*; quæ quidem nostræ languentis febris duplicis Tertianæ naturam sapit cum de tertio in tertium moueatur, ac quotidie accedat, alteraque alteri correspondeat, de hacque febre loquutus est Hippocrat. cum dixit *lib. de Nat. hum.* quotidianam fieri à plurima bile; duplex enim Tertiana quotidianos facit circuitus, ac proinde quotidianæ nomenclaturam apud *Hippocrat.* sumit; & quod hoc sit verum dicit: quotidiana vero post continentem à plurima bile generatur, & præ reliquis celerrimè discedit, verum longior est continente, quanto à pauciore bile prouenit, & propterea quod requiem habet in ipsa corpus, in continente verò non quiescit vllo tempore; quam quoque opinionem habuit *Martianus in comm. huius loci*, idque adhuc magis patet ex *Hip. 2. de morb. tex. 36.* vbi ait: *Si bile infestatur homo, febris ipsum corripit quotidie ac dimittit; detinet autem maximè in meridie, & os amarum est, & quum sine cibo manet*, &c. indeque *Saltus in comm. p. 227. col. p.* dixit, Febres quæ alternis tantum diebus inualescunt vocari ab *Hip. p. epid. sect. 2. tex. 25.* naturam tertianarum referentes, eas autem quæ singulis diebus singulas habent accessiones vel Tertianas esse duplices, vel duas vocari tertianas; quamuis inferius dixerit illam dictionem quotidie non significare quotidianas, aut singulis diebus factas accessiones, cum hic de simplici Tertiana quæ alternis tantum diebus affligit loquatur, sed illimitatè denotare diem afflictionis in qua etiam febris dimittit.

Quicquid tamen sit ego dicerem cum *Martiano* hic *Hip.* loqui de duplici Tertiana quæ quotidiè accedit, quotidieque dimittit, correspondentiam tamen altera alteri de tertio in tertium habet, duplex enim Tertiana à bile fit secundum omnes, ideoque Hip. dixit quotidianam à plurima bile generari; sic *Gal. 2. de Cris. cap. 9.* dixit: *si qua verò febris in primo die exquisitè Tertiana deprehensa, deinde die sequenti similem priori omnino faceret accessionem, hæc longe tolerabilior est, duplex existens Tertiana*: quod adhuc magis patet ex symptomatis ab eodem *Hip.* recitatis, is enim ait hanc febrem detinere in meridie, & os amarum efficere Tertianarum proprium symptoma; quare non dubitarem *Hip.* nomine quotidianæ duplicem Tertianam intellexisse, qualis est hæc qua laborat nostra languens, facta quidem ex bile, & pituita, illa quidem ab hepate genita, & transmissa in venas, hac à ventriculo, & capite, vt patet ex perenni illa destillatione, sicque inæqualis apparet discrasia, feruida quidem hepatis, frigida autem ventriculi; neque enim vnquam puptarim febrem posse vllam accendi absque bilis consortio, quippè pituita cum sit de sui natura frigida, & humida, nunquam est apta accendi, nisi habeat bilem, quod probat etiam *Martianus loco cit.* & *Ioubertus* probat sat benè *in paradoxis* vbi dixit bilem esse velut igniculum reliquorum humorum; hocque voluit manifestare *Hip.* quando dixit morbos omnes à bile, & pituita fieri, non enim intellexit primo, & per se, sed concomitantes; ità vt

quicun-

quicunque morbus fiat, bilem asciscat, & pituitam, hæc enim valet ad dandum terminum alijs humoribus crassitiem nempè, & sic facit morbos diuturnos vt etiam volebat *Gal.* illa autem ad attenuandos eosdem humores, vnde & accensio, & breuitas morborum, hi enim duo humores sunt potissimi in corpore nostro ad faciendos morbos vel primò, & per se vel reliquis humoribus commixti; ac propterea ab *Hippoc.* non exploduntur reliqui humores vt potest ex multis locis probari; quod si hos humores omnes morbi agnoscere valent, quid dicemus de febribus, quæ & quia ab obstructionibus manant vt plurimum ex *Gal.* & *Hippoc.* lentos, viscidosque asciscunt humores, & quia in calore consistunt, bilem vendicant, vt proindè haud mihi sit mirandum si nostra languens meteorismum obtinuerit in hepate diuturnitatem morbi fouentem, dum enim destillatio è capite in ventriculum irrepsit, ad hepar per myseraicas, indèque venam portam transmissa suo lentore hepar obstruxerit, & ex obstructione calor emeserit febrilis: *Febris enim* aiebat *Hipp lib. de loc. in hom. propt fit, quum corpore superinflammato carnes intumuerint, & pituita plenæ fuerint eaque compacta, & neque refrigeretur quicquam, neque humectetur, neque aliud quid subeat,* ni velimus cum *Horatio Augenio* dicere febrem fieri ex influente calore (sanguinis scilicet, arterialis præcipuè, & spirituum vnione in corde, à virtute vitali præstita, ita ut adaucto calore, roboratisque spiritibus, eos deinde per totum corpus transmittat, vel ad præcipuas partes ad noxium aliquod, quod alicui functioni impedimento erat expeliendum; cuius quoque sententiæ extitit doctissimus Manelphus in Romano gymnasio lector eximius.

Quicquid tamen sit tria videntur concurrere ad febrem qua affligitur nostra languens, obstructiones, & intemperies, & humorum heterogeneitatem indeque non ab re dixerim hunc morbum futurum esse diuturnum, cum à tribus hisce potissimum causis *Gal* morborum hauserit diuturnitatem, & quamuis continuitas videatur discrimen ex *Hippoc.* adducere, tamen quia non est horrendis combinata symptomatis, speranda potius longitudo, quã mors; eoque magis cum sicca illa tussicula prematur, quæ vt plurimum temporis dilationem inducit, iuxtà illud Hippocraticum axioma in *Coacis*, quo aiebat: *qui circà exacerbationes tussiunt, & parum exsudant malignè habent*; ly enim malignè ait *Duretus in comm.* difficile iudicium; nec immeritò, siquidem morbi qui ex fortissima corporis parte fiunt, grauissimi existunt, etenim si isthic vbi initium sumpserint permanserint, necesse est fortissima corporis parte laborante totum corpus laborare, quare non negligenda affectio, sed quamprimum eadem est eneruanda, quæ quia à triplici pendet ab incendio & intemperie calida totius corporis, ab obstructione, & humorum heterogeneitate, hæc euacuanda; illa aperienda, & intemperies frigidis alteranda.

Quoad euacuationem non inutile erit materiam in primis vijs stabulantem deturbare vel syr. ros. sol. & melle ros. sol. vel Diacattholici electuario vt subinde materiam in venis existentem præparatam syr. de s. borrag. de s. limonum, & de endiuia, possimus etiam repurgare apparentibus tamen coctionis indicijs; quale esse posset sequens remedium: ℞. syr. ros. sol. mellis rosat. solut. an. vnc. 1. mannæ el. vnc. 1. s. rhab. inf. in aq. endiuiæ & expr. ag. infr. & expr. an. drac. 1. dec. cord. q. s. mis. f. pot. cap. Neque interim dum hac fiunt à sanguinis missione abstinendum, duo enim magna remedia in febribus debellandis sunt ex *Gal.* sanguinis missio, & purgatio, quare aluo lenita venam

basilicam secare ad vnica quinque sicut ẽt poterimus hyrudines venis sedalibus affigere, si morbus tamen vt puto vlteriùs sese insinuet; Neque deobstruendis visceribus meum animum non reuoluerem, sed illis potissimum debellandis incumberem, ideoq. sequens iulep. præscriberẽ ℞. syr. de duab. rad. ac. simp. de cich. an. vnc. 1. s. dec. end. hepat. agr. borr. capill. ven. gram. an. s. sem. quat. frig. maior. an. drac. 5. glyc. pass. an. dr. 5. 1. mis. f. s. à 1 ule. c. per tres dies, aut sex donec manifesta coctio apparuerit vt possit pillulis de rhab. & aga. materia quæ in dies gignitur per epycrasim purgari, quod si per hæc parum proficiarur, instituerem iura alterata ex rad. cichor. asparag. capill. ven. petrosel. agrimon. acetosæ, meliss. an. p. 1. sem. quatt. frig. maior. an. drac. 2. additis ratione tussiculæ liqu. iuiubis, scabiosa, & passul. an. vnc. 5. addendo dum datur syr. de cichor. de quinque rad. & capill. an. vnc. 5. pro vice, quod si adhuc dolor persistat ad saluatellæ incisionem deuenire, sicut inunctione varias hypocondrijs adhibendas, quæ doctissimis viris sunt satis notæ, de victus ratione nil dico cum vt scribit optimè instituatur.

PRO NOBILI QVODAM *Iuuene de Teramo duabus Tertianis laborante.*

CONSVLTATIO LXXX.

DVo sane (vir doctiss.) mihi videntur in nostro languente negotium facessere, continens scilicet intemperatum, & contentum vnà excrementitium, quod sanè contentum præter viscerum inæqualem dyscrasiam, de ventriculi pariter imbecillitatem sortitum est, eamq; vel à teneris vnguiculis non aliundè contractam vt reor, quam ex retorrida iecinoris intemperie, illud enim cum ventriculum contegat eiusdem caloris immensitate ventriculi primigenium diminuit haud secus quam Ignis flamma lucernæ lumen, ex cuius caloris pauperie πεψις diminuitur, fitque απεψια, vndè & cruditates emergunt innumeræ, & pituita subsultat vbertas, tum vt dixi ob ventriculi imbecillitatem tum ob nimios in lucubrando labores tàm scilicet vespertinos, quàm ante Lucanos, ij enim ventriculum à coctione distrahendo cruditatum consurgunt opifices, vt non immeritò dixerit *Hippocrat. Fortis laboris studium subterfugiendum*, & *Gal.* asserebat eos qui sunt nimis studiosi esse stomaco imbecilles quare haud quaquam miror nostrum quo de agimus languentem in plurima eaque dolorifica pathemata corriuasse: *Ventris enim torpor omnium confusio* dicebat *Hipp.* vndè addito hepatis comercio feruidioris bilem gignentis duæ sunt progenitæ Tertianæ eædemque rothæ ex bilioso pituiteo que humore hic à ventriculo vt dictum est productus ille à Iecore satis feruido: non enim aiebat Valles 5. epid. arduum est ventriculum pituitosos posse humores congerere & biliosos quoque aliundè transfundi, vt videre est in nostro languente, caussæ enim generantes sunt ventriculus & hepar, recipientes venæ eæque mediæ cum nimium non pandant ardorem, & humores bilis & pituita, neq; enim vstos ab hepate congeri humores denegauerim, qui & sibi ipsi aditum præpediendo, & calore suo oblentos viscidosque humores gignendo obstructionem sibi procurat, sicque febrilem

quoque sibi conciliat ardorem, cum eædem maximè, & prę reliquis calorem præternaturam accersant; vnde & maior etiam humorum prouentus, è quibus vt puti varijs pituitosis nempè, & biliosis vomitus emergunt pituitosi, vnàque biliosi, vomitus enim in repletionibus excitare dixerat *Hippoc. lib. 3. de diata tex.* 18. indèque nec obstupesco cur non nimia sitis emerserit, sed capitis dolor adfuerit, vnàque extiterit Cardialgia, sitis enim carentia pituitæ vbertatem in ventriculo indicat, quæ bilem sitis causam retundendo eiusdem parit absentiam, sitis enim ex *Gal.* ex humiditatum inopia prosurgit, quæ cum fuerint nimiæ & sitim abesse fæcerunt, & ad caput impensè euaporando, dolorem capitis seu cephalalgiam crearunt, vaporum enim exuberantia vt Aretæus aiebat capiti & stuporem inijcit, & dolorem, quare non immeritò dictum est caput ob maximam quam habet cum capite synthimoriam morbos ventriculo impartire, vt ventriculum capiti, quę quidem humorum vbertas vel substantia sua, vel bilioso humore ab hepate communicato vel flatu dum os ventriculi vel grauat, vel lancinat, vel denique tendit, cardialgicum affectum initiat: sicut & anorexiam, seu inappetentiam, intus enim existens prohibet extraneum vt volebat *Aris.* Nec miror hypocondria dum contanguntur dolore vexari, cum ob obstructiones quæ ibidem visuntur, tum ob aliquã phlogosim ibidem progenitũ; quamuis aliquando id flatus possint efficere; quod si altera de altera deterior est, id cõtingit ob foci diuersitatem, cum enim putredo diuersas sedes nanciscatur nil miror si eadem inæquali existente inæquales quoque febres consurgant, in hocque putarim differre duas Tertianas à duplici Tertiana, quia in duabus Tertianis vna dies deterior est alia, at in duplici Tertiana (quia vnus est focus putredinis) accessiones quoad intensionem non differunt; hoc tamen sit obiter dictum, cum sciam à doctissimis viris id non ignorari; quicquid tamen sit huiusmodi febri danda est medica opes, ne datis eidem inducijs præceps ruat in exitiũ; quamobrem cum innumeræ sint euacuationes peractæ, potiùs incederem alterantibus, quam alijs, & ideò si quæ alterantia in vsum veniunt, ea sanè commendanda; quæ & nutriendi, ob morbi diuturnitatem, & aperiendi, ob obstructiones, nec non etiam refrigerandi, ob Iecur impensè calidum facultate pollerent, qualia meo sanè iudicio esse possent iura alterata, quæ cum sint medicamenta in alimento in omnibus morbis diuturnis sunt commendanda, huiusque census esse possent iura in quibus bullierint melissa, cichor. endiuia, capill. Veneris gramen radix asparag. fœnic. sem. melonum & similia cum modico syr. de cichor. de s. borrag. & capill. ven. quod si postmodum ad vomitorium sit pronus æger, dandum erit lene, sola enim eccomi natura apta sunt (aiebat *Gal.*) quę in uentriculo continentur, quod si fortè nullam ad vomendum videatur propensionem habere, tunc sanè ad seruandam epyrasim syr. ros. sol. mel ros sol. cum portione Diacat. & agar. inf. & expressi in aq. cichor. vt rhabarb. darem, sicut non rarò clysteres iniungere non absonum erit; quoniam tamen diximus ventriculum suo primigenio calore depauperari, ob Iecur sanè feruidius proindè ad illud euentilandum duas aut tres hyrudines venis sedis affigerem modò id nimius virium languor haud denegat; sic quoque capitis ratione cucurbitulas sæpiùs affigerem; quod si ventriculi regionem roborantibus confirmemus sicuti, & hepar refrigeremus, nec minus absonum erit; Interim si diuturnior fiat morbus inustionem dextro cruri non inutilem futuram esse sperarim; quibus omnibus adiun-

genda eſt optima victus ratio, quæ & facilis ſit coctionis, & facilè permeet De vino dando videtur eſſe aliqua difficultas, nam cum capitis adfuerit dolor, illud videtur excludere, cæterum quoniam ventriculus eſt ſummè languidus, & dolor quaſi euanuit; darem tenue vinum, ſed optimè ſanè limphatum; hæc ergo habeo quæ dicam pro curanda febre ſatis contumaci.

PRO ILLVSTRISSIMA, Et Excellentiſſima Principeſsa Neapolitana Quotidiana febre laborante.

CONSVLTATIO LXXXI.

TEmperamentum frigidum, & humidum vt faciei, corporiſque color albicans indicat, nonnunquam etiam pallidus, & ſymptomata quibus ingemiſcit Excellentiſſima Principiſſa vnam videntur quotidianam configurare, calor ſiquidem febrilis primò quidem acceſſu halituoſus, immoranti verò manui acrior eſſe videtur, indèque dixit *Hipp.* Initio quidem mitem eſſe ad manum, ſed paulatim increſcentem, ac multo poſt frigoris inuaſionem: hacque etiam ratione *Gal.* dixit calorem huius febris eſſe humidum cum quadam acredine *1. ad Glauc. cap. 7.* ratio adducitur à *Mercato*, quia cum materia ſit humida, calor magis videtur ſuffocari, quam ipſam ſuperare, acrimonia tamen eo ſentitur, quia is halitus ex putredine promanat, quò fit vt in primis mitis appareat, & mox acris.

Preterea pulſus ille mollis, vrina alba, ad ſomnum propenſio, quid aliud nobis poterit indicare præter quotidianæ febris ideam? ſicut etiam paulatina illa refrigeratio aut horror non aliud nobis indicat præter materiæ pituitoſę vbertatem in venis & ventriculo exiſtentem, quod pariter ex abſentia ſitis innoteſcit, hæc autem pituita non aliundè potuit manare, & produci quam à ventriculo, indèque dixit *Gal. 1 ad Glauc. & 2. de criſ.* quotidianam rarò accidere ſine ventriculi vitio; quamuis non ignorem eandem pituitam non rarò in hepate generari, ex frigidiore chyli parte vt ait Sennert quod etiam voluit *Gal. 1 ad Glauc* quæ quidem pituita cum craſſa ſit, nil mirum ſi acceſſiones faciat diuturnas, in ea enim diutius putredo concepta manet, nec vt ait *Iacot.* ita exacte extinguitur nec facilè reſoluitur, aut diſcutitur acceſſione vniuerſus vapor, qui craſſior eſt, eo igitur non perfectè exhalante caloris febrilis veſtigia, & putredinis perſeuerant poſt acceſſionem, quod quotidianarum febrium proprium quodammodo ac peculiare eſſe *Gal.* teſtatur *ad Glauc.* quinimò *2. de differ febr. Euacuationes igitur,* ait, *in quotidiana paucę exiſtunt, ac longitudo acceſſionis diuturnior, & tempus intermiſſionis non æque purum, ſed ſemper ſeruans in calore, ac pulſu putridi humoris indicium,* deinde rationem reddens, *Conſtat febrem quæ ex pituita fit, neque integrè expurgari per inclinationes, neque ad integritatem puram deſinere, neque exiguum poſt acceſſionem veſtigium putridum relinquere:* vnde haud mirandum ſi febris qua premitur Excellentiſſima Principiſſa ad απυρεξιαν non deueniat; cuius rei rationem reddens etiam *Auenr. 4. coll. 29.* dixit in quotidiana etſi ſingula die finiatur ignis, quia tamen

diu

diu durat, nouam semper præparat materiam ad putredinem suscipiendam, adeò vt etiam in exiguo illo interuallo, semper aliqua materia præparata, facit vt ad integram infebricitationem non deueniat; quæ quidem materia eatenus copiosa est progenita, quatenus scilicet, & vitam sedentariam vixit, & olerum copiam ingessit, hæc enim cum mali sint succi vt dixit *Gal.* in pituitea commigrant excrementa, ocium autem humectando, vt ait *Hippoc.* ac humiditatem de corpore non consumendo humidorum humorum congestionis est origo, qui cum è sui Natura sint lenti, ac uiscidi febris faciunt diuturnitatem, adeò vt dixerit *Galen.1.ad Glauc.cap.8.* quotidianam longam esse, & non sine periculo, quinimò idem *Galen.in commentar.aphorism.* dixit diuturnitatis huius febris caussam esse manifestam, nam propter multitudinem, vel crassitudinem, vel frigiditatem humorum efficiuntur febres, & in longum tēpus extenduntur, cū longum exigat tempus ad coctionē; quāuisnon ignorē ab *Auenr.collig.13.* fuisse scriptū febrem quotidianam periculo non vacare, quoniā ob ventriculi frigus in hydropē conuertitur, licet *Stephanus Athenæus* dixerit hoc periculū venire, qm̄ cū quotidie affligat, nullū naturæ robur relinquit. Cæterū vt liberè fatear non quælibat continua febris videtur discrimen afferre, sed ea quæ vel sæuis est combinata symptomatis, vel celeri motu mouetur, vel propè partem Principem mineram habet, vel tandem aliquam seruat cacohethiam; quæ omnia cum absint ab Excellentissima nostra languente, dicendum est febrem hanc quamuis continuam ad salutem esse terminandam; quod vt fiat non posthabenda, sæpe enim morbi mitissimi ex Medicorum incuria magni sunt facti; ideòque cum dixerimus ventriculum copiam humiditatum pituitearum genuisse, adsit illius intemperies, & febris, ideò corrigenda febris, alteranda intemperies, & humorum copia demenda, qua ratione Auicenna à lenientibus incipit curationem.

Pro euacuanda materia in primis vijs hærente, nil magis profuturum sperarem ipso melle rof.sol. cum ipsum in detergendo ventriculo pituitoso purgandoque primas obtinet partes darem ergo quattuor vnc.mell.rof.solut. cum vnc.1.f.syr.rof.sol. cum rarò possit accendi pituita sine bilis adminiculo; deinde ad præparandam materiam animus est reuoluendus, & quamuis non ignorem *Gal.1.ad Glauc.12.* à principio commendasse dyuretica, quod etiam cernimus asseruisse pariter *Auic.fen.t.4.cap.57.* dum inquit: *quod conueniunt omnes febres phlegmaticæ in hora principii in necessitate administrationis subtiliantium, & incidentium, & diureticorum*: Cæterum hoc reprobato à *Mercato*, & fortè ab omnibus cordatis auctoribus, siquidem cum omnes febres aliquam supponant obstructionem nequeunt adhiberi dyuretica, quin illæ met augeantur, ideoque dixerat *Gal. Etenim si ijs auxilijs quæ obstructiones eximant vti non vacuata prius redundantia, non modo nihil proficiemus, sed maiorem etiam reddemus affectum*: quis enim denegabit huiusmodi incidentia, & attenuantia ab initio præstita vniuersam materiam, quæ inuenitur in primis vijs ad vias obstructionis allicere, quæ subindè & diuturnissimam reddunt affectionem, & rebellem; quam quidem difficultatem vt recentiores diluerent (ut est apud *Mercatum*) dixerunt lentam incisionem, & attenuationem quę fit per syrupos conuenire, de hacque loquutum esse Galenum, *Mercat.* tamen ait uerborum *Galeni* uersionem debere ita fieri ut legatur post primos dies, cui consona videtur *Auicenn.lectio, loco super cit.* quo intelligit ad diem vsque septimum, nam ait: *Et conuenientiores Medicinæ quę administrantur à principio sunt geneleabin*

idest

idest mel rof. vsque ad septimum diem; cuius quoque opinionis sum ipse puto enim ea quæ vehementer attenuant, & tenuiorum sunt partium non conuenire ab initio siquidem fluxili nimis reddito humore ad partem obstructam velocia accurrunt, vnde obstructiones intendum, fecus autem accidit in illis remedijs, quæ virtutem aliquam habent incidendi, non tamen ita attenuant, vt possint humores è ventriculo trahere, atque insimul trahere ad obstructiones, ideòque summè laudarem mel rof. simplex, vnàque oxymel, neque ob id febris vt febris quamuis fundatæ in materijs frigidis immemores esse debemus cęterum aliquod refrigerans debemus adhibere, ne solo calefacientium vsu febrem augeamus vnde adiungerem syrupum de borragin. vt vult Mercatus, hisce ergo syrupis adhibitis cum portione iuris vt commendat *Petronius*, quo facilius diuellatur materia è ventriculis tunicis ad purgationem deuenirem, quæ coctionem amat, nam vt aiebat Galen. in crassis, & glutinosis perpetuò coctionem expectabis, modo non nimia materia in ventriculo existat, tunc enim præmissa sufficienti præparatione eam purganti medicamento deturbare oportet, non vt ait *Mercatus*: *Alienum ab omni ratione indico, vbi conspexerimus multis humoribus premi vires, & inequales apparere pulsus diutius velle differre purgati onem periculum enim est ne vires succumbant, cæterum si ab initio non præualuerit huiusmodi necessitas non oportet subito, & confertim huiusmodi purgationem moliri, tum quia coctionem integram quę pleniori purgationi est necessaria in hac febre expectare periculosum est, & inutile, tum verò quia difficulter tolerab t corpus vires medicamenti tanto, & crasso humori proficua*: quæ quidem euacuatio vt ingenuè fatear cum *Augenio* mediocris esse debet, & non plena quæ tangat scilicet primas vias, cum enim hæc materia sit secreta non est adeò necessaria coctio, quod confirmauit *Alex. Trall.* dum facta leui coctione docet crassos, & viscidos humores esse euacuandos, ne diuturna in corpore mora magis crassescant humores, purgatione tamen leni, quæ scilicet paulatim, ac per vices expellat; quale esse poterit: ℞. agar. trochis inf. & expressi s. a. scru. 4. mellis ros. sol. vnc. 4. dec. cord. q. s. mis. f. pot. cap. quæ quidem euacuatio non vna sat erit sed multiplex desideratur, ideoque seruanda est epycrasis illa Galeni, illa tamen habita animaduersione quam habet doctiss. meus *Mercatus cap de quotidiana*, nam si materia existat in primis vijs, tunc sanè crebrius purgandum sed mitioribus pharmacis, ne si rarius purges plus excrementi, quam leuia medicamenta educere possint succrescat, si vehementioribus vtaris vel robur ventriculi deijcias, aut venosi generis humores citrà euacuationem quæ vsui sit interturbes, ideò laudat pillulas ex agar. mastiche & rhabarb. ea omnium, aut cuiusque quantitate, qua citrà vir um ventriculi iacturam quarto die porrigi possit subdit: *si tamen peccantes humores crudi, & crassi in venoso genere, & iecoris vitio abundent, tunc quidem per maiora interualla (vt coctio perfectius fiat) & per validiora pharmaca purgandum est, quo facilius quod in abditis, & dissitis à ventre partibus continetur vitiosum facilius educi possit.*

Quamuis tamen ego dixerim conuenire iteratas purgationes, si tamen promptitudinem habeat ad vomendum vtile vtique erit aliquod vomitorium, *morbi enim* aiebat *Hippocrat. qua parte proximi sunt extrahendi, & qua parte singulis excitus quam proximus est extrahendi*; nam quamuis pituita, in venis, & potissimum in nobilissima nostra languente existat, cum dixerimus quotidianam esse continuam, tamen fotum, & fomitem habet à ventriculo, vt constat ex ἀνωρεξία, & sitis absentia, *Senner.* laudat raphanum vel decretum,

vel

vel infusum cum vnc.4.oxy.quicquid tamen dum omnia hæc fiunt, cogitandum est an aliqua possit sanguinis missio conuenire, certè cum videamus Excellentissimam languentem, & debilem, & pallentem, cum vbertate materiæ pituitosæ; non sit pletorica, potiùs à sanguinis missione abstinerem, ac illius loco hyrudines venis sedis affigere, eò magis, quò solita sit ab illis venis sanguinem eijcere, eijceremque in exigua satis quantitate.

Quod si per hæc parum proficiatur, tunc sane non erit inutile iura vel alterata componere, ex agrimon.capill. ven. cichor. cum rad. fœnic. hyssopi, asparag.cuscutæ cetrach. & similibus addendo cort. citri vnc.5. ventriculi ratione, in quo dissolui poterit syr.acetosi simpl.mellis rof.sim. & de duabus rad.an.vnc.5.quorum quattuor vel quinque assumptis pillulę de agar. exhibendæ; *Senner.* laudat saltam pariliam lignum saxafras, theriacam, & alia calidiora, à quibusque penitus abstinerem, quippe cum sint nimis calida possint febrem maiorem accendere; præterquam quod materia adeò crassa nequit per diaphoretica euacuari, satius ergo diureticis incedens sic pro roborando ventriculo vterer intrinsecis, tum extrinsecis remedijs; Intrinseca esse poterunt conf. de beton. rof. addendo rad.citri condit. vnc.5 sp. arom. rof.dra.5.sic ventriculus inungi poterit ol.de absynth.cort.citri, de mentha, & similibus, quicquid tamen sit, nisi victus ratio similis adiungatur nihil profuturum quod proposui crediderim, quam tamen nunc temporis omitto, cum sciam optime à doctissimis viris institui.

PRO PERILLVSTRI AC *Honestissima Domina Cinthia à Nardis Patritia Aquilana Quartana intermittente laborante.*

CONSVLTATIO LXXXII.

ERroneas vagasque febres transitum solere habere in quartanas ex casu nostræ languentis satis innotescit, cum enim longo temporis tractu duplici Tertiana ingenuerit, tandem in erroneam conuersa ab hac orta est sane quartana, quod significauit *Hippoc. in Coacis* dum dixit *Febres Tertianæ naturam referentes erroneo modo inuadente autumno leniter in quartanas transeunt*: erraticę autem febres vt ait *Gal.* inordines ac certo typo carentes habent paroxismos particulares, de quibus loquutus est *Hipp.* cum dixit *p.epid. Quartanæ autem multis quidem ab initio quartanæ ordine ceperunt, alijsque non paucis ex alijs febribus & morbis, αρως?σιες ες τεταρταιυς εγινωντο abscessus, siue secessiones in quartanas fiebant*, subdit *Iacotius in Coacis*: In quo voluit *Hip.* non solum ex intermittentibus primigenijs quæ auctæ non sunt quartanas fieri, vt tertianis spurijs, ac erraticis sed etiam ex diuturnis continuis, quæ neque coctione, neque abscessu ad articulos finem fecerint, quasdam intermittere aliquot diebus, deinde erratice prehendere, tandemque in quartanam firmari, hoc autem fit per humoris degenerationem in atram bilem, & nouæ cacochymiæ accessionem; indeque idem auctor ibidem tria abscessuum genera notauit ex *Hip.*

primum

primum per *ἀπόθεσιν* per materiæ decubitum, & prolapsionem ab vna parte in aliam; secundum per *ἔκρυν*, per secessionem, & egressionem eiusdem extrà corpus, vt per stranguriam, dysenteriam, tenesmos, fistulas tertium, per *μετάστασιν* per alterius morbi in alterum transitum, vt in nostro casu contigit, dum è Tertiana factus est transitus in quartanam & potissimum hoc tempore autumnali, quod secundum *Varonem*, *Plinium*, & *Columellam*, ab occasu matutino fidiculæ incipit, qui sub idus Augusti incipit, *Ptolomeus* quoque *in Apotelesmatis* idem adnotauit: *Gal. ex Hip.* sententia sanxit Autumnum incipere ortu Arcturi, Arcturus autem paulo ante idus Septembris varia ratione, & mutata sorte regionum, subdit *Holler. 4. Coac verum Medicorum obseruatione, & varietate regionum autumnus se prodit fractis primum caloribus, & cum noctu vesperit, & matutino frigus progresso Sole, & in meridie calor*: hoc tamen sit obiter dictum, nam ideo putat *Iacotius* erraticas febres autumno in quartanas transire, quia cum febres erraticæ fiunt, cum diuersis partibus, ac veluti focis atra bilis putrescit, mouetur, & colligitur, vel heterogenea est, & inequalis ex diuersorum succorum congerie, vel hac parte putrescit, illa nondum putredinem concipit, *at verò* subdit Iacotius *vbi in omnibus eadē fit affectio exuperante atra bile, quartana febris ex illis inordinatis motionibus consistit, præcipue in fine æstatis, & principio Autumni* subdit infer: *Tum enim incipit supprimi humorum transpiratio, & motus ad exteriora, cuius loco in profundum conuersi cohibentur intus superueniente frigore hyemis, atque in penitioribus corporis partibus ad seruantur ad alteram vsque mutationem in habitum calidiorem in quo morbus capit; Duretus in comm. Coac* dixit id autumno inæquali fieri, qui mutuo caloris, & frigoris imperio regitur, & qui cum ab intemperie calida, & sicca æstatis exactæ exudarit tenuior bilis portio; superstite crassiore, melancholici humoris dominatu tenetur, cum paupertate caloris natiui & cruditate quam pariunt *αἱ ὀπῶραι* idest baccæ, quia vt inquit *Hip. opera insolata, frequentes potus, cibi inconstantes, arborum baccæ, vina fortia*: ex quibus patet qua de causa fuerit facta quartana in nostro casu, & quia anormes habebat accessiones, signum humoris degenerantis in alium humorem, & quia in autumnum impegit, qui est quartanarum ferax, ab humore enim melancholico putarim huiusmodi quartanam originem ducere, quod docuerat etiam *Gal. 3. prognost. 30.* qui dixit: *Vt æstate concalfactos admodum, & ebullientes humores atram bilem gignere est necesse, quam in corpore collectam autumnus excipiens non patitur, vt pote frigidus, similiter extrorsum difflari, neque facile euacuari*: quamuis non ignorem in nostro casu adesse etiam pituitæ sodallitium, eiusque descendentis paulatim, & sensim à capite, vt patet ex illa tussicula, eaque sicca, quæ quidem, & tenuem indicat materiam, & crudam; quod fortasse voluit Holler. 4. comm. Coac. dum dixit dari quoddam quartanæ genus, quod pueris, & ijs qui otiose, ac intemperatè viuunt est familiare; sic *Arist. lib. p. problem. 19.* dixit pueros quartanæ esse obnoxios, quod calore naturali plurimum polleant, subdit *Mercatus*: *quod ob id dictum censeo, quia in his vitio ventriculi crudus humor potissimum colligitur tam crassus, & tenax, quantum est atra bilis, ex quo quartanam gigni posse non dubitat, quia in hisce hæc humoris exsuperantia melancholiæ supplet vices, præterquam quod huius humoris nomine melancholiam intellexerunt* Hip *& alij antiqui, neque id quidem repugnat Græcis, & Arabibus Medicis, etenim pituita quantitate pauca, & substantia multum crassa, ac viscida, quartanarios, ac etiam rariores circu-*

tit

tus efficere habet: Cuius opinionis ego ſemper extiti, cum videl. multos quartanarios viderim pituitæ copiam euomere, eiuſque vomitu liberatos quinimò Arabes dixerunt quartanam non raro fieri ex pituita aſſata, vt & ex flaua bile deuſta, ſanguineque deuſto; quicquid tamen ſit quartana qua premitur nobiliſſima languens à melancholia præternaturali generatur, vna cum pituitæ commercio, ideoque non vera, ſed illegitima eſt nuncupanda quartana, cum vera fiat à melancholia naturali; Sedes autem huius quartanæ a *Gal.* in liene reponitur, & merito; cum ille humoris melancholici ſedes exiſtat, quamuis *Cornel. Gemma lib. p. Coſmocr. cap.* 7. dixerit quartanæ ſedem eſſe in myſeraicijs venis præſertim ſi humor ſit fæculentus, vel ex aduſtione melancholicus; qua de cauſa doctiſſ. *Mercatus* hoc ſpuriæ quartanæ genus dixit ſub ſe continere quattuor ſubalternas ſpecies, iuxta quatruplicem humorum naturam, qui exuri ex aliqua cauſa intra corpus poſſunt? Primam ſanè prodire ait ex aduſto ſanguine, qui ob calorem factus ſiccior, & exuſtione frigidior febres quartanas non rarò efficit, ſecundam ſpeciem fieri dixit ex naturali melancholia, quæ etiam aduſta fuit tertiam ex flaua bile ſuperaſſata, quæ in atram ob id commigrauit, in quibus ait conſiderare oportet vſtionem non eo vſque vltimari, quod in veram atram bilem degeneret, eſſet quippe grauiſſimum malum, ſed parum ante ſubſidere. Item conijcere, ait, oportet in his quartanis plerumque continuam adeſſe febrē, ex cuius vſtione bilis aſſatur, & ea ſemiaſſata prodit quartana, quartam vero quartanam fieri aſſerit ex pituita ab actione caloris putredinoſi ſicciori facta, atque ob id *Hip.* dixit *lib. de affect.* quartanam fieri à bile, & pituita, vel vt ſuperius diximus, vel quia vt ait *Cornelius Gemma lib. p. cap. 7. Coſmocr.* quia bilis dat facilitate vt accendantur humores, pituita vero obſtructionis aptitudinem ſuggerit.

Quomodocunque tamen ſit ad illius curationem deueniendum, eſt enim morbus contumaciſſimus, qui & miſere ægrotantem fatigat, & diuturnæ; vt ob id dixerit *Hip. in aph.* autumnales quartanas eſſe lōgas, maxime eas quę hyemem attingunt; ita vt non ſemel ſint viſæ vltra annum duraſſe; quamuis non ignorem *Hip.* dixiſse 6. *epid. par.* 6. *tex.* 7. quartanas non durare vltra annum; quod tamen contrarium videmus, cum nonullos viderimus decem, & octo menſium interſtitio plus minuſque quinimo *Senner.* ait ad tres vſque vel duodecim annos quartanam perduraſſe; quod ego fieri putarim vel ob incuriam ægrotantis nullum ordinem facientis, vel ob incuriam Medici, vt cenſuit *Auic.* ratio autem cur quartanæ non durent vltra annum adducitur à *Proſp. Mart. in ſuo comm. in* Hip. vbi habet chromicos morbos ſequi motum ſolis, vt acutos motum lunæ, ideoque hi quattuordecim diebus terminantur illi per annum; quartana que ob id dicebat. ab *Hip.* longiſſima, ſecuriſſima, & facillima; quinimo nedum ſecuriſſimam aſſerit, ſed à magno morbo liberare, vel vt ait *Vall. 6. epid. 7.* inſumpta ſcil. materia in quartanos circuitus, neque enim ait nomine magni morbi intellexiſſe *Hip.* vt vult *Gal.* Epilepſiam, ſed omnes magnos morbos, nam alias plurali nomine dixit quartanam liberare à magnis morbis; quamobrem dicendum quartanam noſtræ languentis futuram eſſe diuturnam; quod tamen mihi faceſſit negotium eſt quia quamuis dixerimus quartanam eſſe ſecuriſſimam, tamen apud *Hip* habemus in epid. multos periſſe quartanarios in quadam conſtitutione ideoque poteſt aſſeuerari hos quartanarios mortuos eſſe non ratio-

ne quartanæ, sed ratione constitutionis pestilentialis, vel dicendum in græco condice non esse legendum quartanarios , sed quarto loco &c. ego autem dicerem non implicare quartanam intermittentem posse perimere, dummodo sæuissimis contingat symptomatis, vt de Tertianis dixi in meis epistolis, quod antea etiam probauit *Mercatus lib. suæ practicæ*, quod si id non contingat, quartana erit securissima, quamuis longissima, non enim solum vt diximus ad duodecimum vsque annum extenditur, sed non raró vsque ad vigesimum tertium, vt dixit *Fernel. lib. 4. pathol. de feb. cap.* 14. sic *Schenghius lib. 6. obseru. medicin.* dixit Comitem à Morual quartana triginta tribus pressum esse annis, quod impossibile esse non credit *Vuierus lib. obseru.* quippe non ex materia semel tantum coaceruata talem gigni ægritudinis prorogationem sentit, sed ex noua causæ accessione , quæ quo maior est, eo temporis prorogatio diuturnior, sicut minor fiet dum causæ minuetur accessio.

Quicquid tamen sit quoniam non raró morbi nullius momenti neglecti solent innumera mala accersere, proinde curationi eiusdem quartanæ incumbendum; quæ non multis est celebranda medicamentis , sed paucis erimus contenti; *quartanæ* enim aiebat *Gal. p. ad Glauc. sunt leuiter tractandæ quicunque enim plus addere censuerunt ex vna duplicem , ex duplici triplicem, ex triplici continuam fecerunt*, quamobrem cum quartana ab humore fiat melancholico, is euacuari, vnaque coqui postulat vt ait Senner. & quia a liene vt plurimum fouetur & obstructo, & intemperato, propt. & alterandus lien, & aperiendæ obstructiones; vnde nunc quia sumus ab initio darem syr. D. Aug. & mel. ros. sol. duas vncias pro singulis cum decocto cord. ad minorandam materiam in primis vijs existentem; quamuis sed non bene *Laur. Ioubertus* asserat ab initio valida esse adhibenda medicamenta ; nec ignoro doctissimum *Saxoniam* ab initio in hac febre vomitum tentandum esse censere, non semel, sed bis, ac ter repetitum; interim tamen ad præparandam materiam animus est reuoluendus, vt possit manifesta iam coctione apparente purgari, ideoque adhiberem syruppos de s. borrag. lupul. & syr. acetos. sim. velut commendat *Mercatus* quamuis acetosus simplex à Mercato fortè commendetur ad pituitam incidendam, quam in hac quartana adesse diximus, scio enim acredines apud *Hippoc. in acut.* siue aciditates amara bile abundantibus magis conferre, quam atrabilarijs, neque tamen dum hæc fiunt à sanguinis missione abstinerem, ea tamen cautione quam adhibet *Gal.* is enim vult sanguinem qui mittitur esse attendendum, ac si ater emanet maiori quantitate mittendum, sin minus sinendum ; *Aperitur* ait *Mercatus fraquentius basilica sinistri bracchij, quia per ea crassior humor facilius effluit, etiam si maius fiat spirituum dispendium; Nicolaus Nicolus* dixit hanc phlebotomiam debere esse paruam, & factam ex saluatella sinistra , aut de ambabus, vel de saphenis. *Cardanus doctiss. lib. artis paruæ à se conscriptę pag.* 113. hæc habet; *In quartana sanguinem ex vena sinistræ manus hora coitus lunæ mittimus, sinimusque fluere donec sponte desinat , hoc enim generale præceptum est in omnibus angustis venis, profuitque id multis ad sanitatem*, (3. *Anatomic. aggressionum*, inquit: *Gal. cap.* 5.) *idque vidimus. Vnde & alijs in morbis astrorum obseruatione curare licebit, vt per similia, ac dissimilia, in his quæ proprietate agunt, seu suspendatur, seu per os exhibeantur; hęc Cardanus:* & ego iure iurando affirmare possum Alexandrum Benedictum Patrem meum Phylosophum, & Medicum, & Astronomiæ non mediocriter eruditum multos quartanarios persanasse sola phlebotomia

botomia præstita in lunæ coitu, quem aqua & cineribus in cyatho immissis experiebatur.

Hieronimus Montuus quærit cur saluatellæ sinistræ manus sectio in hora paroysmi facta multos à quartana liberauit vt *Galeatius*, & *Valescus* censuerunt; subditque *An quod per sanguinis missionem expultrix facultas à suo munere, & officio fuit auersa?* qua ratione forte *Joannes Paschalius* dixit in principio accessionum sanguinem esse mittendum, à quo tamen abhorret *Duretus in Coacis* aiens: *Cum vehemens febris vrget, in ipso impetu eius sanguinem mittere hominem iugulare est*: *Mercatus* hæc habet: *De hora vero delectu ad sanguinis detractionem non satis conuenit inter auctores, nam quibusdam placet hora accessionis venam tundere, quippè commotus humor se sequaciorem reddit, & melius profluit: alijs quidem id non placet, sed tutius, & vtilius existimant esse sanguinem mittere die ante accessionem, quam sententiam semper veriorem, & rationi consonam habui*: quod si hyrudines etiam velimus venis sedis affigere non erit inutile, vnam vel duas ex illis affigendo venis sedis interioribus. quę ramum splenicum respiciunt, vt volebat *Andr. Laur.*

Interim assumptis syruppis, & manifesta apparente coctione de purgatione est cogitandum, de qua est etiam eadem difficultas quæ est de sanguinis missione, an scil. eadem veniat facienda in die accessionis, an verò in die bona, non defuere qui dixerunt id faciendum esse in accessionis die, nam cum humor sit satis terreus, & difficilè mobilis, nisi ab accessionis impetu moueatur, non videtur posse à medicamento moueri, atque huius opinionis fuit *Conciliator*; quinimo *Hippoc.* ipse: is enim *lib. de aff. tex.* 19. dixit: *Si verò quartana apprehenderit siquidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpositis tribus vel quattuor diebus pharmacum sursum versus purgans dato in ipsa apprehensione, & interpositis diebus rursum aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione*; sunt qui dicant id faciendum est in vomitorijs, & merito nam in principio accessionis natura vomitum mouet; ideoque *in epid.* dixerat: *sub purgandi sunt ventres in morbis vbi purganda matura fuerit, inferni quidem vbi consedisse videsses, signum habes si neque anxij fuerint, neque capite grauati, & cum calores mitissimi, superni vero in ipsis exacerbationibus, tunc enim & hi eleuantur, cum anxij, & capite grauati fuerint, & se iactarint* subdit *Vallesf. in comm. Præter artem videtur in ipsis paroxysmis vlla purgatione vti*: quod adhuc magis manifestauit *Senex.* dicens: *qui in diebus paribus medicamenta exhibuerunt, hi nimium purgati nunquam sunt, qui vero in diebus imparibus, hi nimium purgati sunt, & propter homines peremerunt &c.* *Sennertus* doctiss. *cap. de Tertiana intermittente* dixit esse attendendum Naturæ motum, & locum in quo materia continetur, nam si materia instante paroxysmo ad ventriculum inclinat esse exhibendum vomitorium, debile tamen quod naturam non debilitet, si verò ad aluum inclinet, & non multum à primis vijs materia sit longinqua, commodè leniore aliqua purgatione die etiam paroxysmi educi potest, hoc enim modo futuro paroxysmo materia subtrahitur, & Naturam adminiculantem in purgatione habemus, sic *Petrus Monauius* (vt refert idem auctor) *in epist. à Laurentio Scholtzio editis, epist.* 22. tali curandi ratione plures, & longissimis febribus laborantes, multo citius, quam alios liberatos se animaduertisse sic *Prosper Alpinus lib.* 4. *de Medic. Ægypt. cap.* 15. dixit id plane esse Aegyptijs familiare vna vel binis horis ante accessionem agar. vel rhab. drach. 1. exhibere cum decocto chamædrios, vel absynthij, & pro singulari secreto apud

quoſdam celebrari potionem quandam ante acceſſionem, per binas horas oblatam, quam parant ex manna, pulpa caſſiæ, tamarindorum an. drach. 4. quæ in aquæ endiu. vel communi lib. vſque ad conſumptionem duarum partium coquunt, colaturæque miſcent olei ſeſamini vnc. 2.

Cæterum vt libere fatear in die acceſſionis nunquam exhiberem pharmacum, niſi ad ſtimulandam naturam vt adiuuet, vel quando materia eſt nimis craſſa, vt contingit in quartana, quæ fit ab humore melancholico ſatis terreo, ac tardi motus, vbi Natura quaſi ſopita manet, atque niſi ab acceſſione ſtimuletur non conſurgit ad ſentiendum proritamentum materiæ grauantis, vnde & febrili indiget acceſſu, & medicamento purgante, aliter enim nunquam darem medicamentum in acceſſionis hora vel die, *Medicamentum enim cum velis dare* aiebat *Gal. caue ne id facias in morbi exacerbationibus, & inuaſionibus, & diebus ijs in quibus fieri iudicationes ſolent*; ſic *Auicen.* dixerat: *Neque phlebotomia, neque ventris ſolutio fieri debet in die motus ægritudinis, & cum ęgritudo eſt criſim habitura*: & merito non enim eſt addenda afflictio afflictis, prĉterquam quod Natura in paroxyſmo à centro ad circumferentiam expellit, medicamentum à circumferentia ad centrum, præterquam quod periculum eſt ne nimia fiat purgatio, & ideo *Hippocrat.* in ſola quartana id cōmēdauit ob rationes ſupra explanatas; quicquid tamē ſit cū in noſtra languēte habeamus obediētem aluū ſatius mihi in animū induxi eſse purgationē inſtituere in die bona, quam in die acceſſionis; darē ergo ſequēs medicamentum: ℞. fol. ſenæ polipodij, epythimi an. drac. 1. ſem. anis. fœnic. ſpycæ an. drach. ʒ. bull. in ſ. q. aq. deinde ℞ dictæ colaturæ unc. 4. ſyr. D. Auguſtini mell. roſ. ſol. an. unc. ʒ. conf. Hamech dr. 2. mis. f. pot. cap. quę quidem purgatio poterit ut uult Gal. ſæpiùs renouari, materia enim craſſa & tenax uix unica poteſt euacuatione diuelli; *ſi verò ait* Hip. 2. *de morb. tex.* 39. *his factis non ceſſet interpoſitis duabus inuaſionibus poſt purgationem infernam, multa calida ipſum lauato: & ſeminis hyoſciami milij magnitudinem, & mandragoræ tantundem, & ſucci ſilphij trium fabarum magnitudinem; & trifolij tantundem in vino meraco bibat*: ſubdit *Proſper* Martianus: *Medicamentum hoc ad quartanam ab Hip. compoſitum ex calefacientibus, & attenuantibus, cuiuſmodi eſt ſilphij ſuccus, & trifolium vnà cum refrigerantibus, & ſtuporem inducentibus (tale eſt hyoſciami ſemen, & mandragorę radix) tale inquam medicamentum æmulantes qui poſt Hipp. medicam artem ditare ſtuduerunt, varia huius naturę antidota ſcriptis dederunt*; ſed cur hæc medicamenta opiata in hac febre dentur, non ſatis conſtat; Multi enim dixerunt hoc factum eſſe ut refrigerandi facultate aliorum caliditas remittatur. Alij ut uirtutes ſimplicium in unum coactæ, magis & diutius conſeruentur. *Idem Martian.* dixit Hipp. id feciſſe ad prohibendam ſeparationem, & humorum motum, hæc enim medicamenta uirtutem habent incraſſandi, & refrigerandi proindeque motum ſiſtendi, tum ſpiritum, tum humorum, atque hac forte ratione dixit *Dioſcorides* opium concoquere; ſic *Gal.* duo fuerunt familiaria remedia, theriaca nempè, & medicamentum ex ſucco cyrenaico, quæ quidem medicamenta vt vult *Maſſaria* habent inſignem vim attenuandi, digerendi, ac diſſoluendi reliquias craſſorum humorum, nec non tollendi contractas intemperies.

Cæterum ut liberè fatear quod ſentio ab opiatis omninò abſtinerem, nam vbi eſt obſtructionum pręſentia non admittuntur medicamenta, quæ opium habent; vnde potius dyuretica admittenda, & quamuis *Gal.* dixerit lienem

nullam

nullam vim habere pro repurgando liene per vrinas, nihilominus natura inuenit sibi vias quas Medicus reperire non potest, præterquam quod *Hipp.* in Bione *2.epid.sect.2* inquit Hippocrat. *Bion simul copiosè mingebat sine sedimento, & sanguis de sinistra nare fluebat. Erat enim splen in giberum elatus, & durus, & sursum latus. superstes fuit Recidiua*: quinimò *lib de aff.tex.21.* id clarius dixit aiens: *& medicamentis vrinam cientibus vtantur quæ splenem mollire scripta sunt.* subdit *Valles. in comment. Quartanam eodem modo curant diuretica, expurgatis scilicet totis, aut maximis venis & arteriis per eam viam, mingens copiosè, & sine sedimento, hoc est crassum, & perturbatum, atque ob perturbationem non residens*: & adhuc inferius dixit: *Nam raris quibusdam quibus à vena caua via quadam fertur in mesenterium, facilè potest lien purgari per vrinam recurrentibus succis à mesenterio per cauam in vrinę vias*: Darem ergo aliquot iura alterata quæ vim haberent diureticam, vt ℞. fol. borrag. melissæ, buglossæ, fumariæ, cichor. cum rad capill. ven. cetrach. an. p. i. cort. tamarisci vnc. 5. scabiosæ, rad. liquir. an. vnc. 5. betonicæ (ratione capitis destillantis) parum, misc. bull. in iure; cuius accipiat vnc. 4. cum iurulenta, & aquosa in nimia quantitate non conueniant in lienis affectu, cum illa velut spongia ad se se alliciat, adderem ego syr. capill. ven. de cichor. & de duabus radicibus: quibus exhibitis poterimus epycrasim seruare, exhibendo pillulas de fumaria, & de agarico.

Pro fluxione verò eneruanda non absonum puto exhibere dictas pillulas ut euacuemus, sicut pro interceptione commendarem ceratum ex mastiche corallis rub. præp. trochis. de Karabe, & therebintina, odoratum enim *Montagnana* potest non parum obesse vtero, quod si pro reuulsione cauterium facere uelimus in sinistro bracchio nec inutile erit; interim ad materiam influxam expectorandam optima erunt lambitiua, ex syr. de hybisco, & aquę scabioscæ, uel similia, sicut pro incrassanda eadem fluxione tenui, & cruda, quæ siccam parit tussim optima erit conserua rosᶜ. vetus de sero assumpta cum dormitum pergit. sic pectus inungerem ol. amygdal. dulc. butyro, violac. & cætera.

Sunt præterea qui multa habeant amuleta pro curanda quartana, quæ omnia missa faciam, cum sit eorum catalogus infinitus, qui uideri potest apud Sennertum, *Scaliger exercit. 59.* ait è medulla cardui fullonij uermiculus fit, de quo non falsò prodidit ad quartanas remedium *Dioscorides*: *Rondeletius* scribit magno emolumento adhibuisse sequens remedium; ℞. fol. sambuci, saluiæ, pedis columbini, ruthæ an. m. s. calthæ tertiam partem, salis m. i. & uini parum, omnia simul trita carpis admota ante accessionem, quæ rursus amoueantur, quoties uidebitur commodum: *Piso lib. 3. de febre quartana*, ait sæpe experientia probatum esse cor leporis panno byssino inuolutum, & collo suspensum ad accessionem declinandam, aut certè minuendam plurimum valere: sic *Monaccius in epist. ad Scholtzium* habet: *Communicauit mihi quidam amicus Med. Doctor singulare quoddam experimentum in quartana, quo se quamplurimos restituisse gloriabatur, estque hoc accipe cor leporis ita præparatum vt pulmo vulpis sæpe præparari solet, posteà diuidatur in tres partes ęquales, & patienti paulò antè paroxysmum, aut etiam in ipso paroxysmo cum vino detur, continuetur hoc tribus vicibus vt dictum est, & quarto paroxysmus prorsus euanescet.* Nota

Remedium tamen quod ego scio à quodam doctissimo Medico millies expertum est tale: detur scilicet ante aduentum paroxysmi per quinque horas nullo cibo præcedente infrascriptus potus, quo assumpto immediatè ligetur

getur sequens mixtura pulsibus manuum, & temporum, & pedum: Potus erit talis, ℞. vini granatorum, vel succi eiusdem vnc. 2. cap. mixtura hæc est: ℞. vngu. populeonis vnc. 1. telę araneorum drach. 2. mis. f. pillulæ ad quantitatem vnius scrupuli, & vna cuilibet pulsui superligetur, easque patiens detineat vsque ad tempus, quo timor paroxysmi iam præterierit, & certè sanabitur: est hoc medicamentum *Benedicti Victorii cap. 2. empyricæ de febr.* sic *Hieronymus* Montuus ad Tertianam, & Quartanam hæc adhibet: ℞. vrticę, angelicæ, semperviui, solatri, an. m. i. telæ araneæ albæ, farinæ hordei an. drac. 1. cum sale, & aceto perficitur, & applicatur pulsibus bracchiorum, & pedum. *Fern. in abditis* hæc habet: *Eo tornamira, araneus in loculo ligatus, & appensus eidem Montuo ad quartanam commendatur, insignem quoque araneorum aduersus diuturnas, & quartanas febres vim, & efficaciam Theophrastes Paracelsus prædicat, si nucis testa conclusum araneum inscius ęger ad quartum vsque diem amuleti instar circumferat. viuens aranea iuglandis testis inclusa, colloque subnexa quartanam depellit.* Sed videatur Schenghius ab eo qui plura cupit, ille enim hæc, & alia enarrat. Quod tamen mihi magis incutit admirationem est quartanas non raro timore persanari, sic *Vall. in comment. illius textus in epidem. Curandum iram inferre, &cet.* hæc habet: *Quin, & quartanam febrem vidi timore hora paroxysmi superueniente sublatam, non amplius rediisse, & multi alii testificantur, id verò fit, quia timore cietur alius succorum impetus vehementior motu paroxysmi, atque ita Natura obliuiscitur motus illius consueti, accedit timore turbari ventrem non raro, deponique ita fæces cum ex toto corpore, tum vel maximè ex liene, itaque non raro vtendum est motibus animi, vt propriis morborum auxiliis:* sic *Paræus* (vt est apud *SchenKium*) *lib. 1. cap. 23.* retulit nobilem Gallum in Polonia extitisse febre quartana grauiter pressum, is cum aliquando ad Vuistulæ fluminis ripam quo quartanarij insultus molestias falleret, deambularet, ab amico fortè obuio per iocum in profluentem impulsus est, in quo (etsi natandi peritus esset, id eo sciente, qui impulerat) tantum pauorem concepit, vt nunc dehinc ipsum quartana inuaserit: sic idem P*areus lib. & cap. citato* dixit quintum Fabium Maximum, authore Liuio, diu multumque quartana febre elanguescentem, nec artis remediis successum optatum consequi, quousque conserto cum Allobrogibus prælio pugnandi ardore; nouo velut incendio febrile vetus incendium discussit.

Neque ob id lienis obstructio, & durities non delenda tum intrinsecis quę proposui, tum extrinsecis proponendis, ideòque ego vterer ol. amygd. dulc. de cappar. q. v. quamuis non ignorem multos multa proponere remedia, possunt quoque fieri cataplasmata, fotus & similia.

De victus ratione debet etiam esse Medicus solicitus, ideòq. Sennertus vnam exagitat quæstionem; An scilicet à Medico cibi auidè expetiti ægrotantibus concedi debeant, aitq; non esse concedendos, nam contingere potest vt non bene coquantur, indèque plus excrementi gignatur, indèque morbus augeatur: sint ergo cibi boni succi coctuque faciles, & qui melancholiam non generent, sic vinum est exhibendum, tenue non aere; Hęcque potui dicere pro liberanda nobilissima muliere, faxit autem Deus vt omnia Deus secundet.

PRO PERILLVSTRI DOmino Ioanne Bonanno Sacræ Theologiæ Doctore Hemitriteo laborante.

CONSVLTATIO LXXXIII.

NOn immeritò sanè diuinus *Senex lib. de morb.* & alibi dixit morbos omnes seu febres à bile, & pituita fieri; Sunt enim hi humores nimis idonei, & ad febres accendendas, & ad firmandos, terminandosque humorum impetus, pituita namque suo lentore, ac crassitie tenues humores incrassando, ichorosos terminando efficit vt ii quidem, qui uel è corpore protinus emanarent, vel per paucas accessiones morbos terminarent suo quasi glutine compacti, & morborum diuturnitatem inuehant, & obstructiones parent, & alia difficilia procurent pathemata.

Bilis autem suo calore, & febres accendit, & humores etiam frigidos in ardorem commutat, & crassis humoribus tenuitatem spondet, & furentes eosdem redit modo ad hanc, modo ad illam partem, & vt breuiter dicam hæc bilis morbos inuehit acutos, Pituita autem chronicos facit, quod dixit etiam *Gal.* Illud etiam, aiens *scire oportet, nam si morbus ad bilem pertinebit non erit diuturnus si ad pituitam necessario diuturnus erit*: quare non miror nostrum languentem studiis intentum, variis curis iisque satis molestis obnoxium, & tandem varia quoque viuendi norma heterogeneos hos humores congessisse, bilem nempè, & pituitam, animi namque angores dixerat *Gal.* generant bilem, vt & varia cibaria pituitam, è quibus Semiterriana huiusmodi est genita ut reor, siquidem febre continuò angitur, vnaque die lenta, atque nullius molestiæ innotescit, altera verò maximè cruciatur, accedit cum horrore, inquietudines habet, lypothimias, pulsus deiicitur, maxima anorexia, aliisque prauis symptomatis infestatur; quæ quidem omnia mihi videntur attestari vnum hemitritæum illumque legitimum, cum ille quotidiana sit continua, Tertianæ intermittenti consocialis, atque inde cognoscimus quam sit maior bilis, quam pituitæ actiuitas, vt iure meritò dixerit *Hip. lib. de vet. Medic. quum amaritudo quædam diffusa fuerit, quam bilem flauam appellare solemus, quales statim anxietates & æstus & impotentiæ occupant*; Anxietas quidem non aliundè promanat vt vult *Iacotius in Coac.* & potissimum adiuncta cum fastidio, & nausea quam ventriculum affici cum viscerum æstu, incendium denunciat in partibus circa ventrem, vbi focus febris latet, & materia exuritur: quæ quidem anxietas visa est in Philisco, Sileno, Critone, Erasino, Dromeadæ vxore, & aliis, nam æstuantibus partibus, & maiore Naturæ contentione vt id excludat quod premit anxietas est dicit idem *Iacotius*; vnde vt puto multitudinem pituitæ, & bilis arguit, vt in nostro casu contingit, ex quibus etiam impotentiæ consurgunt, ab oppressione nempè horum humorum oppressis facultate tum naturali, tum vitali, vnde appellentibus humoribus circa cor lypothimiæ veniunt, & pulsus debiles stagnantibus in ventriculo anorexiæ consurgunt; commorso ab iisdem prauis humoribus ventriculi ore inquietudines innascuntur.

Cæterum mirandum quomodo hi humores pituita nempè, & bilis admix-

ta notham Tertianam non efficiant, faciant autem Tertianam; ſed ad hoc optimè reſpondet *Mercatus* aiendo quod in vtraque febre tam Tertiana, quam Semitertiana bilis, & pituita putreſcunt, ſed hæc eſt differentia quod in Tertiana ex vtroque humore vna reſultat humoris forma, & in vnico loco fit putrefactio, in Semitertiana verò quiſque ſeorſum putreſcit, & forſan in diuerſis locis; cuius ferè proprium ſignum horror eſſe videtur, omen manifeſtum mixtæ materię, ob cuius materiæ conditionem, & diuturnus eſt morbus, & grauiſſimis circumplexus ſymptomatis, quippe grauia accidentia morbi breuitatem oſtendunt, & diuturna mala acutis eſſe ſalubriora conſtat ex bile enim ſumit ſymptomatum ſæuitiem, ex pituita verò diuturnitatem; quæ quidem bilis à retorrido hepate producitur, ſicut pituita à ventriculo, & capite; ſicque ex prædominante vno vel altero humore ſymptomata comparent; bilis enim quæ maiorem retinet actiuitatem horrores validiores facit, febres etiam maiores, cælerius ad ſtatum pergit, & vomitus ac deiectiones habet biliofas, quod *Mercatus* adnotauit *in hiſt. Vxoris Theotimi* 7. *epid.* ſi verò pituita præualuerit, contraria emergent ſymptomata, ſicque dum *Hippoc. in hiſtoria Vxoris Apomoti* enarrat hanc in hemitritęo circa Arcturum fuiſſe correptam graui Cardialgia in apprehenſione, & vomitu, & ſtrangulationibus, vt in hiſtoria Vxoris Theotimi ibidem in Semitertiana ait: anxietas, & vomitus, & horror ſimul cum febris inciperet, & ſitis; conſtat hos duos ægros hemitriteo laboraſſe, verum ex bilis prędominio, vt conſtare poteſt ex anxietate, ſiti, Cardialgia, & aliis ſymptomatis; quæ quidem omnia ſolent combinari vt plurimum cum hemitritæo, vt etiam veternoſæ cataphoræ, paraphorica pathemata, & diaphoreſes cum ſyncope, commotis nimirum, vel putridis humoribus, vel corruptis ob maximum calorem vnde vapores exhalantes, vel auræ in cor, vel ventriculi orificium quod *Hippoc.* nomine cordis etiam indigitat omnia parit ſymptomata ex quibus innoteſcit ſedes affecta, nimirum hypocondria, in quibus æſtum percipit, atque moleſtiam ydiopaticè, ſympaticè autem cor, & orificium ventriculi, quamuis *Cornel. Gemma lib. 1. coſmocr. cap.* 7. dixerit continuarum febrium fomitem adeſſe in arteriis, quæ quidem ſymptomata non minimum inferunt periculum, ac proinde *Gal.* dixit hemitritæum ſæuum eſſe typum, & maximè periculoſum; vnde Auic. dixerit illum plerumque perimere; ſic *Hippocr.* ſcripſit 4. *aphor.* 43. febres non intermittentes, quæ tertiò die exacerbantur periculoſas eſſe, quinimò *ep. ſect.* ; dixit: *In ſemitertiana vocata accidit acutos morbos fieri, & eſt reliquarum hæc maximè lethalis*.

Atq; tabidi, & qui longis alijs morbis ægrotant, in hac maximè ægrotant; ſubdit *Valleſ. in comment.* *neque hoc quidem dubium eſt, cum ſit altera ex parte continua febris, & præter eam habeat aliam intermittentem*; *dicit etiam eſſe maximè lethalem, quod ſit quia nulla febris acuta eſt, qua tam crebro, & tam continenter varijs ſymptomatis facultas affligatur, Sennertus cap. proprio* dixit ob quattuor cauſas huiuſmodi febrem eſſe periculoſam, primò quod febris hæc non ſimplex eſt, ſed vel ex continua, & intermittente, vel ex pluribus Tertianis conſtans, licet enim febris vnus morbus natura ſit, tamen ex cauſis ſpecie diuerſis generatur, ex flaua nempè bile, & pituita; ſecundò quia vt plurimum hæc habet alicuius viſceris inflammationem; tertiò quia ipſi mala grauiſſima, & periculoſiſſima ſuperueniunt vt ait *Hip.* quartò, quod plerumque maligna eſt, contagioſa epidemia, & non ſecus ac ipſa peſtis plurimos inuadit, ac iugulat; vnde non immeritò

ma-

malignitatem *Senn.* tribuit huic febri, quippe cum tot inuehãt praua symptomata non nisi corruptionem potest ominari in qua consistit essentia malignitatis, præterquam quod ex *Gal.* ea dicitur maligna febris cui scilicet noua superaccedunt symptomata, propterea que curatio adhibenda, nam in his febribus vel minima dilatio periculosa.

Quamobrem cum dixerimus adesse copiam humoris biliosi, & pituitosi, adesse febrem, & prauitatem, tria mihi ab hac febre videntur indicari; nempè humores heterogenæos euacuantia, alterantia, & tandem alexiteria, quæ & vim alexipharmacam habeant, atque roborandi vi polleant; quoad euacuationem ab initio est eadem molienda sed lenibus medicamentis, *Hippocrat.* commendauit vomitum, 7. *epid. in præfata histor. vxoris Theotimis*, ait enim: Cum mellicratum potasset, & vomuisset, horror, & anxietas sedata sunt. vacuata vt ait Valles. in comment. bona parte succorum, qui in ore ventriculi aceruati, ea symptomata inferebant, & posteà cum iam febris arderet, datum esse quod ex Sida. *Hippocra.* verò dicit ὡπώτης σιδης quo nomine non video ab Auctore quopiam vocari malum punicum, si verò vocari possit, mihi placeret ita legi, quandoquidem malo punico, in feruore præcipuè patientis ori ventriculi, nihil conuenientius esse videtur, atqui suspicor sidam facultate punico esse similem, vt est figura. quæ quidem describitur à *Theophrasto lib.* 4. *de hist. plant. cap.* 11. quicquid tamen sit, quoniam ad vomitum non est pronus noster æger, proindè aliquod leniens medicamentum est exhibendum; *Adrianus Spigelius de Semitertiana lib.* 3. *cap.* 7. vt est apud *Senner. cap. de Hemitrit.* se vsu quotidiano didicisse rhabarbarum agaricum, Senam, atque aloen in initio huius febris data plurimum profuisse, castigata refrigerantibus, & viscera aperientibus permixtis, ego tamen darem in nostro casu ab initio tres vncias syr. rosf. sol & duas mellis rosf. sol. cum decocto cord. sic enim & bilem, & pituitam purgaremus absque maximo corporis motu.

Interim ad alterantia confugiendum, quæ mixtam habeant indicationem, & respiciendi bilem, & pituitam; *nam* vt ait *Mercatus* si quis morbus proficiscatur ex flaua bile, & pituita simul, vnam formam nactus, ei quidem subueniendum est mixtis auxiliis, ac si diuersa sit humorum origo alternatim id opus aggredi oportet, biliosos vt qui facile coquantur primis purgationibus educere oportebit, medicamentis à prædominio bilem ducentibus pituitosos verò diutius præparare, & tardius purgare opus erit, ijs tamen, quæ solam respiciant pituitosam materiam, nam procedente morbo, & vlterius prorogato, perdifficile est credere superfuisse bilis flauæ aliquid, ac si fuerit purgatione peculiari minimè indiget, nam & necessaria est ad calorem, & ipsa sua spontè quouis medicamento facillimè purgatur: poterunt ergo præparari humores sequenti syr. ℞. syr. de s. acetosæ acetosi simpl. de s. beton. an. vnc. 5. dec. communis vnc. 3. mis. pro syr. dum hæc tamen fiunt, non inutile crederem sanguinem mittere, sed parcius quam in aliis febribus ob ventriculi cruditates, nec non etiam & ob pituitæ in venis etiam vbertatem.

Cæterum vt liberè fatear in nostro languente potius hyrudines venis sedis affigerem, cum ipse temperamento melancholico donetur, vires non sint admodum validæ, & ipse à sanguinis missione abhorreat, quod si sanguinem mittere velimus potius ex saluatella dextræ manus id facerem, quam aliter; sic enim vires non debilitantur, & putredo non fit sordidior, vt aiebat *Gal.* quãdo loquebatur de sanguine putredinem sordidam experiente; quod

si morbus adhuc sæuiat apparente coctione dandum est medicamentum non validum nimis, sed quod sit validius primo, quale esse poterit sequens: ℞.syr.rof.sol.mellis rof.sol.an.vnc.2.agar.trochif.rhab.el.inf. & expr.in aqua cichor.an.drac.1.mif.f.pot.cap.ad fortiora medicamenta non esse deueniendum vult *Adrianus Spigelius lib.3.cap.8.nam* ait *in acutis febribus paulò leniore medicamento securior medela est, quam paulò fortiori, & licet nouem curentur eiusmodi fortibus medicamentis (loquitur de antimonio) & vnus in mortem præcipitetur cum perpetua Medici, & Artis ignominia id coniunctum est.* Coniectandum in purgationibus præbendis in hisce febribus vt vult *Mercatus* an ambo humores in venis abundent, vel alibi generentur, & in venas postmodum irruant, quippè si ambo in venis præsunt, tardius licebit purgare, mitescit enim bilis ex pituitæ pariter redundantis adhæsu, & ipsa pituita citius coquitur, & ob id differre oportebit purgationem donec mixtis fieri possit medicamentis: verum si diuersam sortiantur generationis mineram per epycrasim purgare licebit, alternatim quidem tum per eam, quæ bilem ducat, tum verò per eam quæ pituitam, diutius tamen protracta pituitæ purgatione. Quæ quidem opinio mihi satis arridet, ideòque hæc vltima curatio venit in nostro languente exequenda, nam minera nedum est in venis vt ex continuitate cernimus, sed etiam in ventriculo, vt ex amaritiæ oris innotescit, ex anorexia, & tandem ex anxietate Cardialgica.

Interim cogitandum est, & symptomati incumbere, & caussam illud gerenti eneruare, quæ est potissimum prauitas, seù cacohethia: Proindèque danda sunt alexiteria, vt bezaarticus lapis, scordij puluis, acr. citri, margaritæ præpar. cornu cer. vs. conf. Hyacinthi, AlKermes, cum dictis rebus additis auri folijs, sic pro instaurandis viribus non inutile erit stillatitios liquores adhibere, consumpta iura, extrinsecus epythemata adhibere cordialia, parare inunctiones, & similia: sic clysteres ex vsu erunt, frictiones, cucurbitulæ partibus tamen infernis adhibitæ.

Illud tamen adnotando vt par victus ratio adiungatur; quæ sit temperata, & ab initio tenuior pituitæ ratione, quæ absumptione indiget. Vinum haud concederem, sed potius vel vinum granatorum ventriculi ratione patientis, vel iulapia; atque hæc sunt quę potui ex improuiso scribere circa affectum nostri languentis.

PRO PERILLVSTRI DOMINO *Fratre Bonauentura de Antonellis Equite Hierosolymitano Aquilano febre Hectica, Iecorisque obstructione laborante.*

CONSVLTATIO LXXXIV.

Diuturnum morbum quoad difficultatem pertinet acuto parem esse promulgauit elegantissimus *Celsus*, solet enim diuturni morbi in varias figuras commutari velut tot neoterici Prothæi, vel Empusæ, non rarò enim, & potissimum Iecoris diuturni affectus vel hydropes vocant, sicuti, & febres

lentæ

lentæ hecticas accersunt, vt in nobilissimo nostro languente videre est, secur enim vt ex manifesto meteorismo innotescit obstructum cachexiam gignit non ex mera κακωπραγια, vel ατονια, sed aliqua imbecillitate, febris autem illa lenta roridam humiditatem, ac cambium absumendo primo primam hecticæ speciem configurauit, secundo secundam, vt patet primò ex aranearum tela in vrinis innatante, ex macie, nec non etiam & ex incalescentia à cibo; cachexiam verbo nunc primordia sumere ex abdominis tumore constat, pedum turgentia, & palpebrarum aucta mole.

Nec ignoro aranearum telam in vrinis innatantem non esse pathognomonicum hecticarum inditium, nam primo huiusmodi tela quamuis vt ait Senner. perpetuò colliquationem indicet, tamen potest significare liquationem vel eius pinguedinis, quæ cum sanguine est in venis, vel renum adipis, vel adiposæ, & carnosæ substantiæ totius corporis, atque ita hecticæ secundi gradus; sed quomodocumque sit, doctiss. *zecchius in suis consil.* dixit possibile esse hectica febre laborantes habere vrinas sine hac tela aranea, nam quod liquatur interdum, vel per halitum digeritur, vel in ventrem defluit, ob id hecticarum cognitionem ab vrinam petitam incertam esse *3. de presag. ex puls.* explicatur præterquam quod *Gal.* 10. *Meth. in fine* ponens differentiam inter colliquatiuas febres, & hecticas aiebat in colliquatiuis deiectiones esse pingues, non autem in hecticis, in quibus liquatus instar vaporem: cæterum *Rasius* 10. *ad Alman. cap.* 3. statuit vbi huiusmodi vnctuosa vrina apparet, innitendum esse in hecticæ medela. Et quamuis *Gal.* 3. *de præsag. ex puls.* dixerit nil posse vrinam supra hecticam febrem monstrare, de colore, aut substantia subintelligi oportere enarrauit *Mercatus*, qui etiam distinxit pinguedinem apparentem in vrinis sanorum vel renibus affectorum, à pinguedine hecticorum, nam hectica pinguedo guttatim visitur, aut velut tela aranearum, at in reliquis crassior, similisque ei, quæ in summo lacte colligitur, aut quæ in iusculis refrigeratis, solet concrescere, vt mens est *Gal* 4. *de sanit. tuen.* hancque vrinam ait *Senner.* videri vbi sanguis copiosus fit, & bonus in sano corpore, habet enim sanguis ipse partem quandam pinguiorem, de qua aliquid interdum cum vrina etiam percolatur, nimirum vbi maior eius in corpore est copia, præsertim si corpus fiat calidius.

Verum vt ingenuè fatear securius est signum, quod sumitur ex incalescentia à cibo, quod quidem huius febris pathognomonicum sancit præfatus *Mercatus*, habereque etiam ait id proprium, vt tamdiu duret, quamdiu alimentum in ventriculo, & primis venis: siue id contingat vt vult *Auenr. loc. cit.* cum alimentum quod apponitur partibus siccissimis, & partes calidæ ex vicinià calidi cum calido pars incalescit, siue id contingat vt vult *Gal lib.* 1. *de differ. febr. cap* 9 quia materia humida est materia alimenti, caliditatis, & siccitatis membri; & quoniam Gal. dat exemplum de cal:e, hinc Auenr. insurgit ad impugnandum *Gal.* aiendo quod alimentum tanquam frigidum est in c.ussa, vt calor in partibus solidis concentretur, per nde vt fit in calce, calx tactu non est calida, concentrantur tamen partes igneæ affusione aquæ frigidæ; vnde *Gal.* ait cum *Auic.* solida esse actu calida, & recipere alimentum partis calidæ, & siccæ ex quo alimento pars fit calidior; verum *Saxonia* sibi obiectionem facit aiendo: *si hoc est verum caliditatem fieri ex appositione alimenti, quomodo fit duabus horis ab assumpto cibo, dum cibus adhuc est in ventriculo? oporteret enim hoc reddi calidius post sexta septima horas cum tamen oppositum contingat; deindè*

hoc etiam posset in ardentissimis contingere absque hectica: verum respondet doctissimus *Saxonia* dicendo assumpto cibo non distribui crassiorem partem in ambitum, nec solidas partes, sed tantum vaporem transmissum, & eleuatum ob ciborum copiam, quod etiam in syncope apparet, cur autem id non contingat post excretionem cibi ex ventriculo, ratio est in promptu, quia augetur hic calor dum pars est exsiccata; quamuis in hoc satius respondeat *Mercatus*, *durante enim*, ait, *incalescentia, credibile est toto eo tempore quo alimentum non commutatur in membra, aut per sudorem euanescit, vel per ventrem crudum non excernitur posse corpus calfacere, calfacit enim non vt calx ab humido, sed vt subiectum ad quod præexistens calor extenditur*, & quamuis huiusmodi ardor in ardentibus quoque percipiatur, is non ità sentitur, aut distinguitur vt in hecticis, in quibus calor paruus obseruatur, & est certum, & proprium signum febris hecticæ, vt vult Saxonia; quamuis dictam incalescentiam à cibo præfatus Mercatus referat ad subuersum temperamentum membrorum in hectica febre, & habitualiter subuersum, mediante enim dicto temperamento, & calore cum conficiatur alimentum fit facile vt calor ille ab assumpto cibo ad maiorem illam materiæ quantitatem extendatur, vt qui eam coquere, & mutare studeat, & ita profecti qui sic affecti sunt à cibo, & mox ab eo assumpto incalescunt, quia maior est quantitas substantiæ quæ calore participat, quam antequam corpus alimentum assumeret; duratque prædicta incalescentia, donec cibus distributus discutiatur, & per sudorem exhalet idque noctu maxime, quia calor hic addictus noctu magis nocet; at verò in alijs febribus vt pulchrè aduertit *Auenr. 4. collig. cap.* 33. quia mediante caliditate membrorum, quæ adhuc naturalis existit alimenta conficiuntur non communicatur alimentis nisi caliditas mitis, & suauis, aut in fieri vitiata, quæ non efficit insignem mutationem, quæ alterare corpus possit, quinimo ipsum alimentum conficit, ac secundum naturam mutat, si copia modica sit: *hac Mercatus*: doctiss. *Massaria* dixit (reddens rationē cur tā breui tēpore à cibo incalescant hectici) id cōtingere quia tenuiores quædam alimenti particulæ, & ad concoctionem magis aptæ post vnam vel alteram horam possunt ad omnes corporis partes deferri, ac solidis partibus apponi, vt colligitur 3. *de natural. facult. p.* quinimo idem auctor ait id experientiam confirmare, nam si quis vel defatigatus, vel debilitatus sumat alimenta, statim nutritur, quoniam partes tenuiores statim conficiuntur, & ad solidas partes penetrant: cæterum cum hoc à me sit reiectum in 8. *lib. mearum epist.* propt. de hoc nunc temporis non loquar; Dicam tamen si mea sententia sit proferenda, huiusmodi incalescentiam non aliunde manare, quam ex imbecillitate totius corporis, & potissimum ventriculi, nec non etiam & ex debilitate coctricis facultatis, dum enim calor est exiguus facultates omnes elanguescunt, & potissimum coctrices, vnde cum Natura nequeat alimenti molem sustinere, ac concoquere, patitur ità vt pressus & calorem adaugeat præternaturam addita noua alimenti mole, & primigenio cedente, est enim maior actiuitas caloris hectici, & aduentitij, quam sit caloris primigenij, vndè ob id statim, vel paulò post ingestionem ciborum calor ille consurgit, qui non diminuitur donec alimentum sit confectum, & ad partes distributum, tunc enim partibus humectatis calor fit mitior; quod cernimus quia non rarò ab assumpto cibo adeo sunt hectici anxij, vt extremis vexentur angustijs, mirisque angoribus præmatur.

Maius

Maius præt illa non aliunde emergit quam ex carnium, & pinguedinis conſumptione à tabifico illo calore, ſicut & pulſus illa mira imbecillitas ob vires eſsentialiter debilitatas innaſcitur, qui ob vſum adauctum, & creber eſt, & cæler; vſque adeò non ita durus illucet, quia non eſt contracta illa ſiccitas vſque adhuc, quæ poſſit pulſum facere dutiorem, præter quam quod cum ſimus in principio cachexiæ humiditas illa ab imbecilliori Iecore genita pulſus duritiem prohibet, nimius enim ille calor prius cauſis, mox hecticæ potuit natiuum extinguendo anſam dare huiuſmodi cachexiæ, multus enim ille aiebat Ariſ. exiguum ad ſe rapit: neque enim hecticam hanc febrem ab initio ſui natalis hecticam extitiſse crediderim, raro enim datur hęctica incipiens, calorem enim vt plurimum in membris ſolidis ſolent imprimere febres ardentes, & acutæ, in quibus ait *Mercatus* vtrumque damnum fieri euidentius conſpicimus, liqueſcit enim præ calore carnoſa partium ſubſtantia reſoluta, euaporataque rorida humiditate, & calor etiam ſolidas membri partes inuadit, quo breui tempore habitualis efficitur, idem etiam faciunt febres diutinæ.

Neque ob id nego poſſe dari hecticam incipientem, nam quamuis ſit promptior humorum, & ſpirituum conditio ad calorem ſuſcipiendum, quam ſit quæ in ſolidis membris ineſt, & quamuis ſit prius calefieri humorum quam calefactum eſſe membrorum, vnde *Gal.* etiam id ſignificaſſe videtur dum 2. *de criſ. cap. vul.* ſcripſis febrem hecticam non accidere in primis diebus, tamen non inconuenit aſſerere poſſe hecticam primis diebus fieri, nam illud poteſt, ac de facto magis, & promptius accenditur vt ait *Mercatus* quod magis eſt diſpoſitum, ſicque non raro non eſt inconueniens aſſerere cordis ſubſtantiam ob præegreſsum v. g. mærorem ſicciorem & parationem eſse humoribus, & ſpiritibus vt accendatur; verum duo potiſſimum requiri ait auctor, primo hecticam non poſſe incipere ab vna ſolum cauſſa, ſed à duabus, quarum altera diſponat humidum reſoluendo, vt inedia, & altera calorem habitualem inferat, quę quamuis paruæ ſit efficacię, id tamen ex membrorum appatatu facit.

Quod tamen mihi faceſſit magis negotium eſt an hectica poſſit augmentum recipere, cum videamus non raro eandem intenſiorem fieri, quod videtur habitus rationem deſtruere; cum ad habitum non ſit per ſe motus; ſed cum non ſit præſentis inſtituti id diſquirere, dicam cum eodem *Mercato* hecticum hunc calorem non habere veram rationem habitus ad quam nullus eſt per ſe motus ac licet verus ſtetiſſet, poſſet optimè augeri, caliditas enim illa quamuis augeatur eius motus non terminatur primò, & per ſe ad diſpoſitionem, & habitum, ſed vt paſſio ad paſſibilem qualitatem, cuius augmentum ſequuntur habitus, aut diſpoſitio per modum conſequutionis, quo intenſiorem fieri habitum mirum non eſt, licet id non intendat caloris motus vt habitus eſt. quo fit vt nullum ſit inconueniens hecticum habitum intendi, ſiquidem calorem augeri eſt poſſibile, & ad eius augmentum rationem habitus, maximè cum hecticus calor non habeat rationem veri habitus, ſed ſolum ſit radicata diſpoſitio, quæ magis, & minus ſuſceptauit, cum non differat niſi accidentaliter à qualitate caloris, quæ vt patet intenſibilis eſt; verum id clarius explanarem aiendo habitum eſſe qualitatem ſeu diſpoſitionem quandam difficilè mobilem à ſubiecto, quam ego introduci in ſubiecto crediderim ex continuato calore febrili, ita vt ex febre continua, & perenni ità

diſpo-

disponatur pars ad illum calorem vt iam sit in illa contracta dispositio difficile mobilis, vnde cum intensior fit calor, non ob id destruitur habitus ratio, nam remanet radicata illa dispositio, sed calor tendit ad calorem non ad rationem habitus, qui subindè per accidens pariter intenditur ad intensionem qualitatis calorificæ, cum illa dispositio quæ habebat rationem habitus magis radicetur in subiecto, & fiat difficilior ab illo mobilis.

Quicquid tamen sit dicerem hanc febrem qua noster Eques ingemiscit esse hecticam eamque secundæ speciei combinatam cachexiæ vt diximus, quæ redditur curatu difficilior, cum nedum caloris dispositionem arguat difficulter mobilem, sed & viscerum imbecillitatem, ideòque nonnulli auctores desperatam salutem promisere ijs hecticis, qui visus aliquod ex præcipuis habent labefactatum; quomodocunque tamen sit, etiam si in hecticis calidum intemperamentum sit habitualiter subuersum in omnibus solidorum membrorum partibus, non ob id est inconueniens asserere corpus sanari posse, ratio adducitur ab eodem *Mercato*, (qui in hectica febre tractanda omnibus palmam subripuit) quippè impossibile est uiuens animal calido, aut humido priuari omnimodè, ideoque hoc principium (quamuis sit pusillum) caloris, & humidi in quo uita se tuetur potest esse principium, & instrumentum sanitatis recuperandæ, vi, & efficaciȩ formæ, seu ipsius animæ.

Quamobrem si hoc in desperato marasmo fieri posse est credibile, cur in secundæ speciei hectica contingere posse non asseuerabimus? non enim denego morbum maximo discrimine pollere, & quia hecticæ naturam sapit, & quia hydropis rudimenta habet, quicquid tamen sit quoniam obsequentem habemus ægrum, morbumque medicamentis cedentem curatio ineunda, quæ neque in desperatis casibus prohibenda, cum aiente Auenroe non raro fiunt in Arte monstra, sicut in natura.

Quæ quidem curatio multiplicem nobis indicationem proponit, febris enim hectica refrigerantia, & humectantia desiderat, cachexia autem aqueæ humiditatis ablationem, nec non etiam, & visceris roborationem, & quia obstructum aperientia: quæ quidem indicationes sunt omnimodè contrariæ, nam cachexia siccitatem amat, & calorem, febris autem frigiditatem, & humiditatem; verum hæc omnia ea lege sunt temperanda, ut nec nimis humectantia, neque refrigerantia nimis, sed temperata cum aliquali siccitate adhibeantur, ideòque cum turgidum corpus videamus, aliquod leuitiuũ prius adhiberem, quod posset esse manna, vel syr. rosf. sol. & melle rosf. sol. ac subindè apozemata. & refrigerantia cum aliqua humectatione, & visceris roboratione iniungerem cum iure exhibita quod habeat virtutem substantificam, vt possit partes tabe quasi infectare nutrire, sic ergo iura componerem: ℞. fol. viol. borrag scabiosȩ, endiuiæ, agrimonij, eupator. an. p. i. absynthii pont. p. s. quatuor sem. frigid. maiorum an. drac. 2. sem. fænic. drach. 1. misf-bull. in iure substantiali, colaturæ sumantur vnc. 3. cui calidæ addatur huiusmodi syrup. ℞. syr. de eupator. de duabus rad. viol. an. vnc. 5. cap. per decem dies, scio iurulenta non esse admodum ex vsu in hydropicis, quoniam tamen hecticæ ratione humectantia conueniunt, ideò eadem probaui: quod si aluus sit adstricta tunc. Sanè, & meritò iubet *Mercat.* semel in mense aliquid posse exhiberi sed lene. De sanguine hic non loquor, nam præterquam quod est missus pluries, nunc nullam explet indicationem.

Sunt

Sunt qui in hisce casibus duo commendent, & lactis vsum, nec non etiam & balnea aquæ dulcis, optima quidem in hecticis remedia, & quamuis hæc indicentur ab hectica, contra indicantur tamen, & ab obstructione dextri hypocondrij, & à cachexia: ideoque eadem missa facerem, pro quo explendo scopo ego soleo commendare vt Gallina per octo dies hordeo in lacte caprillo nutrito, & ebullito nutriatur, deinde exenteretur, & impleatur herbis supradictis addita conf. rof. viol. & florum borrag. quod si nimiarum humiditatum in abdomine stagnantium causa velimus addere chinæ radicis portiunculam, & ligni visci quercini non erit absonum, eoque magis, quò non rarò tenui destillatione fatiscit, vt videre est non raro ex leui tussicula qua si non perpetuò per vices infestatur, quæ quidem iura per viginti dies adhiberem, & ad humectandas partes solidas, & ad exsiccandas humiditates excrementitias, neque inutile erit cauterium dextro cruri affigere ad reuellendam, & euacuandam materiam, quæ in dies congeritur ab hepate.

Possem, & ad reficiendas vires, & maciem instaurandam multa proponere, sicut ad roborandum Iecur maximi vsus esse dicere conf. adhibere cum spec. Diarhod. Abb. arom. rof. & Diacurcumæ, verum cum hæc omnia satis pateant lubenter derelinquo, consilium enim sumendum in arena; Inunctiones subinde renibus maximè laudandæ, & potissimum ex vng. rof. sandalino, lacte, & testudinis sanguine, sic ego soleo commendare vng. præstitum cum muccillag. sem. psyllij cydon. ol. viol. butiro, & cera. De victus ratione aliquid esset dicendum.

Cæterum nunc sat sit asseuerasse cibum nec actu humidum, nec siccum esse debere, illud enim cachexiam fouet, hoc hecticam nutrit, quamuis non ignorem assas carnes maximè quoque posse nutrire; Guainerius vt est apud Senner. ranas virides accipit, quæ in arboribus viuunt capitibus abscissis, & visceribus abiectis, & tamdiu in aqua coquit, vt caro ab ossibus separetur deinde cum farina hordei, & carne, ac iure illo facit pastam, qua gallinas, & pullos nutrit, eosque hoc modo nutritos mirabiliter ait hecticis conferre.

Nonnulli cancros in lacte caprino coctos commendant, atque additis conuenientibus herbis pro hecticis parant; sic alij ex cocleis stillatitia, electuaria, instauratiua faciunt; cæterum *Alexan. Petron.* has carnes improbat, & quia crassi sint succi, & quia à calore naturali in hecticis debilitato non coquantur, eoque magis in nostro casu videntur improbabilia, quia obstructiones habemus; iuribus ergo potius ac stillatitiis incidendum, ea immiscendo, quæ & attenuent leuiter, & obstructiones reserandi vim habeant. Hæc ergo sunt quæ dico pro laborantis salute recuperanda.

.(.§.·.§.).

PRO

PRO PERILLVSTRI DOmino Barone Bernardino Quintio Patritio Aquilano febre, ardente, & Iecoris phlegmone laborante.

CONSVLTATIO LXXXV.

Laborem, cibum, somnum, venerem, cum nimia extiterint, semper damnauit *Hippoc. omne enim nimium naturæ inimicum*; quomodo enim aiebat *Hollet. in Coac.* moderatum exercitium elaxat corpus, ita immoderatum densat, adstringitque, Ac immoderatum, vehemensque gymnastis exercitium est, vnde siccantur carnes, & cutis adstrictio efficitur.

Ac febris quoque incendio accedente siccantur magis, vt plerisque, & ante febrem, & in febre scabra, rugosaq; cutis appareat, vt proindè mihi haud sit mirandum nobilissimum nostrum languentem cum in æstiuis illis ardoribus venatum proficisceretur subito in magnam, vehementemque inciderit febrem, quæ & calorem exurentem, & sitim inexhaustam manifestat; duo potissimum signa pathognomonica pro manifestanda febre ardente vt censuit *Gal.* atque indè meritò *Hippoc. lib. acut.* dixit 4. *acut. tex.* 1. febres ardentes fieri, cum venulæ exsiccatæ tempore æstiuo acres, & biliosas quæ tenues sunt ad se trahunt humiditates, quas ichoras vocant, quod etiam protulerat *Gal.* 1. *epid. part.* 1. *comm.* 20. aiens quod cum præ nimio æstu, aut labore paruulæ venę exsiccantur, aut ichorosas humiditates ex vicinis partibus trahunt; si putrescant hoc causi genus excitare valent: sic *Duretus in Coac. pag.* 498. *est enim*, dixit, *ratum illud quod venæ quæ attrahendi virtute carnes ipsas precedunt, cum exaruerint rapiunt ad se biliosos, & acres ichores, hinc veniunt causi, & febres malignæ*, sic *Prosper. Martianus in comment. huius loci* intellexit etiam venas exteriores, sed mihi magis arridet opinio doctissimi *Mercati* qui dixit id intelligendum esse de venis minoribus, quæ in visceribus, aut propè ipsa sunt non autem quæ iuxta cutem sunt; non enim vt censeo videtur probabile externarum venularum canaliculos aptos esse rapta ichorosa humiditate febres ardentes gignere, deindè quamuis exsiccetur ab æstiuis ardoribus, vnde illam humiditatem trahunt, non de foris quia non adest, non intus, quia materia dum subripiturè venis maioribus, interioribus, & à centro ad circumferentiam ablata caussa à partibus nobilibus non potest fieri febris ardens, quæ semper vel venas maiores, uel alias partes ex præcipuis uendicat; sic doctiss. Iacot. nedum in liene, hepate, pulmone, ventriculo, & Ieiuno intestino causi sedem reponit, sed in cerebro, sic *Gal.* 1. *epid. par.* 1. *commentar.* 9. hæc habet: *Neque in quibuslibet corriuatus partibus febrem potest humor hic excitare ardentem, verum circa ventriculum, & huius præcipuè os, circàque Iecinoris partes simas*; atque de harum partium venulis intelligendus est *Hip.* siquidem cum hæ partes sint ex præcipuis dum incalescunt, affectio communicatur reliquis partibus sicque febris fit ardentior, confluxio enim una, dixit *Senex*, conspiratio una.

Consentientia omnia, vt propterea non mihi sit mirandum, si Iecur incaluerit nostri languentis, ac nedum phlogosim conceperit, sed etiam ualidam inflammationem à bile pronatam pituitescente tamen, cum eadem non tam facilè

facilè possit à bile pronasci quæ tenuis est,& non inhærens, nisi pituitescat, & fiat crassior; bilis enim producta esse potest ab eodem Iecinore nimis feruido,sicut pituita à uentriculo ob errata in uictu commissa, dum enim uenter cibos non superat ab hoc morbi fiunt, unde partim attracta materia a Iecoris feruore,partim à ventriculo expulsa in ipsummet Iecur, vt puta in partem dolorosam,uicinam,& calentem,bili commixta, Iecorisque meatus obstruens,incalescens,inflammationem fecit, atque inde maior ortus calor ardentiorem febrem produxit;atque indè meritò dixit Mercatus obstructionem cum prohibitam diffiationem adeò tueatur,& putredinem, & calorem conseruare,qui dum immodicus est in ea parte ubi est obstructio inflammationem gignit.

Sic Iacotius explanans quomodo fiat inflammatio dixit fieri non aliter quam dum humor contentus alicubi putret,atque incalescit, siue suapte natura calidus iam sit, siue frigidus, *Duretus* dixit duplicem esse inflammationem, unam per systrophen natam, alteram siccam quæ phlogosis nuncupatur, quę non visitur in nostro languente, sed ea per systrophen facta, adest enim manifestus meteorismus, percipitur ibidem uelut pruna perurens, adestque dolor; quæ quidem systrophica inflammatio duplicem potest caussam ascifcere,rheuma scilicet concitatum siue ὡρμώμενων & στουισάμενων idest consistens.

Quicquid tamen sit huiusmodi inflammatio à sanguine bilioso facta cernitur ut diximus per congestionem ab hepate, & à pituita per transfluxum à ventriculo transmissa, habent enim hæ partes maximam inter se synthimoriam,ita ut sit facile alteram alteri ut aiebat Galen. fluxionem transmittere; quod facile est in nostro casu contingere, adest enim exclusio partis potentis, & dolentis attractio, addita humoris feritate,& orgasmo, quare non est mirandum ex hac systrophe ardentem febrem fuisse pronatam; dum enim Iecur exæstuat, & venas maiores, ut cauam exestuare pariter necessum est, atque sic bilem accendi; vt propterea dixerit *Galen. 2. de cris. capite septimo* febres ardentissimas fieri ex Iecoris erisipelate ex hoc enim omnes partes incalescunt,& humores biliosi potissimum in venis.

Quamuis doctissimus *Sennert. capite de causs.* dixerit in illo nedum sanguinem in venis accendi, sed & in arterijs, ita ut sanguis arterialis quamu purissimus, & putredini minus obnoxius possit putrescere ad putredinem sanguinis uenalis, sanguinem enim arterialem ardentissimas febres gignere credidit; uerum sanguis hic intelligitur biliosus, cum à bile febris ardens succendatur,indeque 4. *de morb. tex.* 23. *Hippoc.* dixit: *At si calescente sanguine exhalat maximè per hunc humor aquosus, qui febri est infestissimus remanet pinguis, ac leuis quia est biliosus, & febres maximè nutrimentum, & attenuatus hic biliosus humor corpus magis calere facit.*

Quamobrem huiusmodi humore, & putrescente, & calescente, nil mirum si calor exurens appareat, si lingua nigra compareat, si inexhausta sitis percipiatur; hæc enim non aliunde gignitur quam nobis siccescentibus dixerat *Gal.* immo *p. de simplice medic. facult. cap.* 30. sitim dixit fieri ob humoris inopiam,& caloris copiam; quod tamen non est perpetuo uerum, quippè non rarò adest nimia copia humoris biliosi quæ sitim facit summam, intelligendus est tamen *Gal.* adesse inopiam humoris frigidi, & humidi, tunc enim cum à nullo humore proluatur ventriculus fit vt maximè sicescat, &

sitim pariat, quod intuens *Gal.* dixit non rarò fieri dum in ventriculo veluti feruet natiua humiditas, hæc enim sunt *Gal.* verba: *Siquidem interdum immoderata potio appetitur, cum contenti in ventriculi tunicis vitiosi humores vel salsi sunt vel biliosi, interdum etiam cum in eo veluti feruet natiua humiditas*; neque enim in solo ventriculo putauit idem *Gal.* fieri sitim, sed in hepate, simul inflammatis mesaraicis venis, pulmone, intestino Ieiuno, & gula; atque ideo idē *Gal.* 4. *comm. acut.* dixit non raro in ardente posse sitim abesse, hæc sunt eius verba: *Nempè in vna corporis parte interdum καῦσα gignitur, interdum, & in toto corpore, verum cum in toto fit corpore, sitim omnino parit, cum vero in vna parte non de necessitate, nisi pars ipsa sitim pariat, omnium autem primum, & maximè id facit os ventriculi, deindè ventriculus, post pulmo, & subinde ieiunum intestinum*, atque hinc forte *Fernellius* admiratus est quosdam, qui cum vident in febre sitim abesse, protinus asserunt adesse destillationem fauces proluentem, ducti eo *Hippocr.* oraculo quo asserebat, *qui febrem ardentem habent si tussim habeant, non admodum siti cruciantur*; contra hos autem sic inuehit: *Non rarò corpus febre exardescit sine siti, non quod vt vulgo credit frigida destillatio ventriculum proluat, sed quod ardoris causa longius absit à ventriculo*; & quamuis sitis in ardentibus possit abesse, tamen id per accidens est, vel scil. ob destillationem, vel quia longè absit affectus à partibus siti feris, vel quia deliret æger, ac sitim non sentiat, vel tandem emortua sentiendi appetentia, ideoque dixerat *Hip. in Coac. In morbo acuto non sitire malum*, & alias: *Sitis præter rationem soluta, malum* subdit *Duretus*: *Falso credita sitis leuatio quam neque substulit liberalis potio aquæ frigidæ, nec inspiratio auræ eiusmodi, nec balneum, nec somnus, nec epythema, pessimè habet ægrotum, qui vel dementia vel emortua potionis appetentia non sitire se putat*: per se tamen in ardentibus semper sitis debet adesse; indeque *Hippoc.* 2. *de morb. tex.* 61. hæc habet loquens de causo: *Febris tenet, & sitis vehemens, & lingua aspera, & nigra & cum virore pallida*: quinimo *lib. de aff. tex.* 11. ait: *Febris ardens, siue causas cum habuerit febris detinet, & sitis fortis, & lingua aspera, & nigra fit à spiritus caliditate, & color subbiliosus fit, & sputa biliosa, & æger extrinsecus frigidus fit, intrinsecus vero valdè calidus*: ex quibus patet signum esse pathognomonicum febris ardentis sitim, quemadmodum calorem exurentem, is enim à bile pronascitur, quæ cum maxime calida sit, & sicca, vehementem calorem concipit, atque sic calorem manifestat exurentem, quod si aliquando calor nullus appareat tunc sane est non quia ardore intrinsecus non crementur ægrotantes, sed quia calor contrahitur, vel attrahitur ab inflammatione, multus enim ille aiebat *Aris.* exiguum ad se rapit; cæterum quia similitudines morborum non rarò peritis etiam Medicis confusiones, & errores, propt. cum hæc ardens quo quo pacto exacerbationes habeat, videtur ad aliquam ex Tertianis posse referri, quamuis hæ etiam sint de genere ardentium; tamen quia nostra febris cum in compressa adnotatione aduentat, & exacerbatio vix declinat adest calor exurens, & sitis inexhausta, & lingua nigra ab humorum vstione, propt. declaranda est vere ardens, ideoque dixit *Gal.* 2. *de Cris. cap.* 6. *exquisita febris ardens cum omnia alia seruet exquisitæ Tertianæ indicia, eo solo differt, quod neque cum rigore incipit, neque ad infebricitationem desinit*; & 4. *aph.* 59. *Tertiana febris ab ea quæ ardens nominatur, humore faciente non differt, vtraque enim à flaua bile fit, differt autem quod febris ardens habet in venis vna cum sanguine flauam bilem redundantem, & ebullientem; Tertiana vero eandem bilem habet in totum corpus delatam, &*

motam.

motam. Doctiss. *Saxonia cap. de causo*, dixit febres ardentes continuas, & cõclusas, vnicum signum habere, quod scil. nullas vnquam habeant exacerbationes, Periodicas autem etiam si non declinent, habere tamen singulis diebus vel alterius quasdam leues exacerbationes; vt inde constet febrem qua laborat noster languens esse ardentem natam ab humorem bilioso rapto prius à venulis viscerum deinde venarum maiorum prope cor & prope hepar, in quo facta est inflammatio systrophica; ex quibus potest dubitari. An huiusmodi febris sit symptomatica, vel essentialis, quippè vt ait Senner. Tales febres possunt esse symptomaticæ ex inflammatione præcipue *ἐρυσιπελατώδεις* partium internarum ortæ: verum non est inconueniens asserere vnam & eandem febrem posse dici & symptomaticam, & essentialem, symptomaticam quatenus ad Iecoris inflammationem subsequuta est, (quamuis non ignorem auctores febres ab inflammationibus viscerum genitas non dixisse febres sed inflammationes huius vel illius visceris) essentialem verò, quatenus habet ordinatas exacerbationes.

Quicquid tamen sit cum hæc febris sit de quattuor potissimum morbis acutis quos lib. acut. nuncupauit *Hippoc.* propt. maxima diligentia est adhibendam vt eandem curemus, maxime enim est periculosus affectus, & tunc potissimum cum sæuis est symptomatis consocialis, qualis est stillarum sanguinis apparentia quarto die, & quinto, rigor inordinatus, & aliud, symptomatum genus; quam enim sint periculosæ stillæ sanguinis explanauit *Gal.* dicens; Parua excerni in ægris vnum quoddam ex paruis signis quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per ventrem &c. quod adhuc magis explanauit *Hippoc. in Coac.* aiens: *Sanguinis stillæ pusillę malæ*: nam vt *lib. de Iudicat.* dixit: *Nil modicum iudicat in morbis*: non enim paucum quid potest maximæ humorum abundantiæ morbos acutos facienti correspondere; sic vidimus silenum, Phyliscum, Epamenonem parum è naribus stillasse, & mortuos esse; sic *Hippocr.* in illa constitutione epidemica *p. epid. constitut. 3 secundæ sectionis* referens quomodo soluerentur febres ardentes vagantes dixit ijs solutas esse, quibus videlicet sanguis e naribus probe rupisset, aut vrinæ multæ multamque subsidentiam habentes per vesicam prodijssent, aut per aluum solutam, aut denique per largã mensum effusionem: ex quibus constat euacuationes has omnes fuisse multas, & ideo iuuisse, *Quicquid enim* ait *Duretus in Coacis humorem cit, neque dissipat, nec exhaurit, oppressionem infert maiorem, & vero prestat naturam quiescere, quam aliquid frustra moliri, nam inde sunt acrisiæ, discrisiæ, dolor, atque mors ipsa*: sic *in Coacis. Parua* dixit *comparere velut sanguinis stillas, & vrinas, & vomitum, penitus quidem malum est, pessimum autem si propinque inter se prodeant*: cuius caussam assignat *Gal.* nam vel ob copiam nequit tolerari, vel ob imbecillitatem naturæ nequeat expellere; ideoque *Holler in Coac.* dixit: *Stillatio enim vt alias periculosa, ita & quartò periculosissima est; Fluxus autem & larga effusio ambigua sunt quintò; Metoni quarto die fluxit sanguis aliquis, quinto largiter erupit, ægre tandem conualuit*: sic *Iacotius* dixit: *Stillicidium narium quam sit periculosum dictum est à me alias sæpissime, significat enim naturam velle excernere quod superfluum est, verum non posse vel pro naturæ imbecillitate, vel ob sanguinis crassitiem, vel partium densitatem, vel vnum ex his, vel multa simul*: eoque magis stillæ nostris languentis sunt malæ quia in die illegitimo comparuerunt, nimirum quarto, sic enim aiebat *Hippocr. sanguinis fluores quarto die difficilijs iudicis*: sic *in Coacis* dixit: *In*

febre ardente fluxio sanguinis è naribus quarto die mala est, si non aliud quid boni coinciderint, verum quinta minus periculosa est, sic etiam sextus, & vndecimus malus est pro hemorragijs: fausti vero sunt septimus, nonus, & decimus quartus vt explanauit Hipperat. in Coac. neque ignoro doctissimum Zacutum in hac fuisse opinione vt dixerit stillas sanguinis aliquando in bonis ducendas vt contingit Metoni, qui quamuis stillas quarto die habuerit, quia eædem portendunt largum effluxum quinto die ideo non fuerunt malæ.

Pręterea hunc morbum reddunt difficiliorem ij rigores quibus continuò affligitur; nam vt ait Hip. in Coac. Rigores velut in febre Tertiana si in media inordinata febre exacerbentur valde maligni sunt; Continuus enim (ait Vall. in comm. epid.) rigor continuum Naturæ conatum ostendit, quę mouet quidem materiam sed nihil promouet: hincque quod Hip. asserit: Febris ardens rigore superaccedente soluitur: Duretus in comm. non credit huiusmodi rigorem sine superueniente euacuatione prodesse posse, hæc sunt eius verba: Hæc lex in rigore critico sanciatur, vt febris ardentis materia primum in venis mitificata, exitum inde habeat, natura duce, ad panniculum carnosum, & cutim, quæ rei molestę appulsu concutiatur ad excussionem, & exclusionem; In concussione rigor existit, in excussione, sudor, hemorragia, vomitus, & alui profluuium indeque dixit Hip. lib. dę Iudicat. quibus rigor, ij exsudare solent: quod si solus accidat rigor dixit Gal. nulla euacuatione subsequente, vtroque modo casus caret bonitate, nam vt mala causa vim corporis tanget, & malum signum erit, vltimam illius indicans imbecillitatem, quæ solita sit in rigoribus euacuare, nunc autem prę imbecillitate imponere aperi finem non possit: vt hac ratione dixerit Hip. Rigor in continua febre corpore iam debili existente, lethalis est subdit Holler. Illie ἐμπίπλει natura infirma subinde enitente excretionem materiæ, sed eo modo, quo prostratum, oppressumque corpus, dum hoc agit vt quod premit amoliatur, & se excitet, eleuetque vel grauitate ponderis, vel infirmitate euictum recidit, atque omnino succumbit, Ita Natura morbo pressa, & grauius laborante accidit, interdum quidem maiori nixu Natura rigorem mouet, sed maiore vi morbi depellitur, atque consternitur, aut excretione mota prę infirmitate concidit: sic vxori Dromeadæ in febre continua sexto die mane rigor, sudor per totum corpus extrema frigida, conuulsiones à quibus celeriter ea defuncta est: subdit paulo inferius: In alijs multis rigores subinde legas eiusmodi lethales quidem, quia vel non fuerit subsequuta excretio, aut si sequuta non pertulerunt ægri sed à sudore perfrigescentibus extremis partibus corporis expirarunt: quare concludendum ægrum in periculo versari, eumq; vel intrà quattuordecim dies moriturum, vel si ad salutem sit terminaturus longitudinem habiturus: Iudicatoria non iudicantia dixit Senex aut lethalia aut difficilis iudicij: quod potius crederem contingere debere in nostro ægrotante, qui & Iuuenis est, cui omnia gratiosa dixit Hip. & Medico obtemperans, & satis validus: propterea Curationi incumbendum, ac sedulo ne datis eidem inducijs, necem eidem paremus.

Cum ergo dixerimus febrem hanc secum habere adiunctum calorem exurentem, & esse ardentem à bile pręstitam, inde consurgit indicatio maximè refrigerandi, & humectandi, sicut bilis quæ febrem facit refrigerantia indicat: quod vt fiat multis id possumus celebrare remedijs, nedum ijs quæ per se id faciunt, vt sunt alterantia, sed quę per accidens, vt venæ sectione ac purgatione; hæc enim humores calidos euacuando refrigerant; ob idque Hip. in febre ardente quarto die pharmacum exibet, quamuis

non

non ignorem Hip. *lib. acut.* vomitorium commendasse, dicens: *& si amarum fuerit os, vomere conducit, & ventrem per clysterem subluere, si vero ad hæc non soluatur lacte Asinino cocto purgato* subdit *Galen in comm. Non ergo sine ratione bilem tum per vomitum tum per clysterem euacuat*; & subdit: *quod omnino quidem eam quæ in ventre est bile vacuare præcipiat timeat autem purgantia medicamenta, quod & acria, & calida prorsus existant, ob id ad lac Asinæ diuertit vt pote quod nullam vt non aliud vllum habeat acrimoniam:* quod si det medicamentum dat blandissimum, & ideo commendat, purgationem 4. die dum *tex. 42.* dixit; *At si mollem ac vacuum ventrem habenti febris ardens succedat siquidem tibi idonea visa fuerit purgatio id ante tres dies ne feceris sed quarto;* dat tamen medicamentum aliquod blandum, quale esse poterit apud nos cassia, & pulpa thamerindorum, ad alia medicamenta fortiora non deuenit quippe, *in febribus fortibus* vt dixit: *Hip. lib. de medicam. purgant. dare non oportet, donec remiserit febris, vel saltem non intra quattuordecim dies, ventres enim ipsorum, & carnes cum calidæ sint medicamentum assumunt, & nihil depurgantur, & febris maior fit, & color morbi regij speciem præsefert, commota enim bile, & non purgata non sorbere vult æger neque bibere, sed plerumque perit*, quod si habeamus historiam Pythonis filij in Pela laborantis febre ardente cui tamen exhibitum fuit pharmacum, dum ait.

Hip. existente verò eodem ductu datum est quiddam eorum, quæ ex enico, & cucumere siluestri, & meconio, & biliosa eruperunt, & statim sopor sedatus est, & febris facta mitior, & omnia subleuata, & iudicatus est die quattuordecima subdit *Valles. in comm. Certe mihi videtur actum optimè, & imitandum vbi similis sese affectio obtulerit, nam restricta aluo rectè admota est per sedem glans ex felle (hoc enim innuit dicens apposito ex felle) & ad vacuandam aluum, & reuellendum à supernis corporis partibus, cumque à glande egereret multa, & ab egestione statim remitteret febris, & sopor, constabat aperte humorem in ventrem detentum maximam augendi febrem, & soporem esse causam, atque cum breui rursum aluus in tumorem eleuaretur, & exacerbaretur febris, & sopor per eadem hoc est per eandem causam simulque vt eleuabatur in tumorem aluus, constabat confluere in illam biliosa toto corpore, & ab eis ibi congestis foueri affectum, quapropter nulla potior erat curandi ratio, quam curare ne biliosa detinerentur in aluo, sed erumperent, vt per eam viam, quam bilis cœperat, corpus expurgaretur*, subdit paulo inferius: *Ex his vero illud licet intelligere Hippocratem nomine turgentiæ non solum intelligere eam reciprocam à partibus in partes motitationem quam Gal. interpretatur, sed etiam vergentiam humorum in euacuationis vias præcipuè in aluum, qualis in quibusdam significatur hypocondriorum murmure, in hoc alui intumescentia citò post eius deonerationem, ob talem enim succorum vergentiam expurgare licet etiam antè coctionem quia quæ spontè fluunt, facile trahuntur:* quicquid tamen sit, ego nullum exhiberem medicamentum, quoniam cum in hypocondrijs, & potissimum dextro dixerim adesse inflammationem systrophicam, omne medicamenti genus explodi debet: iuxtà illud quod dicebat *Hippocr. lib de rat. vict. in acut. text. 36 quicunque verò ea quæ inflammata sunt statim in principio morborum medicamento soluere aggrediuntur, hi de intento quidem, ac inflammato nihil auferunt, non enim remittit affectio quæ adhuc cruda est; quæ verò morbo resistunt, ac sana sunt colliquefaciunt*: quamuis non ignorem multos esse qui velint posse exhiberi cassiam, & alia lenientia pharmaca, inter quos est *Petrus Salius*, cæterum securius esse crediderim clysteribus rem agere, vel quarto die darem cassiam, aut syr. ros. sol. cum sero, hæc enim medicamenta potius reuellunt ab inflammatione, quam trahant: M*aximè autem* (di-

xit

xit *Hip. loco cit.) & hepatis dolores, & splenis grauitates, & aliæ inflammationes, & supra septum transuersum dolores solui non possunt si quis prius medicamentis purgare aggrediatur, nam venæ sectio in talibus principalis est deinde infusa per clysteres si non magnus & vehemens fuerit morbus:* quare potius ad venæ sectionem deuenirem, quamuis haud sim nescius *Gal. 4. de sanit. Tuenda* interdixisse sanguinis missionem humoribus citra, aut vltra sanguinem existentibus nam vtroque sanguine detracto metus est, ne alieni succi putriores cum sint vitalem mixtionem dissoluant, idque maximè, & ocyus biliosis succis redundantibus, cuius etiam occasione 9. *Meth.* in quibus amara bilis abundat à sanguinis detractione abstinet, sic *Auicen.* dixerat: *Non phlebotomes fortasse enim phlebotomia inflammabit eos, verum si fuerit in vrina rubiditas, & turbedo fortasse phlebotomia iuuabit eos*, quibus rationibus, & experimentis nonnulli in hac febre dubitarunt in hoc febrium genere sanguinem mittere.

Cæterum idem *Gal.* nobis difficultatem diluit aiendo *lib. de sangu. miss.* 12. *Porrò ubi feruentis sanguinis copia acutissimam accendens febrem extiterit confertim vacuare expedit & vsque ad animi deliquium ducere tentandum*; & *primò ad Glauc. cap.* 13. dixit: *Sanguinem verò mittere oportet, & ob morbi magnitudinem, & quibus rubor multo plus quam naturę conueniat, & maior quam pro consuetudine totius corporis tumor, & venæ eminentes atque extensæ, his est auferendus nisi vires, aut ætas, aut aliquid eorum, quæ supra commemorauimus prohibeat*, & 11. *meth. cap.* 15. dixit: *Saluberrimum est in omni febre putrida sanguinem mittere*; idque iussit pariter *Hip. 4. acut. tr.* 19. dicens: *In morbis acutis sanguinem detrahes si vehemens morbus videatur, florueritque ægrotantis ętas & virium adfuerit robur*; quamobrem cum omnia hæc adsint in nostro ægrotante, & Iuuenilis ætas, & virium robur, & plettoria audacter sanguinem mitterem, sed debito modo ad vncias sex ex basilica dextri bracchij cum in lupate supponatur inflammatio systrophica, in qua optimum esse dixit *Gal. in aphorism.* sanguinem mittere, neque in summa quantitate mitterem primò quoniam sumus in æstiuis temporibus, secundò quoniam adest bilis copia, tertiò quia melius semper est infra subsistere, ideoque dixit nescio an sit *Auenzoar vel Rhasius*; *Caue ne accidat tibi quod contigit Galen. qui cum vellet larga sanguinis missione & vsque ad animi deliquium iugulare febrem iugulauit ægrum*; quare larga sanguinis missio facienda in his, qui possunt ferre, ideoq; aiebat *Senex*: *Atqui vbi vsque ad animi deliquium expedit ducere faciendum si æger possit tolerare*: quare potius nostro ægrotanti mediocris est iniungenda phlebotomia; vt deinde si opus fuerit potissimus hyrudines venis sedis affigere; Interim tamen dum hæc fiunt refrigerantia, & humectantia sunt exhibenda, pro quo explendo scopo dare sequentia apozemata: vt ℞. syr. acetosi simpl. de endiu. viol. an. vnc. 5. dec. communis vnc. 4. mis. pro syr. cap. Pro alterante tamen præcipuo multi etiam laudant emulsiones, ideoque ego paratem sequentes à Sennerto propositas: ℞. sem. melonum, anguriæ, cucurbitæ, cucumeris an. vnc. 1. liquir. rasæ, sacch. cand. viol. an. vnc. 5. sem. fen. drac. 1. mis. & contundantur omnia in mortario, & ligentur in petia, ex qua in aq. ros. irrotata lac exprimitur, quod ægro est exhibendum: sic etiam ptysanam exhiberem.

Quod tamen omnia hæc videtur exsuperare in aqua ardente est potius aquæ frigidæ, vt enim *Gal. 9. meth.* scribit: *Potio frigidę extinguit febrem, naturam robustam reddit, vt deinceps per aluum, & sudorem expellat, quæcunque noxia sunt; Tanta enim* (subdit *Senner.*) *est in ea humorum efferuescentia, vt nisi plurimum refrige-*

res,

ves, parum proficias, ideoque non solum aqua frigida coctione facta, sed ad coctionem iuuandam, & humores alterandos refrigerantia copiosius, & inter hæc assuetis aquam frigidam adhibere oportet, ne spiritus nimio calore dissipentur, aut solidæ partes exsiccentur, & eger in marasmum incidat: sic Gal. 10. meth. dixit: *Ergo si & vires cunctæ valentes sint, & febris ardens, & concoctionis notæ planè euidentes frigidam dare audacter debebis*: sic idem Galen. 10 meth. dixit: *Siquidem cum iam sępe vidimus non paucos ex ijs qui febribus ardentibus premerentur, cum iam mediocriter concocti humores essent statim ex frigidæ potione liberatos. quamuis eius potioni parum assueti fuissent, multo arbitror magis in ijs qui assueuerunt vtilitatem fore citrà noxam vllam sperabimus*. vnde Hip. 4. epid. ait: *In acutis febribus siticulosi à Medicis priuati potu, aut etiam à se ipsis videntur posse bibere multum, aqua frigida data vt vomant prodest*: subdit Valles. in commentar. *Nam cum tam multum bibere posse videantur, auidissimè capient quantum voles bibentque vsque ad vomitionem plus scilicet quam ventriculus possit continere, vnde fiet vt vomant, (nam valdè sitienti, si frigidæ modicum des, non vomet) bilis verò aderit præsto vt vomatur. nam fortis ille æstus, ac sitis significabat redundantiam bilis circa viscera*: Vomitus à multis etiam desideratur, & potissimum ab elegantissimo Celso asserente: *Cum verò summo incremento morbus est, tunc vtique non ante diem quartum magna siti antecedente aquæ potio præstanda est, vt bibatur etiam vltra satietatem, & cum iam venter, & præcordia vltra modum repleta sunt, vomere debet*: Verum multæ desiderantur conditiones à Galen. vt possit huiusmodi aquæ potio probari; vult enim primò vt appareant coctionis signa, secundò quod nulla adsit obstructio, tertiò æger sit assuetus, quartò vt vires sint valentes, quintò vt febris sit exurens: Celsus innumera alia desiderat, vult enim illis esse aquam exhibendam, quibus scilicet præter ardorem nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nil prohibens vel in thorace vel in pulmone, non vlcus, non deiectio, non profluuium alui, neque leuis Tussicula: atqui ob hanc rationem Valles. 4 epid. exclamauit: *Nam vt est auxilium optimum, & iucundissimum, ità etiam & periculosissimum, & maximè positum in occasione Non enim vtcumque febris vrat, & ægrotus sitiat, ac multum sibi posse bibere videatur offerenda est frigida, multis enim hæc habentibus oblata, primum quidem iuuare visa est ob intemperiem, quam extinxit, deinde verò vt denuò excitaretur alia febris, & maior, & contumacior priori, caussa fuit quod cum adhuc materia morbi esset cruda, oblata, eius & concoctionem, & discussionem prohibuerit alijs etiam incurabiles passiones, & pro inflammationibus breui resoluendis, indissolubiles tumores manere fecit*: Quare cum hæc omnia sint consideranda, non ita de aquæ potione decernendum, quin debeamus lento gradu incedere, est enim magnum remedium, quod visum est vel multos derepente persanasse, quod visum est multos haud secus peremisse; ideòque in nostro casu altiori esset indagine nam quamuis febris exurens aquam exigat, sicut & linguę ariditas, & sitis inexhausta, tamen si hypocondria contrectemus eadem systrophica inflammatione diuexata cernemus, quæ & aquæ frigidæ potionem explodent: sic Alex. Trall. lib. 1 pag. 78. sic loquutus est: *Frigidam autem aquam vitare oportet eo quod tuta non sit, nam si inflammatio circa septum transuersum, aut aliam quampiam particulam inuenta fuerit non exiguum periculum sequitur, quamuis enim frigida potio mitigare ipsas videatur, tamen maiores postea & malignas febres excitat ut etiam alienatio mentis augeatur*: quod confirmauit Vallesius doctus dum loco supra cit. dixit: *Neque igitur phlegmonem quempiam internum habentibus, neque nisi cocta materia neque nisi robustis, & secundum partes omnes internas precipuè nobiles abundantibus naturali calore offerenda est*. subdit: *Ego proinde raro febricitan-*

tes

tes ad copiosam frigidæ potionem cogo: sed cruda adhuc materia, aut phlegmone uiscera obsidente abstinere iubeo quantum citra periculum tabescentia possunt; materia uero coquenda, aut phlegmone inclinante eius potus quo per morbum utitur plus sensim indulgeo, si frigidam pro decocto (si decocto fortè utitur) efflagitat audeo concedere, interim cum vrgetur siti potiones medicatas vt stillatitias aquas, aut serapia valdè diluta affatim offero: quod faciendum censeo in nostro etiam ægrotante, prorsus abstinendo ab omni aquæ potione.

Interim ad refrigerandum hepatis incendium summè proficuum propono remedium à Mercato propositum, vt vngu. rof. refrigerans *Gal.* aut resumptiuum, uel de cucurbita, ego tamen soleo vti ol. rof. amygd. dulc. tantillo ol. de absynth. ad seruandum tonum visceris, succo cichor. & aceto: nec ignoro in inflammationibus vehementibus non esse adhibenda repercutientia, at in remissioribus iisdem tuto vti licet; qua ratione dixerat, *Gal. in meth.* moderate inflammationes, & non pulsantes tutò curantur ol. rof. &cet. Sunt qui laudent epythemata refrigerantia, à quibus abstinerem, quippe cum cutem densent, calidum effluuium prohibent, atque calorem ad intra remittunt, vnde & maiorem augent inflammationem.

Quantum spectat ad vinum, ab omni vini potione languentem arcerem, cum illud in febribus vehementibus denegarit *Gal.* quattuor enim videntur ex eodem *Gal.* vinum inhibere, febris nempè magna cum humorum cruditate, delirium, capitis dolor, & interna inflammatio; cum ergo hic duo adsint à vino abstinendum: de victu hic non loquar, cum sciamus debere illum esse optimi succi, & facilis coctionis.

De ouis aliqua insurgit difficultas, an ea scilicet conueniant in febribus cum aliqui ea febriculosa esse dicant, ac multi succi, indèque vel muliercularum vsus inualuit in dicendo ea febribus non conuenire, cum tamen *Auic.* dixerit ea esse paucissimæ substantię, ac tenuissimum victum subministrare: quoad calorem dixit *Galen.* 11. *de simpl. medicam. facult.* albumen oui refrigerare, & eiusdem qualitatis esse vitellum, quinimò alias dixit ouum esse plus symmetro frigidum; atque propterea in exquisitis Tertianis commendauit, dicens: *Sed & oua ad sorbendum sunt offerenda, precipuè autem vitelli eorum, nam hi facilius quam pars alba coquuntur:* verum ego crederem post alui lenitionem posse oua commendari, modo sint recentia, hancque prauitatem dedit ouis *Galen.* vt scilicet sint vetusta, quam subdit facillimè vitabis si vtaris recentibus: atque hæc sunt quæ dicere possum pro curando nobilissimo nostro languente, faxit autem Deus vt omnia secunda succedant.

PRO PERILLVSTRI IVuene Aquilana maligna febre laborante.

CONSVLTATIO LXXXVI.

NOn immeritò dixit *Hippoc. Si quis caussas corporis affecti probe cognouit, is maximè potens est ea afferre, quę corpori commodent:* vt propt. si in morbo curan-

do ac-

do accedamus, debeamus ab ægrotante exposcere quid doleat, & ex qua causa; quod mihi diuini *Hippocr.* discipulo præstitum cum nobili ægrotante, responsum fuit duas potissimum huic febri caussas dedisse, laborem scilicet vehementem, vnàque vigilias; hæ enim vt dicebat *Aretæus* cruditatem faciunt, laborem afferunt, corpus contristant, mentem labefactant atque propterea hi facile furere, & atra bile vexari consueuerunt; vnde *Duretus in Coacis* dixit quod sicut vigiliæ à bile fiunt, sic eædem bilem generant, & alias dixerat cibi, & potionis cruditatem faciunt; labor præterea vehemens vt ait *Gal. lib. de puero epilettico* habitus potest colliquare, vnde nedum membra calefacit, sed etiam excrementa ex eodem *Gal. lib. de cauf. morb.* per hæc verba: Vniuersa corpora plus æquo calescere solent, vel ex motu improbo, vel ex putredine, vel ex consortio alterius corporis feruidioris, vel ex adstrictione, vel ex alimento ad accendendum caliditatem accommodo; hoc enim eodem calore excrementa ad motum promptiora reddita, atque ad viscera commeantia obstructiones gignunt, meteorismos pariunt, atque febres producunt.

Sol enim, balneum, & exercitatio ad motum excitant excrementa alioqui quiescentia, quemadmodum & ex animi affectibus ira dicebat *Gal. 2. de symp. cauf.* qui quidem excrementorum motum Hippocraticam illam faciunt separationem: *Aegrotat enim* aiebat *Hippoc. lib. de Nat hum* quum horum quid minus aut amplius fuerit in corpore, & non per se steterit, necessum est enim non solum eum locum vnde secessit morbidum fieri, sed etiam eum in quo stat, & in quem propter nimiam copiam diffusum est dolore, ac morbo vexari; quæ quidem verba ad amussim nostræ nobilissimæ ægrotantis, & caussas, & producendi modum explanant, dum enim supponit excrementorum motum, & locum vnde secessit morbidum esse, arguit vt reor alterationem illius partis, quæ mittit, & dyscrasiam. sic etiam eum in quo stat morbidum fieri, arguit eum locum morbidum esse factum vel quia ab excrementis oppletum sicque obstructum, & meteorismo refertum, vel tensum sicque dolorosum; vt in nostro casu contingit cernimus enim hepar, & manifestè obstructum cum tumore, & dolorosum, manifesta quidem omnia hepatis feruefacti, & inflammati, quattuor enim ad faciendas inflammationes concurrere dixerat elegantissimus *Celsus*, tumorem nempè, ruborem, dolorem, atq; calorem; quæ omnia cum in nostra ægrotante reperiantur, non est absonum asseuerare in hepate phlegmonem systrophicum concepisse, è quo febris manauit acutissima nam vt innuebat *Gal. 2. de differ. febr.* Vbi constipata excrementa, & in particula inflammata putruerint, calor quidem præter naturam, qui ab inflammato membro in alia illi vicina, atque ab his in alias successione quadam extenditur donec ad cor aliquando ipse calor perueniat: quod clarius explanauit *lib de cauf. morb.* aiens. Nam si ob adstrictam cutim cohibeantur difflari ea quæ prius difflari consueuerant, siquidem fuliginosa fuerint, in specus cordis conuersa, eos exurunt, protinusque febrim accendunt: accenderunt autem in nostra languente duplicem Tertianam cum quotidie febris accedat, continua existat, quia in venis propè, & in ipso hepate quod sedes illucet morbi, & alterius diebus sibi correspondet: eaque à bile progignitur nedum ab ipso hepate feruidiori congesta, sed & aliundè, ob dolorem attracta, nam vt ait *Gal. 5. meth.* dolor maximè inflammationes adauget, & vt *lib. art. medic.* fluxiones omnes irritat; addito calore qui ex eo-

dem Galen. velut cucurbitula ab vniuerso corpore materias allicit, neque enim bilis in nostro casu esse potest sine melancholici vstique humoris sodalitio, bilis enim, seu sanguis biliosus è sui natura nequit obstructiones construere, ni terreo, vel viscido humori sit combinatus.

Quod facilè est agnoscere in nostro casu cum & vigiliæ præcesserint, idoneæ ad huiusmodi humorem congerendum, & feruidius sit redditum hepar, quod vrendo sibi, & viam præclusit, & aliundè vt dixi materias accersiuit, sic quoque maiori præstita vstione nil miror egestiones ærugineas appa ruisse, & quod deterius erat meracas, quæ putrefactionem indicant, sunt enim & aliis excrementis impermixtæ, & suo sero, & quod magis est fætorem maximum præ se ferunt, omen manifestum, & putredinis, & corruptionis vt benè censet *Laurentius Ioubertus*, & consequenter malignitatis; malignitas enim vt alijs placuit reponitur in illo excellenti putredinis gradu, vt *Thomæ Minadro* in putrediffe simpliciter facta, vt aliis in sordida, profunda, ac elaborata putredine, vt *Massariæ* in quodam gradu nobis occulto, vt mihi in omnimoda separatione, quam sanè cum in meis epistolis expresserim, non est vt nunc tempus conteram in eadem explananda, sat fuerit mihi dixisse pro tempore corruptionem dicere nouam formam, & terminum putredinis non amplius à Natura gratiam receptantis.

Quam quidem malignitatem non tamen adeò diram, vt omnimodam dicat corruptionem, & inemendabilem, sed magnam putredinem in nostra nobiliss. languente multa commonstrant, non enim habet febris maligna vt vult *Mercatus* pathognomonica signa, sed ex multorum symptomatum syndrome in notionem deuenimus cacohethiæ seu malignitatis: quamuis non ignorem characterismum febris malignæ à nonnullis statui exanthematum eruptiones, sicque *Mercatus* dixit in febre maligna nullum esse signum propriè, & peculiariter pathognomonicum (præterquam maculæ illæ rubescentes; sic Hippoc. 2. *epid. par.* 3. aiebat: [Fiebant autem in his febribus æstiuis circa septimam, octauam, & nonam diem asperitudines in cute miliaceæ, culicum morsibus magnitudine similes non valdè pruriginosæ;] sic 7 *epist. in hist. Fullonis* dixit; *Fullo in Syro Phraniticus cum moueretur cruribus tremulis corpus velut à culicibus compunctum*; vnde alias dixit 7. *epid. Euphranoris filio pustulæ veluti à culicum morsu.* sic 1. *epid. in hist. Sileni* dixit; *Papulæ cum sudore rubræ, rotundæ, paruæ, veluti nari*: Quicquid tamen sit vt ait *Iacot.* malignitas febrium ex superuenientibus dignoscitur, nam quando in febribus insolita apparent symptomata semper suspicandum est de cacohethia, seu prauitate, hæc sunt eius verba 4. *Coac. sect. 2. comment.* 1. [vt enim magnitudo morbi ex vehementia symptomatum agnoscitur, ita malignitas ex his quæ superueniunt, nec necessario morbo assident;] quamobrem si omnia perpendamus symptomata quibus affligitur nostra languens eadem malignitatem sapere manifestum est.

Quis enim malignitatem non arguet ex præcordii illius dextri dolore, quem meritò malignum indigitauit Hippoc. *in Coac.* aiens; Febres ex præcordiorum dolore incipientes malignæ; subdit *Iacot.* [Febres itaque ab harum partium inflammatione malignas esse vult, quia dubiam spem afferunt cum certo metu ob præstantiam partis affectæ, caussæ magnitudinem, symptomatum vehementiam, & materiæ corruptionem.

Adde quod vno viscere phlegmone obsesso vicina coaffici necesse est. In aliis febribus malignitas pendet à materia, hæc verò ab aere, peccato vitæ,

pecu-

peculiari corporis vitio, obstructione in qua diutius cohibita crassior eua dit,& venenatam putredinem concipit;] ideóque *Hippocr.* tam malum existimauit Iecinoris affectum vt dixerit multos ex his doloribus interijsse, inter quos annumerat Clazomenium, Theodori vxorem, Theodori filios, Menonem, Apollonium in Abderis, Silenum, Hermocratem, Phylistidem in Thaso,& denique. Adolescentem in mendacium foro decumbentem: quis prætera sudatiunculas illas malignas non iudicaret, cum dicente Sene loco supr.cit. qui insuper exsudant in febre maligné habent: nil enim vt arbitror modicum iudicat in morbis, quod ob id crederem dixisse *Duretum*: *Ex ephydrosi nulla crisis bona sperabilis, est autem ephydrosis capitis,& ceruicis*; irritatur enim natura à materia praua, & ichorosa, sicque naturam ad sui concitat expulsionem ob erethrismum, quæ & grauata nequit,& imbecillis haud potest nisi paucum excernere: ideóque haud criticum esse potest.

Quid dicemus de tepido illo calorem quem præ se ferunt partes, cum tamen viscera ex ardere significet, an non hoc symptoma manifestum est prauitatis inditium? sic certè, ob id dixit *Hippocrat. in aphor. In febre acuta externas partes perfrigerari, internas autem ardere,& sitim habere malum*: quod malignitatem etiam redolebat extremorum pariter frigiditas: extrema enim in vtramque partem citò transmutari malum, dixit *Hippoc. in Coac.* quod vidimus in Ermoptolemi vxore, Phylisco, Sileno, Phylini vxore, Erasino, Dromeadæ vxore, Eurianactis filia, Adolescente in mendacium foro, Muliere apud Pantimedem, Pythione in Taso, Caluo in Larissa. Apollonio in Abderis, Muliere in Cizico,& denique Menone: An fortassis inordinatæ illæ Lypothimiæ, & debiles pulsus prauam non arguebant materiam, quæ & cor petendo in deliquium adigebat,& illud grauando, ac opprimendo pulsum quoque reddebat imbecille; nam si *Aristoteli* credendum *lib. de somn.& vigil.* eædem Lypothimiæ nil aliud sunt quam sensuum debilitates; nec minus erat malignitatis omen lingua illa aspera, ac arida linguæ enim asperæ, ac resiccatæ phrænititicæ, quæ ideò maiorem malignitatem arguebat, quoniam sitim non exhibet.

In morbo enim acuto non sitire malum; plus enim tunc temporis affectus habet venenosæ qualitatis, quam putredinis; quod si capitis dolorem perpendere velimus omnibus his symptomatis consocialem malignum indigitabimus; cum dicente *Sene capitis dolor pertinax cum febre acuta, aut alio signo maligno lethale*: quid de ineffabili illa anorexia dicemus, quam in quadam constitutione pessimam esse declarauit *Hippoc.* aiens; *Illud unum superueniebat plurimis, quod autem pessimum fastidire cibos omnes.* Cæterum vt liberè fatear si ly malignum sumamus prout primo sumit *Galen.* quod scilicet illud dicatur malignum quod periculum affert, non tamen spem omnem salutis adimit; non est dubium quod morbus hic dicendus est malignus; cum & periculum inuehat, non tamen cum desperatione; verum si ly malignum sumatur vt est sumendum, ita ut sicut ait Galen. illud assimiletur hominibus fictis qui aliud habent in ore, aliud in corde, ita ut febris appareat mitis, & sit vehemens, pulsus sit optimus, vel mediocriter malus, calor non deprauetur, lingua non sitiat, verum aliquo symptomate prematur quod reliquis non correspondeat, in hoc dicerem latere malignitatem, quia materia clam operatur, nec suas operationes patefacit, nisi dum iam cor corporis arcem est depopulata, tunc enim temporis ex improuiso pulsus immutantur, vires eneruantur, ca-

lor commonſtratur,& tandem propè eſt exitium; & tunc ſignum eſt adeſſe venenatam materiam conceptam ex vi putredinis, ſeu ut ſatius dicam corruptionis, vel omnimodæ ſeparationis vt probaui in meis epiſtolis, quamuis ibidem cum *Sallio*, *&* *Saxonia* dixerim poſſe dari veneficam qualitatem abſque vlla putredine.

Quicquid tamen ſit quamuis febris maligna hoc vltimo modo explanata dici nequeat, tamen primo modo explicata dici poteſt, cum ægrotanti maximum inferat periculum, non ſine ſpe tamen, nec ſine materię putredine, quæ etiam malignitatem facit, ſed non illam ineuincibilem; vnde vt libere fatear, quoniam languentis, vires ſunt languidæ vel periculum, vel longitudinem promiſerim, eoque magis cum ab initio Dyarrhæa fuerit infeſtata, quæ quam mala exiſtat explanauit *Duretus in Coac.* aiens certiſſimam eſſe ſecuritatem peſſimam eſſe febrem natam ex aluo liquida intempeſtiuè cohibita: *Quicquid enim* (alias aiebat) *humorem cit, neque diſſipat, nec exhaurit, oppreſſionem infert maiorem, & vero praſtat naturam quieſcere, quam aliquid fruſtra moliri, nam inde ſunt acriſia, diſcriſia, dolor, atque mors ipſa*; vt propt. crederem *Hippoc. in epid.* dixiſſe [Decretoria ne ſtatim appareant, etenim eorum, qui ſtatim morituri ſunt cæleres fiunt iudicationes, quæ verò in melius vadunt, non ſtatim apparent, Iudicatoria non iudicantia aut lethalia, aut difficilis iudicij;] indeque *Gal.* cenſuit *lib. de criſ.* morbum qui tam ſubitò criſim habet omninò eſſe peracutum; *quando enim* dixerat *in aphor. aliquis incipit morbus ſi quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, ſed omnia ſunt caſus earum quæ præternaturam ſunt in corpore diſpoſitionum, quo enim in tempore natura grauatur, aliquid vtiliter excerni eſt impoſſibile ſiquidem oportet præire coctionem, ſubſequi ſeparationem, & deinde fieri iudicium ut bona ſit criſis*; ſic alias dixerat, *Quicquid excernitur in morbo acuto ſymptomatis habet rationem*, quod tamen ego non admitto, ſiquidem quocunque tempore fiant excretiones ſi cum conferentia, & tolerantia fiant ſemper ad bonum apparent, & quamuis mulier quæ erat apud Pantimedem, Mulier oceçtæ vxor, Mulier quæ decumbebat in foro mendaciorum, & Silenus mortui fuerint ex euacuationibus habitis ab initio, ideò mortui fuere, quia ſcilicet erant irritę euacuationes ſed factæ ſine conferentia, & tolerantia.

Cæterum de hoc cum multa dixerim in meo libello de pepaſmo, non eſt vt nunc repetere ſtudeam, proindè cum in noſtra languente nullam conferentiam attulerit Diarrhæa non ſine periculo eandem eſſe cenſerem, cæterum quia vires adſunt, & eſt Iuuenis ſperarim potius longitudinem, eòque magis quoniam ſumus prope decimumquartum acutorum terminum, & tamen vſque adhuc eandem deterius non habere videmus.

Quicquid tamen ſit cum morbus ſit anceps proſequenda vlterius curatione datis morbo tam fero inducijs ſuccumbat languens; & quia vſque adhuc impurgata remanſit, vt factum fuit ex arte ob Dyarrhęam non leuem ab initio, & ſymptomaticam, nam ſoluere ventrem ſupra ventrem timoroſum; aliter enim malè fuiſſe præſtitum eandem ab initio non purgare, cum in his morbis prima die purgandum veniat, & maximè in hoc morbo dum fluxio ad hepar appellebat phlegmonem præſtitura, vnde requirebatur ἀντισπασις, ſeu reuulſio, antequam concularetur, eòque magis quia materiæ quæ in malignis exiſtunt ſunt inuincibiles, nec amplius naturæ gratiam recipiunt, præterquam quod hæ etiam perreptabant ad partem principem qualis eſt

hepar

Hepar in quo casu purgandum venit; nam vbi materia vel est venefica, vel ad partem permeat principem semper purgandum, ideòque *Capiuacc.* dixit plus posse materiam vrgentem indicare purgationem qualis est quæ vadit ad partem principem, vel est venefica, quam posse materiam crudam ad prohibendum; *Æneas Caprilius* dixit cruditatem se habere vt conditionem sine qua non, ideòque plus posse materiam vrgentem ad indicandam purgationem qualis est venenata, & quæ fertur ad locum determinatum ac principem, quam posse conditionem illam sine qua non; *Eustachius Rudius* vt est apud *Senn. lib. 3. pract. cap. 22.* dixit tunc esse purgandam materiam crudam ab initio si ruat in partem principem, si morbus sit anceps, & grauis, si materia sit venenata, si præter continentem morbi caussam materia contineatur in ventriculo, vel primis vijs; *Octauianus Roboretus lib. de feb. petic cap. 16.* dixit præter turgentem materiam esse euacuandam primo cum materia vel in parte principali fixa est, vel cum parte quæ consensum habeat cum præcipua, secundo ad præcauendum aliquem morbum futurum ex fluxione, tertio in nimia materiæ vbertate, ita vt præ copia natura coquere nequeat, quarto cum materia est maligna. *Saxonia* plures addit casus in quibus purgandum est ab initio, nimirum cum humores sunt multi, & insigni copia, sunt tenues, sunt calidi & acres, & ichorosi, si materia habeat impetum ad aliquem locum nobilem, & tandem si humores fuerint praui; *Mercurialis* quamuis dixerit cocta materia esse purgãdum, nimirum in declinatione, aliquando tamen ab initio purgandum esse perhibet in coacta tamen curatione, perfectè quidem in turgente materia, seu pestilenti; imperfectè verò in initio febrium acutorum, vbi metus est ne materia turgeat, præcipuè in regionibus, & temporibus calidis, & in plenitudine corporis, quando venæ sectionem adhibere prohibemur ad imminuendam per accidens plenitudinem; *Donatus ab Altomari* vult esse in principijs morborum purgandum vbi materia copiosior est, vbi eadem est praua, vbi in partem principem irruit, cæterum si rectum, ac perfectum iudicium in morbo aliquo acuto expectetur, viresque morbo præualere Medicus videat, absque vllo eius auxilio, præterquam conueniente victus ratione instituta abstinendum à medicamento purgante in eorum morborum initijs censet.

Et proinde tantum in ijs morbis initio purgandum, qui quidem periculo non vacant, non sunt tamen ex toto genere perniciosi, vbi nimirum spes est si medicamento purgante succurratur ægrum conualiturum: Itaque bene ait Senner. quod hæ omnes sententiæ in hoc concordant, quod vel initio si necessitas id requirat sit purgandum, vel (in quo etiam plerique consentiũt) coctio expectanda, & in fine status, si à natura nullam excretionem institui videamus, aut in declinatione, si natura nihil per crisim euacuarit, vel imperfectè euacuarit: *Iodocus tamen Lommius*, ait in incrementi fine, aut statu purgandum, nam cum natura excretiones non ante instituat, quam coctio, & sequestratio humoris sit absoluta, id vero tempus quo absoluta coctione fit excretio status ægritudinis appelletur, inde est vt Medicus naturæ imitator in statu purgare debeat, nisi aliud quid incidat, quod securitatis causa hanc purgandi regulam mutare cogat; id quod in febribus continuis contingit, per quarum statum impetus symptomatum purgandi locum tollat, in febribus verò intermittentibus; quæ vigorem iam perfectè attigerunt tuto licere statuit, quo die intermissio est concoctum humorem medicamento

ro tollere, natura iam tum nullis impedita symptomatibus, In continuatũ vero statu, quia vigiliæ, deliria, ardores, sitis, inquietudines faciunt, quo minus liceat his ærumnis oppressam naturam medicationum irritamentis lacessere, fugiendum esse istud tempus docet, atque purgationem intermittendam, & in ipsius incrementi prouectiore parte medicamentum dandum esse; tum enim plurima parte materia iam maturuit, neque symptomata impediunt, quæ non dum sunt maxima vtitur tamen mitibus medicamentis quæ vt reor non indigent coctione sed solum præparatione, & omni tempore dari posse scribit *Eustachius Rudius*, has omnes opiniones refert *Senertus*, quas hic annumerare volui, vt in re tam necessaria perpendatur quid sit agendum; *Vallesius* tamen quem præ reliquis veneror, ac colo dixit in tribus casibus esse purgandum ab initio, cum scilicet vel turgens est materia, vel vrgens, vel non est concoctilis: ego adderem cum materia est in motu, sed ob naturæ impotentiam talis motus non perficitur, indeque dixit *Mercatus: quo fit vt Natura sæpe varias incipiat euacuationes, & ab inceptis mox subsistat, & impotens auxilium exposcat, ac monstret, quibus adhuc non mouentur inexsorabiles Medici sed tantum vt symptomaticas damnant, futurum periculum predicentes, precauentes autem minime*; subditque alias: *sed quorsum obsecro naturam cogere oportet ad coctionem ipsa renuente, & non iuuare ad euacuationem vbi ipsa irritata turget? ego quidem indubitanter existimo defatigari magis, ac exsolui quo tempore cogitur ad coctionem inuita, quam vbi ad euacuationem est propensa isti opem ferre cruda etiam existente materia*: *natura* enim ait *Gal. tunc expellere aduersarium conatur, cum autem pre imbecillitate imponere operi finem non possit, auxilium nostrum implorat*: & alias dixerat, naturam indigere aliquo manum porrigente, cæterum quoniam de hoc satis dixi in meo lib de pepasmo propterea omnia missa facio. Tenues item humores à principio euacuandi, nam cum ii sint etiam mobiles, non est vt coctionem expectemus Tenues igitur Gal. euacuare oportet, qui sunt in motu, latione, & fluxu, qui vero sunt in aliqua parte firmati, nec medicamento, neque vlla alia re mouere oportet; Præterea materia quæ ruit ad partem principem etiam euacuanda antequam tamen firmetur, nam vbi est firmata frustrà id tentamus, & hanc materiam dixit Hip. crudam esse, cum nequeat vel à quocunque medicamento diuelli, & eradicare sic cernimus *Galenum* cruda etiam existente materia purgasse quod commendasse vidimus in *historia Simonis in epid.* in quo latæ pustulæ efflorescebat, quod fecit etiam 5. *meth. cap.* 12. sequutus est hanc sententiã *Auic.* qui *lib. p. fen.* 4 *tract.* 4. *cap* 4 inquit: *Summa curationis huius febris est exsiccatio, & illa fiat cum purgatione, à qua incipere debemus*; quam quoque sententiam amplexati sunt *Auern.* 2. *collect.* 32. *Manardus* 5. *epistol.* 3. & *Trincauellius in lib. de febre pestilent.* quod sit quis dixerit materiam ab initio non esse euacuandam, quippè haud est separata, sed sanguini commixta, huic difficultati. Respondet *Sennertus lib.* 2. *de febr. cap.* 6. aiendo *Materia quæ febri dat originem initio sæpe exigua est, fermenti tamen instar in continuis, reliquosque humores corrumpendi & putrefaciendi vim habet, in initio tamen sanguini nondum ità exactè permixta est, sed temporis progressu, & quo maior sit humorum ebullitio, & efferuescentia magis sanguini permiscetur, ideoque si in prinsipio nature valde molesta sit, eamque stimulet, solet à natura moueri, & si non è corpore, quod fit in euacuationibus symptomaticis possit planè exturbari, tamen è visceribus ad partes exteriores, & ignobiliores protrudi solet: (id quod in erysipelate, & febribus quas comitatas dicunt fieri videmus) & vt nature mole-*

sta

sta hinc inde agitari solet, itaque talis materia, quia non solum morbi'is est, sed & actu iam mouetur, & vagabunda hinc, inde errat, idque Natura eam expellere volentis conatu, neque sanguini dum adeo exacte permixta sit non difficulter in principio morbi, si imminens periculum id vrgeat, expurgari potest: ego autem assererem id fieri posse, quia materia in principio morbi vel separatur extra venas & ad partem principem abit, & sic purgatur; vel materia illam putredinem vel calorem non concepit qui ebullientem reddat totam massam sanguineam, vnde permiscet omnia, atque confundit, itá vt nec excrementum nec alimentum, sed omnia confusa appareant, vt cernimus in vrinis subiugalibus, tunc enim confusione existente in humore, sanguinis missione, aut purgatione nullum auxilium naturæ ferimus, in musto enim dum bullit, quis excrementitiam partem vini, & fęcem poterit à bono vino seiungere, & ideò vbi putredo incipit, & calor ab initio quando non supponitur ità confusa cum massa vt nequeat à medicamento separari, poterit dari aliquod leniens, præter quam quod eadem natura ab expellente pharmaco irritata insurget ad expulsionem materię excrementitiæ quæ parat labem reliquæ parti massæ sanguineæ.

Quicquid tamen sit quoniam natura in nobilissima nostra languente Dyarrhæam adhuc mouet, eaque cum conferentia, & tolerantia apparet, ideo naturæ totum negotium committerem, *qua enim* aiebat *Fernel. perfectura est Natura ne tangito, inchoata verò, nec ab ea perficienda completo*: quod si progrediente tempore morbus adhuc vigeat, & alui fluxus desierit, tunc oportebit, ad id quod defecit natura supplere; quamuis non ignorem non semper in malignis febribus esse purgandũ, nam quãdo maligna febris pendet ab aura venenata simpliciter, vel ab aere infecto, tunc frustra vel purgans adhibemus, vel sanguinis missionem, nam tunc prauitati, & veneficæ qualitati est incumbendum, quæ non alio eget, quam alexipharmacis; non enim moles est quæ peccat, sed qualitas, venenum enim haustum si purgatione exturbes, vel sanguinis missione intra venas immittes; sicque maius perages malum.

De sanguinis missione non loquor cum eadem sit præstita ab initio, & benè, nam quamuis aluo fluente sanguis non sit detrahendus ex *Hipp. & Gal.* tamen vbi ad sunt vires, materia est mordax, & fit ab inflammatione viscerum vna cum febre tuto sanguinem mittimus; ab hyrudinibus apponendis venis sedis abstinerem, nam cum adsit fluxus non est facienda illinc euacuatio, quod si fluxus dematur, & sanguinis redundantiæ ad fuerint; tunc sane è Saluatella mitti poterit sanguis, sed in pauca quantitate; *nam vt* ait *Gal. si sanguis venenosam semel corruptelam susceperit, quo plus deinceps extrahitur, eo grauior redditur affectio tum sanguine misso, tum sordidiori omnium reddita putredine*; sic quoque ad reuellendam materiam quæ ad caput appellit cucurbitulas deorsum affixas vsque ad suras affigere non erit malum, habent enim surę vt vult *Duretus* maximam cum partibus præcipuis synthimoriam, adeo vt *Gal.* quoque in Asiæ pestilentia id in semet ipso probarit; in partibus superioribus non affigerem ne trahatur materia in cor, quamuis non ignorem id à multis irrideri, cum enim cucurbitula sit medicamentum metasyncriticum, & trahat à centro ad circumferentiam fit vt retrahatur à corde, non autem ad ipsum trahatur; quas ratione *Theodosius* ad retrahendum venenum à corde applicat ipsi cordi arsenicum, alij alia apponunt

nunt venenata, quæ mihi non arrident, nam simile à simili nonunquam intenditur, & pro tollendo veneno venenum additur; quare his omissis bezaartica prosequerer, nam vt aiebat elegantissimus *Celsus*: *Pertinacia iuuantis malum corporis vincit*; eaque ab initio semper adhiberem, ideoque *Mercatus* quosdam improbat Medicos, qui vel donec corpus fuerit purgatum ad alexiteria non confugiunt, hæc autem sunt eius verba cap. de febre maligna: *Ob id displicuit semper quorundam Medicorum negligentia; qui vel donec maculę appareant, vel saltem transactis primis diebus alexipharmaca adhibere negligunt non sine magno laborantium incommodo, nam quò citius venefica vis infringitur, eo securius reliqua adhibentur medicamenta*; quamuis id improbetur à doctiss. alioqui *Septallio lib. 5. animaduers.* multis rationibus quæ videri possunt, & facilè reijci.

Darem ergo conseruam acr. citri vnc. 1. lapid bezaart. grani 7. pulu. scordij scrupuli 5. margar. præparat. gran. 4. misc. cap. sic quoque fieri poterit conditum cum syrupp. acr. citri q. u. confect. Hyacinthi drach. 1. s. lapid. bezaart. grani 10. margar. grani v. 1. fol. auri puriss. num. 2. cap. manè, & vesperi coclear vnum ante cibum; sic quoque pro viribus sustinendis deuenirem ad stillatitios liquores, ego soleo sumere iuris alterati cum scorzonera, acetosa, rutha caprin. radic. tormentillæ, borragin. lupulis, melissa, & similibus lib. 1. s. addo conseru. acr. citri, rosſ. florum borragin. an. vnc. 2. sp. trium sandal. Diamarg. frig. an. drach. 1. radic. scorzoneræ condit. vnc. 2. confect. Hyacinthi drach. 2. pulpæ cap. num. 1. vt f. stillatitium; sic quoque fieri poterunt consumpta, in quibus nonnulli, aurum extinguunt, vel aureas monetas ad bulliendum apponunt, sed frustrà nam vt bene adnotat *Septall.* nil aliud ex his absumitur quam manuum sudor adhærens.

Solet fieri difficultas à *Claudino* an in malignis febribus conueniant confectiones magnæ vt sunt mitridathum, & theriaca, & resoluit malignis febribus, quæ ab aura venenata pendent conuenire, quia debellant prauam qualitatem, at ijs quæ pendent ex putredine non posse conuenire, quia febrilem ardorem adaugent, ideòque ab ijs abstinerem.

Neque interim extrinseca omitterem remedia, ideoque pro tollendis illis lypothimijs epythemata præscriberem sed non admodum odorata, ne vterum qui ex *Hippocrat.* est omnium morborum muliebrium caussa ad partes supernas magis alliciamus, sic quoque inunctiones sunt adhibendæ ex ol. de cort. citri, vel vngu. cordiali; frictiones, & alia poterimus iniungere, si materia ad partes præcipuas irruat, inter quæ vessicantia, primum locum obtinent, & ego fateri possum innumeros in quadam constitutione maligna hic Aquilæ existente liberasse solo vsu vessicantium tempestiuè tamen adhibitorum; quo ad victus rationem nil dicere decreui, cum a doctiss. viro optimò fuerit iniuncta. atque hæc sint satis pro debellando (si tamen fieri possit) affectu adeo diro, &cet.

(∴)

Con.

Consultationes variæ.

PRO DOMINA OLYMPIA Pancia multis affectibus laborante.

CONSVLTATIO LXXXVII.

NOn incassum (mi Tornesi) inter reliqua quæ ambigis circa tot affectus quibus premitur nostra languens, illud vnum tibi ponit offensaculum, quomodo scilicet contingere possit vt vtero stante intemperato vera sit grauidatio, & prægnans realiter fieri potuerit; eaque intemperies frigida existat, quæ innumeris symptomatis eandem reddit obnoxiam; menses enim eidem inordinatè profluunt, vterusque humida quædam recrementa non rarò proijcit.

Cæterum non id mihi admodum negotium facessit, tametsi enim frigida dyscrasia vterus referatur, non proindè talis, ac tanta est, vt conceptum potuerit impedire, sicut nec admiror mulierem grauidam posse hystericas pati affectiones, hocque voluit doctiss. *Bottonus lib. 2. c. 41.* dum dixit non quamcumque intemperiem, & potissimum remissam vterum reddere infecundum, quod expressit *Hip.* aiendo: *Si non calidum, ac frigidum, siccum, & humidum moderatè, ac æqualiter inter se haberent, sed vnum alterum multum præcederet, & validius validiori præstaret, non posset fieri generatio*; ideoque potuit contingere in nostro ægrotante vt intemperie non admodum valida ingemuerit, ac proinde grauida fieri potuerit, eoque magis nam aliquando accidere potest a viro in vterum frigidiorem genituram eiaculari, quæ & calidior sit, adeo vt etiam ab intemperie temperetur ac propterea ob dissimilem virilis spermatis crasim fæcunditas emergat; quod quidem dixisse *Gal.* memini 5. *aphoris.* 63. dum dixit: *Intemperati verò nunquam generant, nisi contraria intemperie præditis iungantur, vtpotè calidi frigidis, humidi siccis, & sic de singulis*, quod quidem Vatirili *Lucretio* nempè ansam dicendi dedit.

Vsque adeò id magni refert vt semina possint
Seminibus commisceri generaliter apta
Crassaque conueniant liquidis & liquida crassis.

Quod si fortè ex dictis non videatur omnis placata charybdis eo quia *Hippocrat. 5. aphorism. 62.* dixerit; *Quæcunque frigidos, & spissos vteros habent non concipiunt* respondet *Mercatus tomo 3.* Hippocrat. loquutum esse de ea frigiditate quę talis ac tanta sit vt spissum reddat vterum, seu in proprio parenchymate, siue ob humorum frigidorum crassorumque affluxum, ni velimus cum *Martiano* asserere huiusmodi intemperies non simpliciter esse desumendas, verum totius corporis habito respectu; vnde non implicat intemperato vtero existente posse concipi, sicut nec implicat grauidas posse histericas affectiones pati, hanc enim dubitationem *Hippocr. lib. 1. de morb. mul.* deleuit aiens suffocationem ab vtero in vtero gerentibus adesse aut inediæ gratia, aut laboris aut demum ob pituitam, hæc autem sunt eius verba.

Quod si in prægnantem repente suffocatio cadat (id verò accidit potissimum,

ſimum, quando ſe ſe conficit mulier labore, inediaque per exercitationem immoderatam, æſtuanteque vtero, & detracto embrioni alimento, imminutoue, cumque etiam inanis vterus plus æquo redditur cauo interiori) erigit ſe tunc fætus, & aſpirat ad hepar, & ad hypocondria, hæc quippe cum ſcateant humore, eodemque modo fortem inducent mulieri ſuffocationem. Quibus verbis motus Mercatus ſubdit apud vulgum illud indubitatum haberi vtero ſcilicet gerentes ab hyſtericis affectibus eſſe immunes, illudque ipſe vt vanum profert, nam vel in octauo menſe poſſunt mulieres hyſtericis affectibus diuexari: quamobrem nulli dubium eſt mulierem hanc noſtram potuiſſe fieri grauidam, & eſſe vteri affectibus laceſſitam; vnde his omiſſis ad ſymptomata inueſtiganda omiſſis ambagibus deueniendum.

Et primo quis ambigit à capite omne malum noſtræ languenti fieri, cum enim pituitam aggeneret, in eodemque colligatur ob frigidam dyſcraſiam expultricem irritando fluxionem promouet, nam vt ait H*ippocra.lib.de Inſomnijs: Repletione aliqua intus facta ſecretio quędam contingit quæ animã perturbauit*; quæ quidem in noſtra languente fluxio eſt, id enim quod influit dixit *Hippoc.* foras dimittens (cerebrum ſcilicet,) & aliud ſuſcipiens ac ſemper in conſimili ſtatu conſiſtens, & humores trahit, & morbos facit, vnde non immeritò primò ſpatularum, bracchiorum corporiſque dolorem generauit, cerebrum enim in iſtas partes fluxionem ablegauit, quod volens explanare *Hipp. lib.de gland.tex.*7.dixit: *Maius enim eſt cerebrum, & in amplo ſpatio in capite ſitum eſt facit autem morbos, & maiores, & minores quam aliæ glandulæ, facit autem cum in infernas corporis partes redundantiam, ac ſuperfluitatem ſuam ablegarit*; nec miror fuiſſe diminutum motum non diminuto ſenſu, non eſt enim ſenſus illius actionis vt vult *Valleſ.5.controuerſ.cap.*10.vt motus, proindè non tanta indiget temperie, aut diſpoſitione in inſtrumento ſicut motus, motum enim melius cum quadam ſiccitate celebrari idem auctor cenſuit, ſicuti ſenſum cum quodam humore, qui quidem ſuperfluus humor neruos opplendo, ac inſimul ſpiritibus animalibus tranſitum præpediendo fuit in cauſſa vt temporis tractu motus pariter impediretur; qui quidem humor non alius eſſe potuit, quam pituitoſus, & frigidus, actiones enim diminuuntur à frigido, deprauantur à calido.

Quę quidem pituita à capite producitur intemperato, vnaque læſo in alterando, & in alendo, ac potiſſimum ſecundum frigiditatem, & humiditatem; quam quidem intemperiem quamuis idiopaticam in capite admittam, non ob id explodam ſympaticam à Iecore, & ventriculo inæquali intemperie laceſſitis, cum Iecur feruidius exiſtat, exiſtat frigidior ventriculus; ob cuius intemperiem frigidam ructus innaſcuntur illi qui ſcribuntur ob πεπσιμ diminutam vt volebat *Trall.lib.*12.*cap.* 1. è qua etiam flatus inſurgentes ventriculi dolorem producunt cardialgicum, cum & ſyncopem etiam conuocent, quamuis has potius ex vtero pronaſci dixerim; dolor enim vt vult *Hippocrat lib de loc.in homil.tex.*51. *Et propter frigiditatem fit, & propter caliditatem*, quare cum ventriculus vt dixi multis ſcateat frigidis humoribus vnà cum flatuum ſodalitio nil mirum dolorem pronaſci, eo potiſſimum quo ventriculi temperiem huiuſmodi humores abſtulerunt; indèque aiebat *Hippocrat. loco cit. In ſingulis enim quorum naturæ permutatur, ac corrumpitur dolores fiunt*; E qua incoctione maciem etiam conſurgere crediderim, vitium enim quod in

prima coctione committitur, vix amplius resarcitur, vnde cum sanguis fœdetur, inde est alimentum partibus non suppeditari proportionatum, quam quidem ob id maciem non ab vlcere in pulmone tabifico originem ducere censerem, cum nec pus, nec sanguis vnquam sint visa; quod si tussis adfuerit quod non scribitur aliquam cum *Salio* dicerem potuisse in pulmonibus contractam esse flacciditatem, de qua nec minus sum tutus, ni melius morbi pathemata mihi fiant cognita.

Quicquid tamen sit ne id quod non est fiat, quam primum curatio adeunda, quam absoluere non ita facile esse censerem, primò quia vtero gerit vt credi potest, secundò quia partes præcipuas læsas habet vt caput, ventriculum, & Iecur, tertiò quia morbus est in neruis, quorum affectus est difficulter solubilis.

Cæterum quoniam iuuentuti omnia gratiosa, proindè potius sperandum cum spe tamen ambigua, par enim esse videtur symptomatum sæuities cum iuuentutis obsidente robore, ideoque cum fluxionem statuerimus esse morborum horum principium, propterea ad eam debellandam est accedendum, deinde ad id quod influxit tum in neruos, tum in ventriculum, illam auertendo, exsiccando, partem roborando, & intercipiendo; hoc euacuando ventriculum roborando, flatus discutiendo, & tandem materiam in neruis impactam resoluendo, vnaque eosdem roborando ne recipiant.

Quoad fluxionem cum euacuationes præstitas esse scribatur, deueniendum est ad illam exsiccandam, ideoque laudarem chinæ radicem, cum ligno visci quercini, & sandalis in iure ebullitam, addendo iuam arteticam in fine ebullit. betton. borrag. cortices citri, fænic. & anis. aluum autem clysteribus lubricam, hanc tamen nunc adhiberem, quia quamuis sit grauida quinque mensium nullum indè detrimentum accedere poterit, sic ceratum illud quod in capite gestat optimum credo, siquidem habet virtutem intercipiendi, non tamen illud Montagnanæ laudarem, quoniam cum sit odoratum vtero potest esse detrimentum.

Quod tamen maximè probo est inustio in occipite celebrata cum enim ab eadem parte euacuet, facilius pathema deturbabit, quod si Iecoris ratione aliam in crure gestabit, non erit absonum; interim ad materiam influxam in ventriculum deuenirem, quæ non aliter demi potest quam leui aliqua euacuatione, facta tamen prius præparatione, cum melle rosf. simpl. & oxymel. simpl. medicamentum autem posset esse mel rosf. sol. cum portione agar. trochis. in cure dissol. *neque enim interest* aiebat *Celsus quæ ætas sit, aut quid intus in corpore geratur sed quę vires sint:* vnde in nostro casu poterit liberè exhiberi.

Posset quoque vomitus comprobari, vt facit *Valles. in histor. Himenæ sororis,* verum quoniam illa concussione possunt laxari ligamenta, ac fieri abortus, propt. ab illo potius abstinendum; interim ad ventriculum roborandum, & caput possunt esse ex vsu confectiones magnæ quales sunt mitridathum, & theriaca, ego tamen maximè proficuas esse censerem tabulas ex spec. arom. ros. Diarhod. Abb. plyris Arcot. conf. rot. vet. & spec. Diacumini; sic deforis ventriculo fieri possent inunctiones ex ol. de absynth. de mentha, de spica, & similia, quemadmodum fotus cum vino, & aq. stillicidia, & inter reliqua ceratum ex tachamacha, quoad partem resolutam posset adhiberi ol. vulpi-

num, costinum, lumbric.de nuce myrist.de euphor.de castor.& similia, sic quoque ardens, vel vnguentum à Zacuto, & *Valleriola* propositum, quod videri poterit apud illos, De sanguinis missione, sicut, & de vectus ratione non loquor, quoniam hanc scio à te doctissimo viro optimè institui illam scil: conuenire apud omnes constat. ideoque hæc sat esse dicere mihi visa sunt, &cet.

PRO PERILLVSTRI DOmina Francisca de Aliferis hepatis calida intemperie, ac insimul venæ cauæ, et arteriæ aortæ feruida dyscrasia lacessita.

CONSVLTATIO LXXXVIII.

COnsultationem de illis esse celebrandam, quæ vt plurimum quidem fiunt, incerta tamen sunt quomodo contingant, in quibus indeterminatio existit explanauit *Phylosophus*, proindèque, vir doctissime, facilè in tuam descendo sententiam dum disceptare concupiscis circa morbum nostræ languentis, ita enim ægrotantis saluti magis prospicitur; sicut enim Apelles Veneris statuam pulcherrimam facit, quod pulchrum in multis mulieribus vidit in vnius figuram referens, sic ex multis à doctis Medicis prolatis vna restituitur ægrotanti salus.

Quod eo libentius amplector, quo *Hippocrat.* extitit norma *lib. de precept. tex.* 7. sic enim ex communi consideratione res circa ægrum inquiruntur, ac cognoscuntur; facillimè etiam dixit *Gal. Quicquid quæritur ratiocinatio inuenit, eius verò fidem experientia comprobat*, & vt meam promulgem (omissis ambagibus) sententiam, dicam multos esse ne dicam innumeros viduatum affectus, vno tamen præ reliquis cruciari manifestissimum est, illudque est præternaturalis quædam pulsatio circa hypocondria, & è regione dorsi, vbi Arteria quæ secundum ipsum disseminatur motum tangentibus configurat; cuius quidem affectus solus *Aretæus* meminisse visus est, qui *lib. 2. de caus. & signis acut.* huiusmodi pathema in ramum venę cauæ maioris refert, quique cor etiam per sinistram eius partem ingreditur, ac dum humorum vbertate exsuberat extemplo si incalescat arteriæ iuxta dorsum moranti affectum communicat, vnde motum in præcordijs, & è regione dorsi conspicuum nobis facit, sicut in nostra languente contemplamur, tam diro enim, tamque vehementi ardore dextrum hypocondrium exuritur, vna cum reliquis partibus finitimis, vtputa ventriculo, venis myseraicis, liene, & alijs vt sæpe sit coacta propria attollere integumenta, calorem euentilandi gratia, manifestum sanè omen affectus hypocondriaci, velut melius dicam melancholię hypocondriacæ, cum ploret nemine molestante, ac timeat non timenda, quod & ab ichoroso sanguine, & ab vsto humore contingit, ab hoc enim funesti, tetrique vapores ad cerebrum delati illud variis offundunt phantasmatibus, vnde & terriculamenta promanāt, quod expressit *Hippocra lib. de virg. morb.* aiendo: *Præ sanguinis autem malitia animus mœrens, ac anxius malum attrahit; Sanguis enim*

enim dixerat alias maximè ad prudentiam confert; præ multitudine enim ad cor resilit, & ad septum transuersum, ac illud metfatuum reddit; ad hepar autem appellendo quia vstus, & crassus nedum hepar, & reliquas partes hypocondriacas obstruere potest, sicque calorem producere, cum calor coercitus maior fiat, vt conclamauit *Phylosophus in problem.* atque inde etiam insurgit pulsatio, vt *Gal.* mens fuit.

Ex quibus patet quam rebellis huiusmodi existat affectio, cum & humores crassos ad sui generationem obtineat, & obstructiones viscerum, & eorundem validissimas dyscrasias; à quibus patet chronicos morbos fieri; quomodocunque tamen sit, eorum omnium symptomatum subuersio tentanda; quod multipli medio exsequenda, euacuandi prius materias genitas, & vagantes, secundò aperiendi, & refrigerandi; quare ante omnia ad aliquod leniens deuenirem vt syr. D. Aug. & rosʃ. sol. ad vnc. 2. pro singulis cum suo decocto cord. deinde præmissis apozem. ex syr. de f. borrag. lupul. de pomis ad purgans aliquod medicamentum deuenire poterimus, quale esse poterit sequens: ℞. syr. de polipod. rosʃ. sol. an. vnc. 1. f. el. Alex. Diacatthol. an. drach. 5. rhab. el. inf. & expr. in aq. cichor. agar. inf. & expr. in eadem aqua an. drach. 1. dec. cord. q. s. mis. f. potus cap. vt dictum est: Neque interim dum hæc fiunt inutile erit sanguinem mittere, tum ex bracchio, tum per hyrudines, nam quamuis sit gracilis habitus, habet venas amplas, & plenas; graciles enim ex *Gal.* & *Arist.* plus habent sanguinis, quam obesi.

Hac præstita purgatione ad aperientia deuenirem, nimirum ad iura aliqua herbis alterata capill. scil. Veneris, melissa, cichor. cum rad. graminee, borrag. buglossa, cetrach, rad. fænic. asparag. quatuor sem. commun. maior. & similibus, quod si hæc in iure Galli veteris ebullierint, satius erit; sicut in eodem iure chalibem ignitum extinguere optimum erit.

Ad refrigeranda viscera duo potissimum commendem remedia, balneum scilicet aquæ dulcis, & serum medicatum tum sena, tum epithimo, tum denique cinnamomo; quod autem dicitur de china, mihi non satis arridet, cum intemperiē satis feruidam habeamus vrentem, humorum nimia humiditas non videatur, quæ exsiccationem requirat.

Neque ob id omittenda extrinseca remedia, ac propterea ad edomandum ardorem, & frænandam flammam vterer vngu. refrigerantibus, & oleis, vt rosʃ. vng. sandalino, refrigerante Galeni, & similibus, sicut non raro epythemata refrigerantia adhiberem maximè præstitis euacuationibus. Quoad victum res, & cibos refrigerantes commendarem, ideò carnem veruecis cum probarem, gallinarum, auium, sic etiam fercula ex oleribus vt borragine, endiuia, beta, ex pane contrito, & iuribus maximè erunt proficua; oua itidem recentia, & similia. Vinum non prohiberem cum nec febre laboret, ac ventriculum debiliorem obtineat, oligophoron tamen, & bene limphatum. Hæc ergo potui currenti calamo scribere, tuæ sunt partes, vir doctissime, vt quid sit agendum benigne dijudices.

Vale.

(.·.)
.·[.]·§.·§·.[.]·.

PRO

PRO QVADAM IVVENE *Pratulana Gonorrhæa, mensiumque inordinato fluxu laborante.*

CONSVLTATIO LXXXIX.

NOn immeritò gallica lues Proteo fuit comparata, dum illius instar varias sumit figuras, variosque morbos producit; quinimò omnigenos affectus videtur insimul aggregare; in nostra autem languente præ alijs vnam genuit Gonorrhæam ab eius viro communicatam, ad quam succedaneus fuit diminutus mensium fluxus; illaque non aliter est orta vt credo, quippe in Veneris actu vniuersi corporis, partiumque pudendarum meatus vndiq; adaperiuntur, & hiant, vaporque ab inquinato viro sublatus in mulieris pudendum, vasa spermatica, & membra generando semini continendoque destinata, inque vterum ipsum se se erigit, prædictarumque partium tonum subuertit, ac naturalem habitum peruertit, vnaque labefactat, eas humidas, laxasque reddendo, dum illas suæ malignitatis labe inficit hac mucagine prostratas, sicque fædato vtero, ac sorditierum illuuie turpato eius oscula, ac insimul vasa ita inficiuntur, vt subindè mensibus iter intercludatur, multiplicem namq; haud ignoro caussam vendicant diminuti menses, corporis nempè vniuersitatem, quę nimias congerens materias in lochiorum vias easdem ocyssimè transuehit, vnde sibi vias occludit, ita ut ad infera solia, & subiectas sedes sanguis irrepere minimè valeat; quod etiam sanguinis vitio id non rarò contingit, aut vteri, & illi subseruientium vasorum labe; quomodocunque tamen sit caussam diminutorum mensium in nostram languentem non in aliud referrem, quam ad facultatem expultricem vteri ex gonorrhæa intemperamento partis labefactatam (cum ex *Auenr.* à temperie partis actio fiat, diminuatur, aut deprauetur ab eiusdem partis intemperie) vel ad meatuum huic vsui constimetorũ obstructionem à vitioso sanguine genitam, ob Iecoris feruidiorem dyscrasiam; vel ob lentorem materierum aliarum pituitosarum à ventriculo genitarum, quamuis nec sit inconueniens asserere aliquando humorem crassescere in vteri venis stabulantem, inibiq; coercitum, & conclusum; quare, & ad continens imbecille, & ad contentum vitiosum sanguinem nempè tum crassum tum mala luis qualitate coinquinatum affectionem referrem, sicut & ad viarum vteri obstructionem.

Quamuis non ignorem *Hippoc.* illum redegisse non rarò ad vterorum distorsionem, vel conclusionem, aut aliquam pudendi partem contractam: hæc sunt eius verba *lib. de morb. mul. Si mulieri, quæ non pepererit, occultati fuerint menses, & viam foras reperire non possint, morbus fit, hoc autem contingit, si vterorum os conclusum fuerit, aut distortum, aut aliqua pudendi pars contracta*: quod in nostra languente non est admittendum, vt bene adnotat *Martian. ex Hipp. lib. de steril.* cum in his casibus nulli effluant menses, quos tamen diminute fluere in ipsa inspectamus; eosque decolores carnium loturæ haud absimiles, vterus enim dum crudum suscepat sanguinem maleq; sibi commissum alimentum conficit, & intemperiem illi communicatam à gonorrhæa; modo enim quattuor dierum intercapedine rẹmorantur, modo anteuertunt; non enim sanguis qui

quoti-

quotidie accrescit eiusdem est conditionis, neque viæ semper eodem modo impeditæ, ac propt. citrà ordinem mouetur, sanguis enim modo tenuior apparet, modo crassior, modo sincerus, modo tandem permixtus; ita vt iuxta consortij rationem aliorum humorum menstrualis sanguis tempus Naturæ lege statutum euertat.

Quamuis mensium anticipationem ad triplicem causam redegerit, ad materiam nempè facultatem, & causam sine qua non; materia enim si fuerit aut multa aut tenuis, aut humida, aut calida aut acer, aut mordax mensium præstat anticipationem, vnde *Hippoc. p. de morb. mul.* addit pituitæ defluxum ad vteri cauitatem; sic facultas vel estre tentrix imbecilla vel est expultri fortis, vel quia irritetur à calore eandet, facit anticipationem; caussa autem sine qua nō est sensus acrimoniā sine enim sensu exquisito huiusmodi actiones fieri minimè possunt: sic etiam menses debitum tempus remoraræ dicendum ex contrarijs causis nempe ex humoris vitio, vt si crassiores fuerint vt ait *Gal.* & difficilius fluentes ex expellentis facultatis impotentia vel vitio proprij temperamenti frigido, vt ait mercatus, vel vitio instrumenti ita vt it in ipso facta obstructio, vel tandem ex hebeti sensu partis, ità vt neque pondus neque actimonia sentiat, neque ob id miror si instantibus mensibus vel nuper fluxis symptomata succrescant, vt dolores crurum, lumborum, & capitis; sanguis enim ille aut quia nimis crassus, & lentus dum vasorum occlusas capedines permeare studet, impetu quem facit dolores generat lumborum, vt & capitis ad illud vaporibus ex sanguine mala qualitate infecto ascendentibus; qui quidem omnigeni cruciatus maiores adhuc fluentibus mensibus consurgunt, sanguine vi permeante, qui sua crassitie, & grumescentia maiores ad huc dolores producit, qui sanè ob id non rarò sedantur, quia emanant grumi, euacuatis enim humoribus dixit *Gal.* morbi cessant; neque ob id flatus exploderem à dolorum generatione, ij namque vterum tendendo illos faciunt; sic etiam dum à sanguine in vero contento praui halitus ad cor transmittuntur; fiunt illæ lypothimiæ, *vterus enim* ait, *Hippocr. lib. de loc. in hom. tex.* 59. *per maximas plurimasque venas, & arterias totius corporis sordes, impulsumque sanguinem lacunę cuiusdam instar receptat, ac suscipit:* vt proinde non sit mirum sic cloacato sanguine praui assurgant habitus qui cor oblædentes lypothimias illas accersunt: ni strangulatus, & forsan melius vocitare velimus, præstitos tum ex halitibus prauis vt dixi, tum vt vult Stephanus Athenensis apud Mercatum vtero retracto, protrusoque versus partem superiorem, quo & intestina, & septum transuersum comprimuntur, ita vt respirationi nullus, aut quam minimus subsit locus; quicquid ergo sit nulli dubium est hunc morbum esse satis molestum, & non nisi difficulter solubilem, tum ob inæquales intemperies, tum vteri, tum Iecoris tum ventriculi, & ob materiæ conditionem quæ & crassa est, & lenta, tum ob obstructiones ab hac prestitas, tum denique ob luem; proindeque multiplex insurgit indicatio, euacuandi materias istas, tollendi aperientibus obstructiones, eneruandi alterantibus intemperies, & tandem dolores leniendi, vnaque luem edomandi.

Quoad euacuationem ego præmisso aliquo leniente pharmaco ex syr. D. Aug. ros. sol. & mell. ros. sol. ad vnc. I. s. pro singulis apozemata præparantia præscriberem ex syr. de beton. de fumar. & de f. borrag. cum suo de iure, cum hoc ex *Alex. Petronio* & potissimum calidum vi maxima polleat

euellen-

euellendi, & eradicandi humores in ventriculi tunicis stabulante; ac dein de ad purgans deuenirem, sed neque admodum validum, nam ego semper fui huius sententiæ nunquam esse exhibenda pharmaca potentia in obstructionibus, quippe cum itinera sint impedita ex magno affluxu à medicamẽto valido præstito infarciunt magis, & materiæ magis vna densantur; darem ergo sequens medicamentum: ℞. mell. ros. sol. syr. de polipod. an. vnc. 1. s. diacatthol. el. lenit. an. drach. v. i. agar. trochis. inf. & expres. in aqu. arthemis. rhab. el. inf. & exp. in eadem aq. an. drach. 1. de cord. q. s. mis. f. pot. cap. Interim ad aperiendas obstructiones deuenirem, hocque iure galli veteris celebrarem, quod summis laudibus tollitur à doctiss. Mercato in vteri affectibus, & ego possum iure iurando affirmare me huius vsu contumacissimos morbos eneruasse, non solum per os exhibito, sed eius sumo per vterum assumpto. Præscriberem ergo Gallum iugulatum, exenteratum, & sine collo, alis & pedibus, quem implerem arthemis; beton. fumar. capill. ven. cichor. cum rad. rad. asparag fęnic. cetrach. dictamo, & cortic. cassiæ, cum portione florum anthos, deinde ad ebulliendum ponerem, addendo chinæ vnc. 1. salsæ parril. unc. 5. vsque ad eius cocturam, & colaturam darem pro syr. per saltem decem dies, sic enim & intemperies respiceremus, & obstructiones, & luem gallicam; quod si Kalibem extinguere velimus maioris ius erit efficaciæ; Ad dolorem autem dissoluendum, & fotus facerem ex foliis malu. altheæ, pariet; arthemis. beton. flor. chamoml. anethi, melilothi sem. lini, anis, cumini, fænugr. & similibus sicut & inunctiones ex ol. lilior. alb. amyg. dulc. chamom. Keyr. & similibus quod si inustionem cruri faciat maximi poterit esse momenti, hæcque mihi pro tempore esse possunt, si tamen cucurbitulas aliquando inter fęmora applicitas non deseram, fac tu interim vir doctissime vt optima victus ratione vtatur, dum ego me tibi addictissimum reddo. Vale.

PRO HONESTISSIMA *Virgine de Ciuitella vteri affectibus infestata, & potissimum mensium Suppressione.*

CONSVLTATIO LXXXX.

Porrò aiebat *Gal. si mulier per excretionem illam menstruam ritè expurgetur, neq; podagris, neque alijs ex plenitudine affectibus infestabitur; at menstruis retentis eã cuilibet malo implicari facile est, huicque rursus euacuationes medentur*; est enim huius sanguinis tam effera conditio, vt & innumeros morbos pariat, variaque symptomata gignat, lipothymias nempè si ad cor sanguis resiliat, anorexia si ventriculus ab illo oblædatur, præfocationes hystericas si vterum irritet ad ascendendum, & tandem deliria si in caput sanguis feratur: sanguis enim e sua compage atque temperie dimotus protinus virgines potissimum fatuas reddit, & tunc potissimum cum incipit in vterum profluere, & viam inuenire nescit, vt bene *loco cit.* adnotat *Hippocr. tex. p.* aiens: *Cæterum virgines nubiles, & maturæ viro hoc magis patiuntur vna cum mensium descensu*

antea

antea non valde hinc afflicta, poſtea enim ſanguis in vteros confluit. velut effluxurus, quum igitur oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem amplius influxerit propter cibos, & corporis augmentum, tunc ſanguis non habens effluxum pre multitudine reſilit ad cor, & ad ſeptum tranſuerſum; quum igitur hæc repleta fuerint, ſubdit *tex. 2. cor fatuum fit, deindè ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpedine delirium apprehendit.* quod in noſtra languente hoc prorſus modo contingere credo, nam cum iam decimum ſeptimum experiatur anuum, non ob id menſium experitur profluuium, ob idque ſanguine in varias partes regurgitante cum viam reperire nequeat obſtructis à materijs vſtis, ob Iecur feruidius progenitis varia accerſit ſymptomata, nunc ſtrangulatus, nunc lypothimias, nunc dyſpneas, nunc timores, nunc tandem deliria & febres quæ quidem haud continua exiſtunt ydiopaticum ob id in partibus ſupernis explodentia, ſed interpolata ſympathiam ob id à partibus infernis admittentia; quorum quidem ſymptomatum ſyndromem rependens *Hip. loco ſupr. cit.* ſic loquitur H*is autem ſic habentibus pre acuta quidem inflammatione inſanit, pra putredine verò clamat, pra caliginoſitate autem timet ac formidat, pre compreſſione vero circa cor ſtrangulationes parat, pra ſanguinis autem malicia animus mærens, ac anxius malum attrahit*, & merito; ſanguis enim dum aduritur tetros vapores in cerebrum tranſmittendo varia parat terricuiamenta innumæra ſpectra figurat, quinimò nedum ex aduſtione id agere habent menſes acciſi, ſed & quandam proprietate, nec non etiam & quia in vteri vaſi ſtagnantes aliquã corruptionem, ideoque dixit *Mercatus lib. p. de morb. mult cap. 3.* praua ſymtomata ex menſtrui ſanguinis natura ſuccreſcere credendum non eſt, ſed ex concepta putredine, è qua febres proſilire poſſe exiſtimat, ſicut etiam citra putredinem capitis dolores importunos, ventriculi torſiones, ventris tormina, laſſitudines, & alios pleroſque morbos, vt diximus: quod quidem nedum fieri poteſt eò quia ſanguis in vtero ſtabuletur, ſed quia viam præcluſam inueniens per corpus vagatur, nonunquam autem menſes in virginibus non apparent non præcluſo quidem à materia intinere, ſed vaſis nimis anguſtis exiſtentibus, ita vt nequeant ſanguinem fluentem ad ipſa recipere, atque hac de cauſa crediderim *Hip.* ſuaſiſſe iſtis vt viro quam citiſſimè cohabitent, vt ſcil. partes illæ magis hient, atque reſerentur, quod etiã voluiſſe crederem cum dixit: *Mulier ſi cum viro coeat magis ſana eſt*: quod videns *Plato in Timæo* dixit: *Vulua animal auidum generandi, quando procul à fætu, & vltra diutius detinetur, ægre fert moram, & plurimum indignatur, paſſimque per corpus errans, meatus ſpiritus intercludit, reſpirare non ſinit, extremis vexat anguſtijs, & morbis denique omnibus premit:* quod non contingere in honeſtiſſima Iuuene cenſerem, ſed potius ex vaſorum anguſtia præſtita ab vſto humore eoque genito à Iecore feruidiore, quamuis non raro Iuuenibus Virginibus menſes non apparere aliam cauſſam ſtatuerit *Aet. lib. 4. cap. 51.* vel ſcilicet mulierum naturalem quandam obeſitatẽ, cuius gratia magis exangues illuceant, (quod deprompſit ab *Ariſt.* aiente obeſos ac pingues non nimium ſanguinis habere) ob idque ait *Aet.* quomodo ergo purgabuntur, quæ neque ſanguinem, neque venas amplas habent? vel nimiam gracilitatem à diutino morbo contractam.

Quicquid tamen ſit ego neutram cauſſam admitterẽm in noſtra Virgine, ſed potius malam vteri prauam ſanguinis conditionem; ſanguis enim ob nimiam craſſitiem ab vſtione à Iecore feruidiori præſtita vterum malè conſti-

tutum ad sanguinem menstrualem suscipiendum inhabilem reddit, sicque eundem expurgare non valet.

Cuius causa tot veniunt symptomata, & potissimum deliramenta vt diximus; quamobrem non est proroganda curatio, nam non raro pessimus solet euentus contingere, ac dum menses non apparent in innumera mala languentes traducere; cum igitur triplex sit causa huius morbi vteri nempè obstructio, & copia materiæ vstæ, & crassæ à Iecoris dyscrasia calida progenitæ proindè triplex insurgit indicatio euacuandi nempè materiam genitam, prohibendi quin producatur intemperiem tollendo, & tandem obstructiones reserandi.

Quoad euacuationem ego prius leniens aliquod exhiberem vt el.lenit.& Diacatthol.ad drach.v.i.pro singulis, deinde apozemata præscriberem ex syrup.de fumar.de s.borragin.de s.beton.vt quinque vel sex ex ijs assumptis possimus catharticum imperare, quod sequens esse posset; ℞.agar.trochism. scrup.2.syrup.ros.solut.de polipod.an.vnc.2.dec.cord.q.s.mis.f.pot.cap.vt dixi.

Interim sanguis mittendus, sed ex qua parte in dubium reuocatur, *Aetius* dixit quod quando mensium suppressio pendet ex sanguinis plenitudine, tunc sanè ex bracchio mittendus vt rarefacto facilius fluat, quod ego in nostra languente præstarem, quippe cum & à Iecoris feruore, & ex vbertate humores vsti pendeat affectus, satius erit primo venas bracchij aperire, & deinde saphenam, aliter enim materia illa crassa quæ in toto stabulatur exinanitis vteri venis in eundem rapietur, sicque maius malum orietur; quoad obstructionum apertionem non erit absonum Iura alterata præscribere vel ex domestico pipione, vel ex Gallo, vel similibus.

Fotus item præstarem vniuerso abdomini ad rarefaciendum sanguinem, & aperiendas vias, factos ex folijs malu.altheæ, pariet, matric.floribus chamom.melilothi, anethi, & sem.fænugr.anis.cumini, & lini, superungendo ipsum abdomen oleo amygd.dulc.liliorum alb.butyro, & similibus. De chalybe qui proponitur pauca habeo quæ dicam; si his omnibus præstitis morbus non cedat, non erit malum ad stillatitium chalibis deuenire, quod si melius habeat persistendum in ijsdem, nam pertinacia Iuuantis malum corporis vincit: quod tamen satius erit est inustio in crure adhibita, nam per eam sanguis euacuabitur, qui continuo Naturæ negotium facessit; hæc ergo dixi pro debellando contumacissimo morbo.

Tu interim victum præscribe optime substantiæ facilisque coctionis, ab oleribus aceto quod dolores vteri inducit ex *Hippocr.* salitis, lacticiniis, & aliis eandem prohibendo, Vinum bibat sed limphatum, & moderato vtatur exercitio, nam ocium humectat ex *Hippoc.* labor siccat, & corpus robustum facit. Deus tua vota secundet &c.

∴

§¶§¶§¶§¶§

PRO

PRO ILLVSTRISSIMA, Et Excellentissima Pectorani Principissa affectu hypocondriaco, & sterilitate olim ad tempus laborante, nunc autem fœcundissima.

CONSVLTATIO LXXXX.

EXcellentissima Domina quæ ab initio fæcunditatis imaginem redoluit, quæue fæmellam peperit; dum multis ab hinc mensibus vterum gerere desijt, non ob id mihi infæcunditatis incutit pauorem, sed tantum nobis excit suscitabula ad naturam iam sopitam stimulandam, vt videlicet eandem generosæ prolis immemorem aliquo præsidio suscitemus; non enim patietur natura Illustriss. è Cantelmis prosapiam extinguendam, cum prius tot orbi Terrarum magnates dederit, Proceres, Heroes; reboat enim eorum fama perennis, resonabitque vel perenniter in orbe; si coæua namque cum exsurgente mundo eorundem emersit celsitudo, vel occidente mundo eorundem non occidet fama; si que olim Natura Deucalionem, & Pyrrham præ eorum præstantia rapidissimis maris vorticibus vacillare voluit, non nauphragari; ita nunc censeo naturam è Cantelmis familiam non in fæcundissimo Excellentissimæ Principissæ sinu sterilitatis nauphragium cernere, sed solum nobis vel in fæcunditate ipsa dare dubietatem; indeque vel medicam exposcit opem, quæ vel indubiam spondet fæcunditatem.

Quamuis non ignorem doctissimum Duretum Medicorum in hoc improbet audaciam aiendo *in Coac. Nouerit autem præsidia sterilitatis in Medici manu non esse, nisi permissu auxilioque Dei, cuius ea voluntas est precibus impetrata, vt summa benignitas eius apparet, cui Reginam præficit fæcunditatem, quemadmodum cæcinit diuinus, & Regius Poeta his carminibus, quibus ora sua in Dei laudes resoluit.*

Qui maternos sterili fructus
Exoratus donat, & orbos
Læta renouat prole penates.

Cæterum quoniam vt perbelle diuinus *Hippocr.* dixit omnia quidem diuinitatem redolent; nihilque alio diuinius extat, *nihil tamen fit sine natura* subdit *Duretus, quę est ipsa vis Dei, & licet omnium redintegratio est, vnde ipsa naturæ pręscriptio atque norma nempè à Deo, tamen cognitio, & egressionis scientia quæ infert sterilitatem manat à Deo in Medicum*: vnde certet nunc temporis natura medicam retundere manum, nam fælicissimam sobolis spem ominari haud desistam.

Cæterum quamuis spem nostram perturbare contendant hypocondriacus nimirum affectus, & vteri labes, hæc tamen non ita posse existimari, quin eneruari posse præsumam; nam quamuis omnia hæc ex viscerum antipraxia gignantur, varios humores gignente, fieri potest vt emendationem sortiatur.

Quod autem ex illa procedant omnia satis discurrenti patebit; Iecur enim feruidiori pollens crasi, ventriculum refrigerat, humidumque captu

iam reddit, vnde & crudæ pituitæ, vstæque proluuies pronascuntur, hæ ab hepate natæ, ille à ventriculo, & capite genitæ ab omnibus enim his humoribus obstructiones fiunt, vnde & calor hypocondriorum, & flatuum perennis generatio à validiori harum partium calore humoribus crassis agitatis, & extenuatis, & tandem hypocondriacus affectus; quæ quidem cruditas seu ἀπεψία ex doctissimo *Sennerto* ex eo fieri statuitur in hoc affectu, quia vitioso sanguine à liene transmisso nutriatur, membrum enim si vitioso sanguine alatur bene se habere, beneque suo fungi munere est impossibile; quo quidem quocunque existente multas congerente humiditates, & crassas, & excrementitias nil mirum si infarctus fiat, quamuis *Senner.* visus sit ablegare obstructiones ab hoc affectu, cum manifestus, & expeditus sit à liene in ventrieulum transitus, *Diocles* tamen præcipuam huius mali caussam obstructionem venarum mesentericarum, & calorem esse insinuauit, vnde *Paulus Ægineta lib. 3. cap.* 14. dixit hunc morbum potissimum consistere in oris ventriculi inferioris, & pylori inflammatione, quam excludit *Gal.* ob febris absentiam, quam tamen in hoc affectu admittit *Pereda in adnotat. Pasch.* quum videlicet humor in ventriculi venis detentus putrescit, atque affatu dignam concipit putredinem, aliter enim calor adest in illis partibus phlogoseus.

Cæterum vt liberè fatear non sunt explodendæ obstructiones à nostro casu neque calor iste phlogoseus appellatus, abdominis enim partes internæ, & potissimum hepar, lien, & similia maiori quam par est calore æstuantes vt asseuerauit *Claudinus in cons.* sanguinem vrunt, & euaporationes faciunt, quæ quidem materiæ obstructione faciunt, vt & materiæ lentæ, & viscidæ à ventriculo genitæ læso in alterando ob caloris primigenii pauperiem, quam ab hepate feruidiori agnoscit ipsummet extinguente, ni velimus asserere id promanasse eo quia siti infestata copiosum aquæ frigidæ potum ingessit, & nimios fructus horarios comedit; illa enim propter eius frigiditatem moratur in præcordijs diutissimè, & fluctuationes excitat, & ventriculi robur resoluit adeo vt deterius proindè concoquat vt dixit Galen. quinimò idem auctor *3. comm. acut.* aquam dixit esse difficilis penetrationis, difficilis digestionis, & discensionis.

Hi autem fructus horarij non minus inuehunt detrimentum, cum quamuis aqua non sint vt aiebat *Cardin. de sanit. Tuen.* sed humidum corruptum, & putrescens, nam omnis generatio per quandam putredinis viam fit, ob id cum non dum est assequuta formam pinguis humidi, corruptionem in se coutinet, sicque cruditates emergunt, è quibus *Galen.* sanxit affectum hypocondriacum habere rudimenta; hinc videre est corruptionis ciborum tres primas esse, ac veluti generalissimas differentias, vnam quidem fieri per primos ventriculi morbos, alteram à vitiosis humoribus in ipso accumulatis. Tertiam ab alimentorum qualitate induci; vnde haud mirandum tales obstructiones fuisse genitas ab humoribus etiam viscidis ob tot in viuendi norma erroribus commissis.

Inde enim sunt præstitæ incoctiones, sicque merito *Saxonia* dixit *Nihil est quod confirmet fieri melancholiam ex pitiutosis humoribus quam affectus Sypocondriacus* qua de causa putarim *Auicenam*, dixisse melancholiam fieri ex ciborum superfluitate, quasi dicat ex crudo & incocto chylo myteriacas obstruente, indeque crediderim *Gal. p. de caus. sympt. & 5. de loc. aff. 6.* dixisse ex ore ventriculi melancholias fieri, hinc quoque scribit idem *Gal. 3. aph.* 24. ex

vitio-

vitiosis humoribus os ventriculi infestantibus somnia fieri terrifica, & pauores; quamobrem asseuerandum in Excellentissima nostra languente affectum pendere vt dixi ab obstructionibus pręstitis tum ab humore pituiteo à ventriculo genito, tum capite fluxionem in glandulas exprimente, tum à terreo, adustoque humore; à Iecore producto; quem quidem Iecoris feruorem attestatur stypticitas illa vna cum excrementi duritie præstita à calore humidum excrementorum absorbente, prætereà mærores calorem quoque præsagiunt, sed aduentitium, cum vstam indicent materiam, quamuis mæror proprie inter frigidos affectus numeretur à *Gal. lib. de caus. morb. cap.* 3. 2. *de caus. puls. cap.* 4. cum reuocato calore innato ad intrà vt ait *Zacutus lib.* 2. *dub.* 65. *pag.* 995. hic potius suffiocari videatur, verum quoniam vt superius dixit idem Zacutus nedum assiduæ curæ natiuum calorem, humidumque primigenium absumunt, verum sanguine adusto humores acriores redduntur, Iecur incalescit, & inflammatur, sicque vstis illis humoribus mæror increscit; humor enim ad intra coercitus, conculcatus, vnitus, amplius quam antea incalescit, & calorem concitat præternaturam; quicquid tamen sit variæ sunt auctorum sententiæ prout varię constituuntur melancholiæ differentiæ non enim ignoro *Senertum, lib. p. Institut.* quatrimembris melancholiæ meminisse, eius nempe quæ à labefactato cerebri parenchymate pendet; cum scilicet melancholicus humor in ipso cerebro stabulatur, eius quæ fit per cordis, & totius corporis synthimoriam, cum nimirum vitales spiritus impuritatem adseruant pro spiritibus animalibus gignendis, ac sanguis pariter melancholicus ad cerebrum nutriendum suppeditatur, eius quæ hypocondriaca vocitatur, eaque ad lienem, Iecur, aliasque partes hypocondrijs subditas pertinet, & denique eius quæ ex vtero *Hipp.* 2. *de morb.* aliam quoque melancholiæ speciem addit factam nempè ex septo transuerso quam morbum vocat difficilem, idest atrocem, & grauem, nam sicuti ait *Salius in comm. pag.* 285. per consensum in cerebri inflammatione procellitur cerebrum ex euaporationibus calidioribus, & inde delirium incurrit continuum, pari ratione ab illo humore atrabilari deprehenso cerebrum ab atrabilarijs non dicam euaporationibus, sed fumis, (fumus enim proprie est is qui ex materia adusta attollitur non euaporatio) perculsum, in symptomata incidit melancholica, nam cum horum fumorum qualitas essentiam, & qualitatem humoris ex quo eleuantur cerebro impartiantur, hinc cerebrum ac si humore melancholico occuparetur, melancholica incurrens accidentia hominem absque ratione mærentem, ac timidum reddit; hinc miror *Gal.* de melancholia hypocondriaca loquentem earum partium tantum quæ infrà ventriculum existunt ad mentem Dioclis meminisse, nulla diaphragmatis præstita mentione; quod nedum lib. de morb. asseuerauit *Senex.* dum lib. de virg. morb. dixit: *Vbi ad septum transuersum sanguis serosus decumbat, merores, anxietates, desperationes, timiditates, aliaque his deteriora sequi melancholicorum accidentia, opinor autem inter omnia dixerat Senex lib. de aflat. tex.* 20. *quę in corpore sunt nihil magis ad prudentiam conferre quam ipsum sanguinem, hic ergo cum in constanti habitu consistit, consistit & prudentia: sanguine vero permutato concidit simul & prudentia*: hinc crediderim Hippocr. voluisse magis manifestare dum alias dixit ignem ab aqua superari; hi enim plorant nemine molestante, timent non timendam, &c. sanguis enim melancholicus est ad modum serosus vt ait *Vallesius* 4. *epid.* quia in eo boni, & mediocris sangui-

nis

nis exiguum eſt, ſed totus reſoluitur in fæcem, & ſerum, velut quædam vitioſi lactis genera, ex quibus caſei, & ſeri extrahitur multum, mediocriter craſſi lactis, & butyri nihil fere, ni cum *Proſp. Martiano* aſſeuerare velimus, ſerum exaccidenti in melancholicis potius copioſum conſpici, quia eorum corpus cum denſum ſit, & poroſitatibus non adeo refertum, humorem ex cibis, & potibus prodeuntem, non imbibit, ità vt neceſſe ſit in cauitatibus adſeruari, & hoc pacto ſeroſitas in ipſis copioſior apparet, adde etiam eorum calorem non admodum vigere, vnde cruditates multæ fiunt quæ ſanguinem reddunt ſeroſum; vndè fędato ſanguine tum à ſeroſitatibus tum ab eius fæce, nil miror ſi Excellentiſſima languens ſolitudines oportet, mærore conficiatur, ab atro. enim ſanguine ſpiritus inficiuntur, ſicque animã velut terrent; ſpiritus enim animales ſiue vitalis in propria ſubſtantia quamuis lucidi exiſtant, tenebroſitatem comparare queunt propter tenebroſæ ſubſtantiæ; vaporis nempè admixtionem, nam vt ait *Senner. lib. p. Inſtit. p.* 479. ſicut ſpirituum opticorum ad videndum requiritur luciditas, & oculus niſi lucidus ſit, naturalem ſuam conſtitutionem non habet, ita ſpiritus animales ſi non lucidi, & puri, verum opaci, & obſcuri, & quaſi tenebricoſi ſint actionibus illis principibus non rectè inſeruiunt; hocque voluit *Senex dum lib. p. de humor. ſoct. 2 tex.* 24. ſpiritum turbidum appellat aiens? Deiectionem, ſiccitatem, ſi corpus non concidit ſpiritum turbidum expectabis nam vt ait doctiſs. *Zacutus lib. 3. queſt.* 34 ſpiritus natura cuiuſcunque ſortis ille ſit, & proprietas eſt, vt ſit conflatus ex nitidiori, ac magis perſpicua, ac pura ſanguinis ſeminis parte vt voluit *Gal.* cum ſit animæ inſtrumentum; intelligit tamen de ſpiritu dum eſt in ſalubri ſtatu, contrarius autem, & aduerſus reperietur in corpore in ſtatu aduerſo confuſus, caliginoſus, nebuloſus; ſubdit *Zacutus* eos qui huius ſpiritus turbulenti abundant, triſtes, & melancholicos eſſe conſueuiſſe, ſi enim ob multas cauſas mutetur ſpiritus, ſplendidus ad tenebras, ſuoque lumine, & perſpicuitate priuetur, colore ſuo agit, & per ſe immutat principium functionum organa; licet ſimpliciter & abſolute actiua non dicatur qualitas, quamuis, *Auern.* tamen *Gal* ſententiam irrideat; quicquid tamen ſit huiuſmodi ſpiritibus turbulentis hypocondriacos abundare concredit præfatus *Zacutus*; imagines namque per ſenſus perceptæ repreſentantur imaginationi, & ratiocinationi per ſpiritus obſcuros, & opacos; qui ſanè ſpiritus obſcuritatem, ſeu opacitatem non aliunde vendicant quam ab humore vſto, & melancholico in hypocondrijs ſtagnante, vbi adſunt obſtructiones, & flatus, qui borborigmum faciunt; quamuis præter hos flatus ſeroſitas aliqua poſſit adeſſe inter lienem, & diaphragma repoſita, quę non raró huiuſmodi murmur in hiſce affectibus gignere vtique valet; neque enim ob id vterum huiuſmodi affectus non agnoſcit, qui nædum ſui ſubſtantia negotium nobis faceſſere poteſt, ſed & vaporum aſcenſu, ac materiæ ſodalitio tum vſtæ, tum pituitoſæ, eiuſque ibidem obſtructiones facientis, ac inſimul menſes nunc remorantis, nunc accelerantis, dum enim viæ non expeditæ videntur, menſes nequeunt permeare, indeque antequam veniant doloribus ingemiſcit excellentiſſima languens, ac cruciatibus torquetur; ni id ad ſanguinis acrimoniam referre velimus à Iecoris feruore communicatam, atque ob id non raró anticipant menſes vt voluit *Mercatus*, eoqus magis quoniam ichoroſi exiſtunt, vt ad me ſcribitur qui mordàcitatem ſignificant, modo id ad maiorem ſanguinis ſeroſitatem adi-

gere

gere nolimus, ob partium læsam alteratricem, quod mihi magis consonum videtur, non rarò autem menses postponere, id contingere censeo ob eiusdem sanguinis paucitatem, vel crassitiem, & viscíditatem; ob idque *Galen. 5. aphor. 36.* visus est nobis præsentem casum explorare aiendo.

Contingit enim mulieribus quæ prauos humores habent non modo decolores apparere purgationes menstruas, sed etiam tempus periodi non seruari, siquidem crassiores fuerint humores, & difficilius fluentes ijs qui secundum naturam se habent morando, & longius tempus expectando. Quamobrem prout sanguis, vel magis serosus, vel acrior, aut crassior, & magis viscidus extiterit, & viæ magis vel minus obstructæ, venæ scilicet tum immediatè ab ipsa vena caua ortum trahentes, tum ex aliis tubis qui per crura vtrinque disseminantur, vt docet *Gal. 6. de loc. aff. cap. 5.* quæ uasa ad expulsionem mensurni sanguinis munus inter usus reliquos sagax fabricauit Natura; ita etiam magis uel minus menses fluent, ante vel post: Quamobrem dixit Moxius frigidam vteri intemperiem menses restringere valere, incrassando nimirum, constringendo, & densando; à quibus etiam caussis sterilitas producitur, nimirum mensibus non ordinatè fluentibus, ut non immeritò Phylosophus dixerit: Inordinata excretio non expurgat quantum satis est uterum ut genituram admittat, (præterquam quod alimenti inopia arescit non rarò semen sic inordinati plerumque semen secum deferunt, & ob id genituram prohibent; quem quidem inordinatum motum quamuis uel ad acrimoniam, serositatem, crassitiem, & obstructionem redegerim, non negarim in nostra Excellentissima languente præter venarum aliquam obstructionem in uteri cauitate reperiri crassos aliquos humores, aut uiscidos aut mucositates, uel ibidem existentes ibidemque genitas, uel à uentriculo, capite, aliisque partibus profusas, quę terreis, vstis humiditatibus vnaque flatib. consocialis morbos istos pariunt, sterilitatemque ad tempus gignunt; flatus dixi ex uteri diminuto uel uentriculi calore, humiditate ibidem præexistente, vt docet doctissimus *Mercat.* quam regulare nequit pusillus ille calor, quos sane flatus ut potissimam sterilitatis caussam annumerat præfatus auctor, porpulso nimirum ex utero impetu ipsorum suscepto semine, uel quod præ distensione apertum teneant vteri ostium, quos etiam ipsæ mulieres per pudendum exire percipiunt; ragitus quoque adsunt in inferiori ventre, tensio &c. & quamuis maximam flatuum portionem admittam, vteri etiam intemperiem concedo; vterus enim dum est intemperatus vel mucoribus exundans, tunc sane genituram non attrahit facultas attractrix, vel retentrix laxatis fibris vt aiebat Sennertus vt non possint se se contrahere ad retinendum susceptum semen, ipsumque semen propter mucores illos quibus scatet ei adhærescere non potest, hancque adhæsionem seu attractricem quamuis crediderim promanare ex vteri multis mucoribus, non ob id tamen vteri distorsio deneganda, vel conclusio, vel contractio, cum nullo pacto vterus genituram admittat; qua de causa dixit *Hip. p. de morb. mul.* si *igitur dixerit statim exire vbi coiuit, vteri osculum rectum non est, sed distortum, & genituram non capit*, & *lib. de steril.* dixit: *Nunc autem ostendam ob quas caussas mulieres steriles fiunt, & cur non pariant, antequam sanentur, causam verò hanc esse dico, si os vterorum omnino auersum fuerit à pudendo non concipiunt, non enim suscipiunt vteri genituram, sed statim foras exit. contingit autem hoc etiam si os vterorum parum distortum fuerit preter naturam à pudendo, & si omnino conclusum fuerit os vterorum neq;*

sic

sic suscipiunt, neque si recens conclusum fuerit magis quam oportet; Neque in Excel-
lentissima nostra languente omnino aut auersum, aut distortum esse potest,
siquidem vt ait *Mercatus* menses non prodeunt omnino, aut prodeunt vio-
lenter cum morbo si sanguis coegerit vteros pro more conuerti; quod si pa-
rum distortum fuerit, aut recens conclusum, prodeunt quidem menses, sed
paulatim & per multos dies vt in nostro casu contingit; vnde non omnimo-
da, sed aliqualis distorsio concedenda, quamuis non ignorem iuxta *Plinij*
decretum *lib. 11. cap. 37.* & *Arist. lib. 3. de hist. animal. cap. 17.* vterum trifa-
riam claudi valere, aut nimirum morbosa duritie, vel quia epiploum pro-
cidat suprà ipsum, vel quod oris labia crassescant; potius tamen ad distor-
sionem redigendus est noster affectus, sed non totalem cui non deneganda
vteri humida, frigidaque dyscrasia, non tamen ea quæ omnimodam pro-
lem excludit, quæ tantum vteri existit vt probat *Martianus 5. aphor.* quando-
quidē, ait, plures mulieres concipere obseruantur, quarum vterus longè in-
temperantior erat, quam alterius cuiusdam, quæ sterilis ob eandem in-
temperantiam fuerit, v. g. sit mulier toto temperamento biliosa, cuius sin-
gulæ partes totius temperamento respondeant. Altera vero naturali totius
temperamento frigida sit, vterum verò cæteris partibus calidiorem habeat,
harum quidem prior concipiet, quia eius vterus à totius temperie non rece-
det, Posterior verò nequaquam ob calidam vteri intemperiem totius respe-
ctu consideratam, sicque explanat *Martianus illum aphoris. quęcunque frigidos,*
ac densos vteros habent, non concipiunt, quod sanè non contingit in nostro casu
cum habeamus Excellentissimam languentem quæ toto temperamento fri-
gida existit, neque crediderim vterum præter dyscrasiam valida imbecilli-
tate donari, ità vt ea tantummodo sit idonea sterilitatem inducere, hæc
enim imbecillitas à doctiss. *Mercato* apponitur tanquam sterilitatis causa;
Tanta (inquit) *procludubio est in quibusdam naturalis compositionis tenuitas & poten-*
tiarum vteri imbecillitas, vt satis illi sit nouem mensibus vtero gessisse, vt supersit ab
hoc laborare vterus adeo imbecillius, ac labore defessus, quod deinceps minimè possit
amplius concipere, nec si conciþiat, diu fœtum continere: quod sanè malum (subdit
Mero) *feminis præstantioribus & illustribus, & ijs quæ in otio vitam degunt frequentis-*
simè accidere conspicimus; quod non contingit nostro casu, cum adeo non sit
vtero, vel viribus imbecilla quin semen aut attrahere aut retinere vtique
possit; quamuis autem ab humani seminis labe sterilitas non rarò produca-
tur, quia nēpè aut nimis feruidū aut frigidū, aut tenue, aut aquosū aut crassū
& lāguidū quod vel totius corporis, aut partis alicuius pręcipue vitio cōtin-
gere assolet, aut quoniam semina non bene conueniant; nam cum diuersa,
vt ait toties nominatus *Mercatus*, quæ vnum constituunt certam quandam
proportionem adseruare sibi teneantur, vt ex eis tertium aliquid fieri pos-
sit, vbi hæc symmetria haud inuenitur, neque vtriusque seminis fit vnio;
perarduum quidem est ex eis vnum constitui, quinimo Senner. statuit oc-
cultas quasdam qualitates in seminibus esse ob quas semina conueniant,
sunt tamen censentes fæcunditatem prohiberi si semina sint eiusdem con-
ditionis, eiusdemue naturæ; vnde *Gal. 5. aphoris. 63. Intemperato* (inquit)
nunquam generant nisi contrari a temperie præditis iungantur, vt pote calidi frigidis,
humidi siccis, & sic de singulis: Neque refer me intemperatos admisisse fæcun-
dos, hoc namque intelligendum de valida intemperie non autem medio-
cri, eaque intemperies varia esse, non autem vniuoca mulieris, & hominis,
vt

vt proindè nobis speranda futura soboles veniat, cum virum temperatissimum habemus eumque calida humidaque crati donatum, vt coniugem contraria intemperie. Neque timidum de hoc;non enim mulrum mediat temporis spatium quo non concepit, non enim adhuc secundus currit annus à primo conceptu; præterquam quod dictæ intẽperies non adeo sunt validæ, quin possint vel à Natura, vel Arte debellari, propteereaque satis sperandum de futura prole, eoque potissimum si citamus adhibeatur: quæ cum dixerimus duplex pateema in nobis negotium facessere affectum nempè hippocondiarum, & vterè intemperiem, mum materierum heterogenearum, obstrictionum, & distorsionis præsentia, ideò eadem à triplici indicatione inchoanda; quarum prima est vt depleamus materiæ copiam, tollamus intemperies, & tandem obstructiones ac distorsionem eneruemus.

Quoad primam explendam indicationem, quæ perficitur euacuatione, ego prius materiam minorarem melle ros. sol. vt scribitur, sed addita portione syr. vel de polipod. vel D. Augustini; aut si bolos desideret, exhiberem Diacattolicum, vt deindè possimus apozemata præscribere ex syr. defumar. de beeton. & mell. ros. simpl. addita decoctione ex borrag. endiu. lupulis, cichor. cum rad. fumar. melissa, buglossa additis anisis, & fæniculis, cum cortice citris; quibus assumptis denuò ad aliquod catharticum deuenirem, illudue quod à Chiota proponitur non vilipenderem, quod constare poterit ex syr. ros. sol. mell. ros. sol. D. August. an. ℥. j. ʃ. Diacatthol. ʒ v. j. agar. trochis. ʒ. j. mannæ el. ℥ j. dec. cord. q. s. vt f. pot. ad fortiora medicamenta non deuenirem, vt potè quæ ab vniuerso corpore materiam allicere queant; vnde grato sæpè non fortiora quam syr. ros. sol. cum aqua rosis maialis confectum addita manna diluta infuso florum persicorum exhibet: & quoniam hic multæ adsunt intemperies, & continuo congeruntur materię, propterea non vnicam crederem sat esse euacuationem, vt bene etiam adnotat Senner. vndè præmissis vel iuribus, vel syr. ad pillulas de agar. elephanginas, & de tribus cum rhab. vt benè asseritur à doctissimo viro non alienum erit deuenire, vt Galenicam scil epycratim seruemus; Neque interim alicuius missionis sanguinis immemores esse debemus; nam quamuis vbi impurus est ventriculus, materiæ frigidæ exundant, humorque peccans longè distet à natura sanguinis ex Gal. 4. de sanit. Tuen. non sit mittendum sanguis, euacuato tamen corpore ad hepar refrigerandum, & vapores à capite retrahendos vel ex saphena pedis si non satfluant mentes vel si mẽtes ritè fluant hyrudines venis sedis affligendæ; quam euacuationem in affectibus melancholicis summopere prodesse dixit sal; & ne à Chirurgico fonte discedam, priusquam illum expleuisse videat inustione dextro cruri omnibus remedijs præfero, cum etiam reuellendi, & deriuandi ab vtero vim obtineat.

Quibus præstitis poterunt ad reserandas obstructiones iura alterata iniungi, quæ & ventriculum respiciant, modicè refrigerent, diuretica sint, & flatus dissoluant; Darem ergo ius galli veteris, quod hummis laudibus comprobat doctiss. Mercatus, nam præterquàm quod omnibus hypocondriacis summe probatur, in vteri affectibus summè valet. Nec prohibet quod Gal. asseuerat 3. de simp. med. fac. cap. 15. gallum nempè vetulum adstringere, nam de carne, non iure intellexit; nam & gallorum veterum ius ait Gal. ventrem ducit, tametsi caro eundem sidere potest; ideoque doctiss. Card. 3. de sanit. Tuen. cap. 15. hęc dixit: Galli ergo tenelli caro connumeranda est inter volucrum carnes, quæ

quendam mediam naturam extenuandi,& crassefaciendi præstant à Gal. adeò laudatas, facilè enim concoquitur, laudabilem generat sanguinem, & appetitum conciliat; subdit infer. Propterea iunulum lauare, abstergere, aperire, flatus dissipare, aluum soluere, atque melancholiam purgare; quæ omnia mihi videntur esse necessaria in hoc affectu; Poterit ergo ius galli adhiberi, additis capill.ven.cichor.cum rad.melissa,buglossa,borrag.gramine,artemisia,becton. fumar.lupulis,agrimon.cort.cetri,anis.fænic.pomis apijs, atque etiam chinæ radice cum portione ligni saxafras, nam quamuis istud calidum existat, nihilominus, vt ait Zoroaster Tinellus in suis consil. antequam ad hepar perueniat eius qualitas refrangitur, præter quamquod istum lignum flatus discutit, mentes prouocat, concoctionem iuuat, fluxiones sistit, & vt ait Vnekerus in his antidot. vterum ad conceptionem præparat, quod sanè decoctum per vigintiquinque dies pararem plus, minusq; prout occasio feret; assumendo octauo quoque die vna ex pillulis supradictis.

Quod si his omnibus præstitis adhuc affectus persistere videatur ad magis aperientia incidentia, & attenuantia deuenirem, verum cum hæc non rarò aliquem habeât calorem. addi poterunt quæ caliditatem & siccitatem emendent; proindè Possidonius vsum seri laudabat, vt alij balneum aquæ dulcis, atq; ob id forsan Hip. 2. de morb. mul. in vteri affecti quamuis humido, quò confluunt salsuginosa lac asininum exhibet; verum quoniam sumus in Domina satis imbecilli, ventriculo, ac vtero materijs frigidis scatentibus hęc omnia missa facerem, licet serum posset corrigi, & ligno saxafras, & coriandris; quare istorum loco pro ventriculo roborando, vijs detergendis Tetrutienam aquam adhiberem, non ignorans eandem à Clnudino improbari ob eius siccandi potestatem, quę tamen siccitas in nostra languente excellentiss. non improbanda, sicut neq; infrascriptum syruppum improbarem à Annerto propositum vt scil paulatim congestæ à viscerum antipraxia materia, paulatim quoque euacuarentur; sit ergo ℞ rad.cichor.borag.scorhoneræ,polipodij querc.rad.cappar.an̄ ʒij.rad.asari ʒ.j.fol. melissæ becton. cetrach.fumariæ, capill. ven.chamærr. an̄ m.ʃ. absynthij pont.p.j florum cord.p.ij.|cort.citri ʒ ij. sem.anis.fænic.an̄.ʒ.j.fol.senæ or.epyth. an̄. ʒ. iij. passularum minorum ℥. j. infundantur omnia in aquæ puræ ℔ iij. in vase clauso loco calido, & posteà in balneo ebull. colaturæ adde succi borrag. fumariæ, an. ℥iiij. sacch ℔.j. f.potio clara dosis titune.iiij. vel v. Neque ignoro multos esse quichabilem laudent præparatum, sed quoniam spero hisce præsidijs morbum cessurum, ab illo pro nunc abstinerem.

Nequę ob id vteri immemores esse debemus, qui ad hos morbos cum alijs morbis conspirat, quem cum dixerim & mocoribosum redundare, & aliquali distorsione laborare, eo dirigenda curatio, vt ad suum locum redigatur, ac modicè extiuetur cum modico tamen calore; quod tamen fieri poterit suffumigio à Mercato descripto; ℞ ladani ʒ. j. styracis calamitæ ʒ. ʃ. ligni aloes, sabinæ siccæ an̄. ℈. j. musci, ambræ an̄. gr̄. ij. vitatur pro suffumigio. cæterum vt liberè fatear ab hoc penitus abstinerē, vt putà nimis odorifero; quia ab omnibus sensibus vt docuerunt Aris. 2. de Anima, & Galip. de sympt. caus. particulatim quædam voluptas inest, qua mouentur ab obiectis accommodis, sicut ab ijsdem dolor percipitur, quo mouentur ab obiectis ingratis, vnde (sic putante Trincauellio) huiusmodi affectiones quæ aut dolorem, aut voluptatem afferunt sine insigni mutatione instrumenti fieri nequeunt, indeque vterum credit Trinc. ab inodoris refugere odores amplexando, vel quia vt retur Eustachius

Rudíus à Sennerto relatus omnia odorata primò ad nares, deindè ad pulmones, & cor ipsum perducuntur, quorum odorum amicus vterus ad cor appellit tanquam odoribus repletum; vel quia vt alijs placet, non quia odores, vt odores id faciant, sed quatenus illi substantiam spirituosam vtero gratam, vel ingratam coniunctam habent: vel quia vt putat Saxonia, boni odores ad te calorem, & spiritus alliciunt, vt inde quoque spiritus, & humores in vtero existentes moueantur, sicut mali odores spiritum propellunt, quia à male olentibus vtero administratis vasa constringantur, excrementa retineantur & ligamenta repleantur; vel demum vt putat Senner. quoniam vterus ab odoribus non afficitur vt odoribus, cum etiam per pudendum ijs vterus afficiatur, & olfactus organum non habeat, qualitatem tamen illam, qua vterus bene, vel malè habet occultam esse statuit, & ità cum odoribus cohærere, vt ab ijs separari nequeat, hæc tamen quomodocunque sint, à me obiter dicta credantur, ideoque quoniam vterus, vel à leuibus odoribus afficitur, ideo sequens potius adhiberem suffumigium; ℞ ladani, styraces calam. gumi iuniper. añ. ʒ.j. cariophyll. sand. citrin. cinnamomi añ. ʒ.ß. f. pul. pro suffumigio; sic etiam pessaria fieri possunt è folijs matricariæ, & mercurialis, sic pro dirigendo vtero non alienum erit vti linimento ex ol. cherino, spica, de baccis lauri, ruthaceo, & modico nuceis onyristicæ, neque erit absonum antè eius applicationem satum adhibere ex matric. becton. saluia, rutha, malu. flor. chamam. anethi, melilathi, sem. lini, anis. fænugr. cumini, lauri cont. aduertendo quod monet Senner. ne odores ad nares perueniant. Possunt quoque ex his, & similibus formicata plasmate, quæ aliqui tamen odore polleant; Vt eò alliciatur vterus è suo situ dimotus, vnum tamen aduerterem, estque à pluribus experientia comprobatum, vt scilicet virile pudendum zibetto illiniatur, quod pariter, & à Sennerto, & à Mercato, & alijs summè probatur; Sicque meritò dixit Hip. 1. de morb. mul. dum os vteri distorquetur, suaueolentium sufficit opus est, Neq; silum extrinsecis incedendum, sed etiam extrinsecis, ideoq; à nonnullis probatur thyphera magna sine opio, quinimò & ab alijs probantur theriaca, & mitridatum; à nonnullis maximi vsus esse statuitur, si in vterum indantur aliquo suaueolente dissoluta, vel pessi modo adhibita. Sic claudini trochiscor etiam probarem sicut electuarium & alia quæ breuitatis gratia sileo ad fæcunditatem, cum certò sciam eandem futuram esse fæcundam, quæ faxit Deus, qui omnia fecundare facillimè valet.

PRO PERILLVSTRI DOMINA IVVENE *Salmunensi mensium suppressione, febre alba, alijsque symptomatis lacessita.*

CONSVLTATIO XCI.

Continentium antipraxiam omnium morborum, quibus ingemiscit nostra languens originem esse statuerem. Iecur enim feruidius quam par est, ventriculus vnaque caput humida, frigidaque contentum aggregant excrementitium, illudque heterogeneum, pituiteum nempè à capite, & ventriculo, ob diminutam πέπσιν, adustũ verò à Iecore adurente, à quibus vt putà terreis, lentis, ac viscidis, obstructiones emergere potuerunt in hypocondrijs, venis scil. myseraicis, paucræis, lyene, & vtero, vnde suppressiones pantèr menstruorum, eorundem vastorum itinere obstructionum vi præpedito; & febres, ob easdem obstructiones difflationem impedientes; Vndè benè dixerat Hip. Febres porrò propterea fiunt, cum corpore superinflammato come intumuerint, & pituita plenæ fuerint, eaque compacta, & neque refrigeretur quicquam, neque humectetur, neque aliud quid subeat: quæ sanè febris iurè alba dici potest, vt satis patet ex pallido colore, qui ex Gal. 4. de sanit. Tuen. cap. 4. crudorum humorum copiam attestatur, cui aliquando genarum, malarumque rubor superaccedit, signum profectò, vt benè testatur Mercatus eorum humorum, qui obstructionem efficiunt, vel vtreor earum partium quæ obstructæ videntur. Iecur enim, vterus & pulmo maximè valent ruborem gignere, de quo maximè dubitarem in nostra languente, tum ob pectoris, humerorumque dolorem, vt scribitur, tum ob salsæ materiæ fluxionem, quæ eatenus salsa vt aiebat Gal. quia scil. cum pituita adest sodalitium serosæ biliosæque humiditatis, ideò dolores capitis maiores capitis, & aliarum partium accersito, quia pituita ex sua natura nunquam vehementes infligit dolores; Nisi eadem spiritui salino fuerit consocialis, non ignorans huiusmodi salsedinem ex Hip. posse è cerebro manare, dum putrescit, atque ideò aiebat: Pituita non erat salsa, vt putà non à cerebro, cum videl. in eo pituita putrescit, vt reor; possem & alias innumeras causas innumerare, vlteriorem nempè coctionem, terreitatem, vstionem, & similia, quæ breuitatis gratia sileo; Non interim silens hanc salsedinẽ Iecoris præternaturalem calorem attestari, è quo stypticitas emergit viarum præstita angustia, & excrementis humiditate spoliatis, ni id velimus ad lentos crassosque humores redigere à ventriculo sanguidiore progenitos; quem sanè caloris languorem à Iecore feruidiore obtinere potuit, cum maior minorem extinguat, quo reddito minore nil mirum si coctio diminuatur, sicque alimenta non elaborata, sed cruda nunc vomitum cieant, cum vomitus in repletionibus excitetur, nunc illas progignat, indeque meritò Trall. asseuerat acidos ructus à frigiditate pronasci, acres verò à calore; quæ sanè pariter cruditates ad caput media anathymiasi commeantes capitis dolorem efficiunt cum frigoris sensu; quemadmodum vstæ humiditates, ac putrilagines illuc pariter effumantes in eodem capite nedum capitis dolorem cum caloris sensu gignunt, qui à somno, & à cibo ingrauescit agitata materia, ac in caput

put maiori vtique imperio effumante, somnus enim aiebat Gal. ad interiora calorem retrahit, atque ità fluxio innascitur, cum eadem & à calido, & à frigido producatur, vt volebat Hipp. quæ sanè fluxio varias peruadens fluxiones nunc pectoris, nunc humerorum, nunc oris, nunc tonsillarum vt scribitur dolorificum pathema producit, nec proptereà flatus exploderem, qui ab huiusmodi pituitea colluuie, nec non etiam & à ventriculi languore manare queunt, & ab hypocondriacis illis obstructionibus vt dixi (omnia enim hæc hypocondriacum æmulantur affectum, vt benè etiam scribitur) qui quoq; & dolores ingeminant, & ad cor per arteriarum ostiola appulsi palpitationem progignunt, & ad caput inordinato motu se se mouentes, spiritusque animales perturbantes vertigines parant; syncopes autem seu sypotimiæ è summo virium languore, vt mihi suasum habeo, fiunt; quamuis eas non rarò ab vtero prodire posse crediderim; is enim vt aiebat Plato, cum sit animal ferè in animali muliere, & potissimum virginis extremis vexat angustijs, & respirare non sinit; & vt Hip. autumat ad hepar humiditatis gratia ascendens naturales partes comprimendo potest huiusmodi lipothimias, seu animi defectus progignere, in mulieribus enim aiebat Hip. morbi omnes ab vtero; quamobrem antequam vlteriores radices huiusmodi morbus vtique iactet, eradicandus, si tamen fieri queat, obstructiones enim, ventriculi languor, caloris imbecillitas, mensium diminutio morbum & diuturnum, & non sine periculo indicato, nec non etiam & remedijs contumacem; vna tantum salus esset in iuuentute, cum ei omnia gratiosa dicat Hip. at illa cum tot sit oppressa symptomatis, vereor ne ijsdem potius succumbat; eoque magis cum instet hydrops, vt ex cachexia innotescit à caloris primigenij languore pronata; nec non etiam, & à pituitosarum humiditatum vbertate.

Quamobrem cum tria in nostro ægro negotium facessere videantur, materiarum copia, obstructiones, & viscerum dyscrasiæ, triplex indicatio videtur insurgere, materias scil. euacuandi, fluxionem auertendi, vnaque exsiccandi, & obstructiones reserandi vnà cum ablatione intemperierum; Quoad euacuationem non mihi videtur esse alienum mel rof. sol. cum syr. D. Augustini, sicut pro humorum pręparatione non inutiles erunt syr. ex becton. acetos. sim. & oxym. sirup. vel cum iure insulso, vel quod satius fuerit sine vllo liquido; aquas non admitterem, cum facili negotio ventriculum eædem dissoluant, sicuti ab initio aperientia refugerdm, vt benè adnotat Valles. apud Hip. in hist. Theophorbi filij; post quæ assumpta remedia non absurdum crederem Diacatthol. ad ℥v.j. exhibere cum ℨij. spec. hieræ simpl. Gal. solent enim in forma bolari in ventriculi affectibus medicamenta magis commendari; vel loco istorum adhiberem pillulas de aloe cum elephangini sin paucifs. quantitate, potest enim supponi in corpore cachectico serositatum portionem inueniri, pro quibus pariter extirpandis laudarem etiam vel radicem mechoac vel scialappæ prout tibi viro doctifs. arridebit; quas sanè euacuationes non semel, sed interpolatis vicibus repeterem, vt epycrasim seruemus; Sic pro obstructionibus reserandis laudo pipionum vel galli veteris iura, eademque sine collo pedibus, & alijs, qui quidem impleri poterunt herbis ad hoc facientibus, addendo chinæ portionem, cum ligno saxafras ad exsiccanda fluxionem, & roborandum ventriculum; quod si eodem iure kabilem ter non amplius extinctum adhibere velimus non absonum erit, pro tollendis eneruandisque obstructionibus; Ad intercipiendam autem fluxionem non inutile

esse posset ceratum ex mastic. corall. rub. & trochis. de kar. cum portis tne therebint. Pro fluxionis reuulsione commendarem cucurbitulas, fictiones, ligaturas, atque ideò summè commendo cauteria tam bracchio, quam cruri adhibita, interim tamen ventriculo roborando est incumbendum, vnde pro roboratione possunt fieri fotus, ex rebus roborantibus, inunctiones ex ol. de absynth. & mentha, sed præ reliquis commendarem ceratum ventriculo affigendum, vel ex mastiche, vel tach. quod tamen intrinsecus sumptum videtur esse probandum est vinum absythites, vel aqua Tettutiana, sic quoque non est ab re confectionem Hyacinthinam sine musco exhibere, confect. de gemmis, mitridatum vnà cum lapide bezaartico, qui à Zacuto tot laudibus in hisce casibus tollitur; hęcq. sunt quæ potui currenti calamo dicere; faxit autem Deus, vt omnia secunda succedant.

Vale.

FINIS.

I. N.

INDEX RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc Opere continentur.

An-

G

H

in

Ta-

T

V

FINIS.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN